







TERENTII COMOEDIÆ
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE-FIRENZE ◆ RACCOLTA NENCINI
ALDINI
II
3
25














Ex Libris Joannis Nencini
1872



N.o 8.
Avv.to Pietro Gini

P. TERENTII AFRI

COMOEDIAE SEX, INFINITIS FERE LOCIS EMENDATAE:

Vnà cum Vinc. Cordati Vesul. Burg. Commentariis in Andriam; Summariis uerò (quæ Argumenta uocant,) & Annotationibus methodicis Rei, ac Styli in reliquas.





EX BIBLIOTHECA ALDINA.

VENETIIS, M. D. LXX.

LECTORI.

Quidam Terentium Tyrunculis modò
Discentibus doctum vetant:
Quidam simul cæci videri Lyncei,
Sed lippientibus volunt.
Nam qui Terentium doctũ intellexerit,
Nunquam quidem neglexerit.
Temnant, nimis qui morem gesserint sibi,
Authorem, ut hũc Interpretem:
At fecerint ijs, quibus dicas nihil
Politius, subtilius.

SPIRAT, QVI
ſperat.

PRAEFATIO.

NOBILI, ET ERVDITO VIRO D. Hieronymo Turriſano Veneto Vinc.Cordatus. S.

GLORIATVR M. Cicero per literas familiares apud M. Varronem,quòd miſerr.temporibus.utriuſq. artes neſcio quomodo uberiores fructus ferre uiderentur,quàm olim ferebant: ſiue(ut ille ſcribit) quia nulla tunc in re alia conquieſcebant, ſiue quòd grauitas morbi ob ciuilia bella exorti faceret,ut medicina egerent, cuius uim non ſentiebant, cum ualebant. Hic etſi longe magis diſpar ſtylus, & authoritas,quàm vt auſim quicquam tale de me polliceri: tamen eadem pene occaſio in hoc regno Galliarum (quo omnia perpetuis tumultib. Religionis ergo concitatis peſſum eunt) oblata fecit hactenus, ut ſaltem conatus,ac diligentia fidelis mihi non deeſſet. Nam decem abhinc annos(quod fauſtum,fœlix, fortunatumque ſit) cum me in eas Ciuitates,& Academias contuliſſem,in quibus omnia tranquilliora, & tutiora,quàm in cæteris,meo iudicio,uidebantur: &,quod ante, quinque annos magna utilitatis expectatione Dei Opt.Max. adiutus ope, feceram, docere tum bonos mores, tum bonas literas iuuentutem, & de rebus,quæ ad eloquentem philoſophiam,& philoſophicam eloquētiam pertinebant,vtriuſque harū rerum amore incenſus pro modulo tractare non deſtiti. At vero dum hoc otioſo negotio, id eſt,honeſtiſs. imprimis, & communi ſocietati utiliſs. labore animum meum recreo, atque oblecto : dumque ab aliis arma tractari horrentia ſino, vt in humaniorū Muſarū amplexu retinear: longe ſecus accidit,quàm

ipſe deſtinaram,nedum cogitaram. Præterquã quòd enim pro tam magnis animo, & reipſa in præſentes, & poſteros (etſi hos ab illis maxime diſſimiles fore ſentio) collocatis officiis nihil aliud, quàm ingratitudinem,& multorum inuidiam conciliaſſem mihi, acceſſit & illud,proh dolor,quo minimum quinquaginta librorum vtriuſque ſtyli de omni pene doctrinarum, artiumque genere pro captu adoleſcentiæ conſcriptorum miſere iacturam feci, quam hic præ recenti concepto dolore locus deſcribendi non erit. Verumenimuero vt non ſolum piis, & bonis omnia in bonum, ſumma Dei prouidentia vertuntur, ſed etiam mortalium ingratitudo, & inuidia ſtimuli ſunt natis bene ad cœleſte illud, & immortale præmium poſt hanc uitam, ac in ea quidem ad maiorẽ laudem, & nominis commendationem: ita & propter Liberos meos Libros meos afflictus,adeoque nõ nunquam de ſalute ac uita periclitatus(tanta eſt improborum hominum peſtis) animum non deſpondi, ſed conſtantiam retinui, & ſpem multo magis, quàm antea feceram, ad honeſta ſemper mihi propoſita incenſus erexi. Cum igitur relicta Tholoſa ueniſſem Auenionem: quòd ea ciuitas in tranquillo maxime ſtatu, tanquam in portu aliquo eſſe audirem: quodque ibi viderem eſſe velut Aſylum, quò egregia Illuſtriſ. Cardinalis Armeniaci Collegæ liberalitate adhæc prouocati ſumma in rerũ deſperatione docti confugerent: ibi annum fere integrũ mihi, uel inuitis maleuolis, quibus non carui, me ipſum ad nouam ſubinde ſcriptionem, & ſtyli exercitationem colligere licuit,ut placuit. Quod cum non infœliciter omnino,ut coniectabam,ſuccederet, & aliquot adhuc ex veteribus opuſculis, uelut ex naufragio tabulæ mihi enatarent, etſi ex Horatiano conſilio illa nonum in annum premere ſtatuiſſem: tamen inita mecum noui (quod contingere poſſet) amitten

tendi periculi ratione,ſubductoque temporum iniuriæ calculo,operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi,ut illa in publicæ vtilitatis gratiam ſcripta & compoſita erant, ita quoque in publicum tandem prodire non vererentur. Cum autem à me ſollicite quærerem,cui potiſſimum de tot,tamque ingenioſis Typographis,quos ætas noſtra, ſed non ſine laude,habet, illa excudenda committerem , ſtatim mihi venit in mentem candidiſs. fratris tui Bernardi , Hieronyme Turriſane , qui, cum Lutetiæ docerem , mihi & ob virtutem,& ob eruditionem amiciſs. chariſsimuſque fuit . Itaque hac inductus occaſione, diligentia , fideque viri(quæ mihi Aldi illius Magni familia,cui coniuncti,affineſque eſtis,vere digna videbatur) perſpecta: non ſum veritus quinque & viginti literaria opuſcula doctis hominibus ante communicata,probataque ad illum mittere:ea tamen conditione , vt vel ſi placerent, vel ſi facultas eſſet,excuderentur. me enim facile vel ſuppreſſurum , ſi non illud:vel aſſeruaturum in aliud tempus , ſi non hoc,mihi vni pol licebat. Itaque poſtquam ille meos fœtus ad ſe miſſos accepiſſet,mox ad me bona fide remiſit,ac ſcripſit ſe iniquo animo ferre,quòd tam generoſos, tam pulchros,tã magnæ ſpei Liberos Libros (vti appellabã) in ſua Typographia,vt adoleſcerent,educare nõ poſſet: cuius non modo,ſed etiam totius Academiæ tantam ſolitudinem eſſe affirmabat , vt vix crederetur ; conſulere autem (ſi hic egerem conſilio) vt ad fratros ſuos,ipſos Venetias mitterem: ſeque id feciſſe libenter, niſi me propterea offenſum crediſſet: quod ſi præſtare in animo haberem,ſe literas commendatitias officioſiſſime ſcripturum. Ergo remiſſi Auenionem ſunt Liberi : ſed antequam ad me redirent,cum iam portas vrbis ingrederentur , in ſuperbum illud Palatiũ,ne forte degeneres,aut exploratores dicerẽtur (quod malum omen Deus auertebat) ipſi facilime,

& optatiſſime pro ſuo, & publico iure deduci paſſi ſunt. Nam, quod optare quidem, ſed curare, ut fieret, auſus non eſſem, poſtquam illhuc in manus D Guilielmi Blanci magna ſapientia, & authoritate viri, & Academiæ Tholoſanæ prudentis Cancellarii ad hoc vnū delecti, ſed fratris tui literis ante cōmendati per ueniſſent, ac tandem vt mihi ſignificatum, gratulatumque humaniter fuit, probati eſſent: dici profecto non potuit, quāta voluptate & gaudio ſim perfuſus: quòd eo caſu veniſſent, quò ſponte, & libenter cum ipſo parente proficiſcerentur, vt magni habiti, ac laute tractati otio & quiete placidiſſima fruerentur. Quod cum ita eſſe reipſa comperirem, cœpi etiam paulo audacius apud me de Liberis Libris meis cogitare: quippe qui Latino ſermone donati, (niſi quod vnus eorum Semigræcus eſt,) ideo in Italiam tanquam in patriam ad te, humaniſs. Hieronyme, tuis elegantiſs. terſiſſimiſque typis exornandi, & ſacra illa (vt ſic loquar) veſtra Magni Aldi Anchora aduerſus omnem fluctum, vel tempeſtatem inuidiæ, temporisue communiendi mittuntur. ſed ita, vt reliquis Aueniono illi Palatio ob illam ſpem tibi deſcriptam mancipatis, vnicum tibi nunc in ſignum, καὶ σύμβολον futuræ inter nos, vt ſpero, amicitię (qualis iam inter fratrem tuum, & me interceſſit) libenti animo dedicem, & conſecrem. qui autem ſit ipſe, & qualis, etſi melius pro tua uirtute, & facilius pro tua dexteritate agnoſcas: tamen ſi non tibi, ſaltem aliis patere impræſentia ut paucis depingam: ſi modo hac nimium tibi forte metaphoρικῶς loquendi forma omiſſa, alia utar. Eſt ergo fœtus ille noſter integer ſatis commentarius in primam Terentii Comœdiam, & methodicæ Annotationes in reliquas: vbi quid cæteris præſtiterim, etſi aliorum eſt, vt iam de te retuli, iudicium: tamen, vt de me auſim hoc vnum pollice ri, facile habita interpretum veterum, & recentium

comparatione intelliges. Fateor equidem nonnullos eorum in vocibus, & locutionibus Grammaticis explicandis, alios vero in carminum, & ſtyli ratione operam non fruſtra conſumpſiſſe: nonnullos Antiquitatis monumenta attigiſſe, & argumenta contexuiſſe: alios vero Scholia præfixiſſe, & Annotatiunculas addidiſſe: Nec defuerunt, qui omnes omnium interpretum Commentationes in vnum quaſi corpus ſe coegiſſe putarent ita, vt quæ redundabant, amputarent: quæ vero deficiebant, vt ſibi videbantur, reponerent. Attamen nemo (quod ſciam) de tam magno numero hactenus extitit, qui veram illam Dialecticæ Analyſim, vt eſt par in interpretando, tractaret, vel qui certam rei, orationisque methodum ſequeretur: extra quam ad maximam partem fruſtraneus eſt authores explicandi labor: tantum abeſt, vt in omnibus polleret. Nam quòd ſibi plerique ita placent in fragmentis, ac velut fruſtulis quibuſdam de toto opere, ſuo more explicandis: vt, exempli gratia, cum annotant initio, exordium eſt, in medio, narratio vel confirmatio, vel confutatio: in fine vero, concluſio eſt: item, argumentum eſt à minori, à ſimili, à conſequenti: & ſimilia, quæ vel puer ſeptennis ſibi confingat: à vero reſoluendi ſcopo quàm longiſſime aberrant. Non enim tantum principio principium, medio medium, extremoque extremum bono interpreti annotandum eſt: nec fruſtillatim contextum authoris exponendum, ac veluti punctulis certis quibuſdam locis (niſi cum ſcholia dicuntur) inſigniendum: ſed vniuerſa primũ totius operis ſeries in ſumma, & quæſtione principe, inque eius tractationis, diſputationis contentioniſque generalibus partibus, ac deinde ſpecialibus particulis, donec ad ſingularia perueniatur, inſpicienda, & oratio, velut in Coſmographicis tabulis vniuerſum illud, contemplanda, & conſideranda: qua quidque occaſione, ratione, conſilio, modoque

dictum,ac scriptum sit: idque perpetuo,& quasi Thesei alicuius in Labyrintho filo,& tam rei,quàm styli continuo tenore: vt sint catenæ catenis innexæ. Hæc via tota Dialecticæ est,quæ,vt Grãmatica in oratione perpetua est: in cuius inuẽtione argumẽtũ primũ spectatur cum quæstione,aut re,qua de agitur: deinde in dispositione enunciatio,& argumentatio, quibus quæstio ipsa cum argumento concluditur: ac postremo in eadem Methodus, & Oeconomia, qua tota disputatio contexitur, & absoluitur: unde iudicium de vitiis,ac virtutibus orationis, ac rei proficiscitur: & quid, quale, quantumque sit facillime ostenditur quicquid in disputationem cadit: hoc est, dicitur,aut scribitur. At hoc opus,hic labor est. Quotus enim quisque de tot interpretibus reperitur, (etsi quemque pro suo ipsius conatu laudo,) qui hæc præstet? Tamen,id quod & dolendum,& deplorandum est, interim nugæ ridiculæ placent, scopæ dissolutæ placent: viæ præfractæ vndique placent: & modo ex vocabulariis,aut cornucopiis alii aliquot voculas,historiolas,fabulas: alii vero ex tabellis,vel potius summariolis philosophorum,oratorum,poetarum ue sententiolas,præsertim Græcas: alii item ex veteribus exemplaribus variam loci alicuius lectionem attulerint,pensum se absoluisse putant. Nam digito cœlũ attigisse sibi videntur qui semel tantum,licet magna vi, putati fuerint hic dialectici: dictu mirum quam gestiant,quam exultent,si vnum, aut alterum solœcismum, putabam dicere, syllogismum, sed hic libenter erro cum erronibus, in modo, & in figura (vt loquuntur)confecerint: aut si de statu, generibus caussarum, & huius farinæ aliis rebus tractarint, & chartam conspurcarint. vt taceam interim de iis (nam ipsi pro doctioribus habentur) qui nugis leuioribus describendis adeo sollicite,& anxie, non solum Typographis (quorum alioqui herculeus est labor,)

ſed & ſtudioſis, ac diſcentibus negotium faceſſunt. quid quòd eſſe deprehendas, qui vnico epiſtolio præfixo popularem auram venentur? Quia igitur in explicatione Terentiana prætermiſſa eſt recta Methodus, & Analyſis dialectica, (nam in Rhetoricæ tropis, figuriſque diſquirẽdis facilitas maior eſt,) in qua tamen interpretationis totius nodus eſt: ideo maiorem operam, ac ſtudium illhic poſuimus. quo nõ minus fuit in diſquirendis, explicandiſque tam Mythologiis, quàm iis omnibus, quæ ad poeticam virtutem ſpectant: quemadmodum & in locis paulo difficilioribus ac iis præſertim, qui vel antiquitatis venerandæ, vel rimandæ naturæ quoddam μυϛήριον, καὶ ἐπιμύθιον, continere videbantur. idque vt Poeſeos ſuccum plurimum, atque ſuauiſs. exprimerem, non autem corticem tantum, vt plerique faciunt, aliis deguſtandum porrigerem. Sed inter cætera mihi animo ſemper inſedit, vt quæ facerent ad Ethicen, ea obiter attingerem: ita tamen, vt quanto hic, ex vulgi ſententia, Comœdia periculoſior eſt, tanto ibi magis in locis vitiorum, ac virtutum communibus explicandis viua voce apud pueros elaborandum putem: & ſic cum Methodico ſermonis artificio, reique iucunda feſtiuitate bonos mores teneris auditorum, lectorumque animis diſtillandum. Atque ſic in politiore interpretandi officina verſatus ea, vt mihi facile perſuadeo, inſtrumenta excuſſi, quæ non ſolum ad aperiendas vnius Terentii fabulas: ſed etiam aliorum quoque poemata exigenda ad normam optimi iudicii conducere non parum ab his exiſtimabuntur, qui mente valent, & iudicio ipſo pollent. Hæc fuit noſtra in optimo, & lepidiſs. authore iuuentuti exponendo, non in triuialibus compitis, aut circulatorum coronis Dialectica: vt iam in aliis pleriſque fuit, & Deo duce, in maximam Reip. literariæ vtilitatem erit: imo & hic aliquando in expoſitione cæterarum comœ-

diarum ad iuſtam formam, quali iam Andria noſtra donata fuit: ſi hoſce Commentarios, & Annotationes vt politioris literaturæ, & philoſophicæ elequentiæ ſtudioſis dignos, & tibi vni, Hieronyme Turriſane, gratos fuiſſe intellexero. Quamobrem vt iſta in commune ſuſcepta vtilitatis ratio prodire in publicũ tandem nil vereatur, & induſtriam noſtram, magis ac magis extimules: fac, vt non ſolum meas in Terẽtium, ſed etiam in alios authores, adeoque priuatas uigilias, ac lucubrationes tam libenter excudendas ipſe ſuſcipias, quàm ego & mihi, & ſtudioſis ita gratas fore confido: ex quibus merito ii mecũ inter cætera (ſcopus enim mihi eſt in Literis) exclamare diſcent illud:

Ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις ἂν μὴ νοῦς παρῇ.

Sed vale, Cal. Oct. Anno S. 1569.

TERENTII VITA, EX DONATO, & alijs ueteribus Grammaticis.

P Vblius Terentius Afer Carthaginenſis ex tenui familia, (quod aſſequimur coniectura, quódq; eximijs ingenijs hominibus nonnunquam accidere ſolet,) Romam adoleſcentulus uenit, & ibi Terentio Lucano Senatori ſeruiuit: cui quidem ob ingenij, & formæ præſtantiam adeo gratus fuit, ut non modo liberaliter inſtitutus, ſed etiam breui ſpatio temporis fuerit manumiſſus, ac nomine, prænominéq; ſuo à patrono donatus. Is cum multis alijs nobilibus patricijs, & maxime cum Scipione, & Lælio cognominato Sapiente admodum familiariter uixit. À quibus & corporis gratia ſummopere adamatus, & in ſcribendis Comœdijs (ut ſæpe ab aduerſarijs obiectum fuit) adiutus, plurimum inde gloriatus eſt; tantum abeſt ut negarit, aut confutarit: quin potius cum multis locis, tum illo in Adelphis id cõprobari poteſt: ſic.n.in Prologo ſcribitur:

Nam quòd iſti dicunt maleuoli, homines nobiles
Eum adiutare, aßiduéq; una ſcribere;
Quod illi maledictum uehemens exiſtimant,
Eam laudem hic ducit maximam; cum illis placet,
Qui uobis uniuerſis, & populo placent:
Quorum opera in bello, in otio, in negotio
Suo quiſq; tempore uſus eſt ſine ſuperbia.

Sed & (ut Santra exiſtimat) ſi Terentius adiutoribus in ſcribendo Comœdias indiguerit, certe non tam opera Scipionis, & Lælij, qui tunc adoleſcentuli fuere; quàm Sul

pitij Galli hominis doctiss. & qui Consularibus ludis fabularum dandarum initium fecerit; uel quidem Q. Fabij Labeonis, & M. Popilij consularium, ac poetarum, usus est. Edidit autem sex Comœdias, sed (quod etiam ab aduersarijs in poeta notatum est) ex Græco ad partem maximam desumptas: quarum quinque populo R. æque gratæ fuerunt; & inter has Eunuchus, quæ propter ea bis acta est, octoq; millia numum meruit. quanto pretio nulla antea cuiusquam Comœdia ab Aedilibus fuerit comparata, uel redempta: Hecyra uero sæpe exclusa, uixq; peracta fuit: quæ cum Phormione ex Apollodoro Comico, ut quatuor reliquæ à Menandro, translata dicitur. Post editas igitur Comœdias nondum quintum & trigesimum agens annum, in Græciam se contulit, seu uitandæ opinionis caussa, qua credebatur aliena pro suis edere; seu percipiendi studio Græcorum instituta, & mores, quibus denique & suas Comœdias ueluti aspergeret: neque tamen reuersus est unquam: perijsse creditur in mari, quum è Græcia Romam rediret, cum centum & octo fabulis, quas ex Menandro, alijsq; Comicis in Latinum conuerterat. Quidam uero scribunt illũ Stymphali in Arcadia mortuum esse, Cn. Cornelio Dolabella, & M. Fuluio nobiliore COSS. correptum morbo de incredibili animi dolore ob amissas naufragio fabulas contracto. Qua de morte sic Volcatius Sedigitus scribit:

Sed ut Afer sex populo edidit Comœdias,
Iter hinc in Asiam fecit: nauim cum semel
Conscendit, uisus nunquam est. sic uita uacat.

& illa Porcij extant passim ea de re uulgata:

Itaq; è cõspectu omniũ abijt Græciã in terrã ultimã:

Mortuus ē in Stymphalo Arcadiæ oppido: nil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nil Furius.

Mortuus uero est ante initium tertij belli Punici, ut natus in fine secundi. unde coniectare licet captum illum non fuisse; nec si à Numidis, & Getulis captus sit, ad ducem Romanum peruenire potuisse; cum nullum inter Italos, & Afros, nisi post deletam Carthaginem commercium esset. Fuisse dicitur gracili corpore, colore fusco, & mediocri statura: reliquitq; filiam, quæ Romano Equiti nupsit; & hortos xx. iugerum, uia Appia ad Martis uillam. ut sit mirandum Porcium scribere ita loquens de Scipione, Lælio, & Furio Terentij adiutoribus uel impulsoribus:

Tres per idē tempus qui adiutabant nobiles facillime:
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam;
Saltem ut esset, quo referret obitum domini seruulus.

Cæterum etsi Afranius in Compitalibus scribens, omnibus Comicis ita præfert, ut Terentio nō similem dicas quēpiam: tamen Volcatius non solum Næuio, Plauto, & Cæcilio; sed etiam Licinio, & Actio postponit; cum tamen, meo iudicio, & ob sermonis proprietatem elegantē, & affectum humanum mire expressum, & arcanam mythologiam rei, & artificij prudentiß. dispositionem, sit præferendus. Eum Cicero, & Cæsar uel scriptis elogijs, ac epigrammatibus plurimum laudarunt, & maximi fecerunt. Sic enim ille;

Tu quoque, qui solus lecto sermone Terenti,
Conuersum, expressumq; Latina uoce Menandrum
In medio populi sedatis uocibus effers,

Quicquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Hic uero ita:

Tu quoque tu, in summis, ò dimidiate Menander,
Poneris, & merito, puri sermonis amator.
Lenibus atq; utinam scriptis adiuncta foret uis
Comica; ut æquato uirtus polleret honore
Cum Græcis, neq; in hac despectus parte iaceres.
Vnum hoc maceror, & doleo tibi deesse, Terenti.

Hæc de comico Suetonius Tranquillus: nam duos Terentios poetas fuisse scribit Metius; alterum Fregellanum, alterum uero Afrum, utrunque libertum: de posterioris uita hæc dicta sufficiant: nisi quòd & Varro grauiter de huius scriptis iudicauit: Sic enim M. Nonius in uerbo, Posco, testimonium citat: In argumentis, inquit, Cæcilius poscit palmam, in ἤθεσι Terentius, in sermonibus Plautus. Et Sosipater libro 2. citat ex illius item libro 5. de Latino sermone testimonium: ἤθη, inquit, nulli alij seruare conuenit, quàm Titinio, & Terentio: πάθη uero Trabea, & Atilius, & Cæcilius facile mouerant.

FABVLA, COMOEDIA, ET TRAgœdia, item ex Donato, & alijs.

FAbulam esse rerum, actionumq; in certum finem delectabilem, uel utilem uitæ tendentium fictam quandam narrationem, est nemo qui nesciat: Cuius duæ species, ut plurimum aßignari possunt; aut enim ita ficta est, ut uera esse non poßit, & Apologus dicitur; quales sunt, quæ à fabulatore Philosopho habita rerum naturalium ratione, & actionum comparatione μυθολογικῶς ex brutis, uel animatis descriptæ proponuntur: aut fabula ita uerisimilis est, ut ad res gestas proxime accedere uideatur; imo & nonumquam maxima illius pars ex Historia (quæ opposita est ipsi fabulæ species in monumentis, & Heroum, illustriumq; uirorum gestis, ac uitis) petitur; continetq; Tragœdiam, et Comœdiã, quib. si Satyras, & Mimos addideris, ut & fictiones illas allegoricas, et mythologicas paßim fere apud unumquemq; poetarum, in uniuersum fabularum, ut puto, legitimam distinctionem comprehendes. quarum originem sic accipe; si prius apud te statuas & earum, & aliarum quoq; rerum initia natura duce, & experientia, & usu communi præmonstrata esse. Vnde recte Manilius libro 9. Astronomικῶν ita scribit:

Per uarios usus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante uiam.

Ita tam Comœdiæ, quam Tragœdiæ ratio prima ex populari usu obseruato producta; indeq; Sapientum, Poetarumq; consilio, & prudentia prouecta, & in artem edu

cta ad nostra usq; tẽpora, populosq́; uarios promanauit. idq́; à rerum diuinarum uulgari cultu: Dum enim pro fructib. uota soluentes ita sese haberent antiqui, ut incensis altarib. et admoto hirco, genus aliquod carminis sacer Chorus Libero Patri redderet, orta est Tragœdia: Sic enim carmen illud uocabatur, nomine sumpto ἀπὸ τοῦ τράγου, hoc est, ab hirco, καὶ ᾠδῆς, & cantu: uel quòd hircus esset uinearum hostis, uel quòd hirco donabatur eius carminis poeta: uel certe quòd uter eius musti plenus solenne præmium cantorib. erat: uel deniq; quòd ora sua fæcib. scenici perlinebant ante usum personarum ab Aeschylo repertum: Fæces enim dicuntur Græce τρύγες. Atque id quidem de nomine, & initio Tragœdiæ: Comœdiæ uero hoc fuit: Nondum coactis in urbem Atheniensibus, Apollini Nomio Pastorum Deo, constructis aris, in honorem diuinæ rei circum Atticæ uicos, uillas, pagos, & compita festiuum carmen solenniter cantari solitum est, quod itidem Comœdia uocabatur; ἀπὸ τοῦ κωμάζειν, id est, comessando, καὶ ᾄδειν, & cantando; quasi comessatum ire cantantes; quòd in compotationibus, & comessationibus huiusmodi carmen caneretur; ut & poetis solenni die, uel amatorie lasciuientibus choris comicis non absurdũ uidebatur. Primus autem Tragœdiæ inuentor Thespis creditur, & Comœdiæ Susarion, qui sic auspicatus est;

Οὐκ ἔστιν εὑρεῖν οἰκίαν ἄνευ κακοῦ.

Non est inuenire domum sine malo.

Eum secuti sunt postea Eupolis, Cratinus, & Aristophanes. quin & Homerus ipse (etsi aliter sentit in Poetice Aristoteles) uidetur Iliadem instar Tragœdiæ, Odysseã

uero

uero instar Comœdiæ composuisse. Tertia postremo ætas (nam duæ iam in illis præcesserunt) habuit Menandrum, & Philemonem, qui omnem ueteris Comœdiæ acerbitatem mitigauerunt, argumentaq; de reb. leuiorib. excogitantes nouam Comœdiam emiserunt. Nam in uetere nec parcebatur nominib. nec de reb. ludicris, ut amorib. & similib. materia subiecta tantum fuit; sed ad genus mordacius accedebat, qualis est Satyra. Illos igitur postremos Comicos Romani secuti et ipsi fabulas scripserũt: sed Liuius Andronicus omnium primus in hoc genere Comœdiam edidisse fertur: post quem cum alij multi, tum Ennius, Næuius, Cæcilius, (quorum opera iniuria temporum perierunt,) Plautus, ac postremo Terentius hoc poema celebrarunt. Atq; his constat ueterem Comœdiam, ut ipsam quoq; olim Tragœdiam, simplex carmen, ut supra ostendimus, extitisse: Athenienses enim Atticam retinentes elegantiam, cum uellent male uiuẽtes notare, in uicos, & compita ex omnib. locis læti, alacresq; ueniebant, ibiq; cum nominib. singulorum uitam publicabant, unde nomen compositum. & carmen huiusmodi primitus in pratis mollib. agebatur: nec deerant præmia quib. ad scribendum ingenia doctorum prouocarentur: sed & actorib. munera offerebantur. Chorus autem circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc reuoluens gyros cum tibicine concinebat. & primum una persona substituta est cantorib. quæ respondens alterius choro locupletauit, uariauitq; rem musicam: tum aliæ deinceps; adeo ut tandem crescente numero per authores diuersos, personæ, pallæ, cothurni, socci, & cæteri ornatus, atq; insignia scenicorum reperta, & ad hoc unicuiq; suus habitus; & postremo

qui proximarum partium, qui secundarum, qui tertiarũ, qui quartarum, & quintarum actores essent distributa, & quinquepartita fabula est; quæ uixdum incipiens ἀρχαῖα dicta est idcirco, quia nobis parum cognitis initijs nata est; aut quia inerat in ea historica fides ueræ narrationis. Nec enim ficta erant, ut nunc, poetarum argumenta, sed res gestæ, nominib. expreßis decantabantur. quæ tandem etsi non parum ita fieri proderat, cum unusquisq; admoneretur, ut caueret à culpa, ne spectaculo cæteris esset, & domestico probro: tamen quia poetæ quidã (ut omnes deteriores sumus licentia) nimium abutebantur stylo, et paßim ex libidine plures bonos lædebant; ideo nomina eiusmodi notatarum personarum suppressa fuere. & hinc aliud poematis genus, undelicet Satyra promanauit; quemadmodum forte, & Mimi. Quod & fieri solet apud Gallos, & Italos, cum circa Liberalia personati compitatim uitia Populi, & Ciuium toto anno commissa, & cognita magno ludibrio recitantur. Sed iam uariam utriusq; fabulæ distinctionem examinemus: Sũt enim Tragœdiæ, et Comœdiæ quinq; actus, hoc est, partes ab histrionum gestib. dictæ, Græce πράξεις; quarum singulis Chorus primum additus fuerat: sed quia postquam in Comœdia (nam in Tragœdia remansit) spectator cœpisset esse fastidiosior, quod ab actorib. ad cantores otioso tempore transiret, & ita illi pene desererentur; idcirco prudenter à Poetis ille est prætermissus. Scenæ item additæ sunt, ἀπὸ τῆς σκιᾶς, ab umbraculo dictæ, id est, tabernaculo ex frondib. inumbrationis caussa composito: sed quæ Grammaticorum sint, non Poetarum; ni manis Actorum, ut certius, & promptius quinam colloqui,

& cum quib. deberent, obseruaretur. Est enim congressus, & cœtus eorum, qui in actuum serie, ac progressu agere suas partes debent: quanquam & unus sæpe in scena loquitur. Sed non ita placet tam frequens, & mutilata, tamq; ignota, & superstitiosa fabulæ distinctio; quòd nec à Poetis introducta, nec in ueteribus exemplaribus (ut adhuc deprehenditur) notata, nec à plerisq; doctiss. hominibus probata sit: quin (ut obiter annotemus) ut in Philosophorum monumentis, & libris capita offendas male, & perperam digesta; ita & in Comœdijs, ac Tragœdijs scenas; quas tamen hic modo dialogos, modo colloquia appellauimus. Certior, & uerior est earumdem fabularum distinctio alia in Protasim, Epitasim, & Catastrophem. Nam Prologum Græci non habent, ut nec Epilogum Latini, præterquam in quibusdam, sed paucis, & nonnunquam unico uerbo, hoc, Plaudite, expressum; tametsi par, eademq; est ratio. Sed & nullum genus orationis uel poeticæ, uel oratoriæ est, quod præcedere, & subsequi partes illæ non possint. De quibus extremis, cum intermedijs illis pauca sunt hic nobis discutienda. Vt igitur in Prologo, hoc est, præfatione, uel exordio tractanda res proponitur, aut beneuolentia, docilitas, attentioq; auditorum, spectatorumq; conciliatur; uel poetæ, aut fabulæ defensio suscipitur; uel tale quippiam instituitur; ita in Epilogo summa quædam, repetitioq; rerum tractatarum comprehenditur quidem, uel facile hic intelligitur, ac propter inopinatum rei fabulosæ euetum prætermittitur. Quin & prologus ipse nonnunquam in protasi continetur, ubi licet præter argumentum aliquid ad populum spectatorem uel ex poeta, uel ex fabu-

læ, uel ex actoris commodo loqui. Hinc inter πρόλογον, καὶ προλόγιον forte natum est triuiale discrimen, ne dicam superstitiosum, & ridiculum; quòd in illo de argumento fabulæ tantum dicatur; in hoc uero poeta excusatur, uel fabula commendatur. Nec minus animaduertendum illud, quòd πρόλογος sit quadruplex, συστατικὸς, commendatitius, quo fabula, uel poeta commendatur; ἀναφορικὸς, relatiuus, quo aut aduersario maledicta, aut gratiæ populo referuntur; ὑποθετικὸς, argumentatiuus, fabulæ argumentum exponens; & μικτὸς, mixtus, omnia hæc in se continens. Nā & id præterquam quòd ueræ distributionis numerum excedit, imperfectum tamen est, nec ita generale propositum, ut par est catholico Aristotelis præcepto, κατὰ πάντος. Sed hæc in dialectica Methodo explicari debent cum reliquis fabulæ partibus generalibus quas tamen hic perstringemus. πρότασις igitur prima pars fabulæ est, & primus nempe actus, initiumq; Dramatis; quo pars argumenti detegitur; pars uero ad populi expectationem tenendam occultatur, & reticetur. ἐπίτασις uero secunda, unde inuolutio ipsius argumenti connexa est; incrementum scilicet, progressusq; turbarum, ac totius, ut ita duxerim, nodus erroris. καταστροφὴ item conuersio rerum ad iucundos exitus, & euentus, patefacta cunctis cognitione gestorum, & ueluti fabulæ totius explicatio, & pars ultima. unde etiam abijt in prouerbium pro quocunq; successu. Hæ sunt fabulæ, & comœdiæ partes genuinæ, ac solæ: quæ uero sequuntur ex personarum, & habitus adiuncta differentia genera uulgo aßignata, etsi non ita cognitu necessaria, tamen quia

de ijs ſæpe Grammatici mentionem faciunt, explicemus. Quædam igitur Comœdiæ ſunt palliatæ, Græcum habitum referentes: quædam uero togatæ, à ſcenicis, argumētisq́; Latinis: nonnullæ prætextatæ, ab dignitate perſonarum, Latinaq́; hiſtoria: aliæ Atellanæ, ſalibus & iocis compoſitæ, & ueruſtæ, à Ciuitate Campaniæ, ubi actitate ſunt quamplurimæ, dictæ: ſunt & Rhyntonicæ, ab actoris nomine; item tabernariæ, & forte eædem palliatæ (ut quibuſdam placet) ab humilitate argumenti, & ſtyli: denique planipediæ, ob uilitatem actorum, qui non cothurno, aut ſocco utebantur in ſcena, aut pulpito; ſed plano pede, humiliq́; loco: poſtremo ſunt & Mimi à diuturna imitatione uilium rerum, & leuium perſonarū. Prætextata autem argumento Tragœdiæ ſimilis, (unde Tragocomœdia dici poteſt:) tabernaria ſibi ipſi, id eſt, ueræ Comœdiæ: Atellana Satyræ: planipes Mimo; nam planipedes Orcheſtræ actitabant. Alia item diſtinctio Comœdiarum eſt in motorias, quæ turbulentæ; ſtatarias, quæ quietiores; & mixtas, quæ ex utroq; actu conſiſtunt. Sed hæc tam ſunt leuia, quàm ſuperſtioſa, & à uera Comœdiæ diſtributione prorſus aliena: commenta nempe Grāmaticorum, quæ ſomniarunt, cum aliud non haberent, quod docere poſſent: quare ijs omiſſis uideamus iā quid ſit Comœdia. Eſt igitur fabula diuerſa inſtituta continens; qua diſcitur quid ſit in uita utile, quid contra uitandum. Græcis ita definitur; κωμωδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν, καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχὴ. Eam Cicero ait imitationem eſſe uitæ, ſpeculum conſuetudinis, & imaginem ueritatis: quæ idcirco præter notationem, & etymologiam ſupra deſcriptam

ἀπὸ τῶν κώμων, ab actis uitæ hominum, qui in uicis olim habitabant ob mediocritatem fortunarum; non in aulis regijs, ut ſunt perſonæ tragicæ. Et quia illa, poema eſt ſub imitatione uitæ, atque ſimilitudinis compoſitum, ideo in geſtu, & pronunciatione tota conſiſtit. Differt autem à Tragœdia multis modis, ut perſonis, argumento, & fine: Nam in Tragœdia Heroes, Reges, Duces introducuntur loquentes; in Comœdia uero humiles, & priuatæ perſonæ: In illa luctus, exilia, cædes; in hac uero iuuenum amores, uirginum raptus, ac nuptiæ continentur: Illa triſtes, & funeſtos exitus ſortitur; hæc lætos, ac iucundos. Denique ut Comœdiæ finis riſus eſt, ſic Tragœdiæ luctus proprius. Sic in illa turbulenta prima, tranquilla ultima; in hac uero contrario ordine res aguntur: poſtremo in Tragœdia, fugienda uita; in Comœdia capeſſenda exprimitur: illa de fide hiſtorica ſæpiſsime petitur; hæc uero de fictis eſt argumentis. Cæterum perſonati primi (ut obiter annotemus) egiſſe dicuntur Comœdiam Cincius, & Faliſcus: Tragœdiam Minucius, & Prothonius. Omnium autem Comœdiarum ſcripta è quatuor rebus omnino ſumuntur; nomine, ut Phormio, Hecyra, Curculio, Epidicus: loco, ut Andria, Leucadia, Brunduſia: facto, ut Eunuchus, Aſinaria, Captiui: euentu, ut Commorientes, Crimen, Heautontimorumenos. Vbi obſeruandum uenit, ſed non magnopere, quòd in pleriſq́; fabulis ipſarum nomina priora ponebantur, quàm poetarum; idq́; fugiendæ inuidiæ gratia; cum fere ſemper eiuſmodi retineatur mos, tempore ſaltem noſtro. Iam uero quia fabulæ Terentianæ actæ dicuntur uarijs Ludis, uidendum eſt eorum quoque ua-

ria genera fuisse; ut Megalenses, qui Magnæ Deum Matri, (ut Liuius, & alij scribunt,) non Magnis Dijs, ut Circenses, siue Romani (quod ex Asconio compertum habetur) sacri fuere. nec (ut hic obiter annotemus) Megalesia à Megalensibus differunt, nisi unica detrita, ut sæpe fit, litera. sic Funebres ad retinendum populum instituti, dum pompa funeri decreta in honorem patricij uiri plene instruitur: Plebeij, qui pro salute plebis edebantur: Apollinares, Apollini consecrati: item Florales, & eiusmodi. Sed & in scena duæ aræ poni solebant, dextra Liberi, sinistra eius Dei, cui Ludi fiebant: unde in Andria Terentius ait;

Ex arca hinc sumæ uerbenas.

Erat & circa habitum personarum, ornatumq; scenarũ magna habenda ratio: sed pro utrarumq; rerum natura: quanquam non semper habitus conueniens attribuebatur personis; ut in Tragœdia cum Achillis, & Neoptolemi personæ diademata haberent: non enim regalia unquã sceptra tenuerunt. Cuius rei facile argumentum facit, quod cum cæteris ad gerẽdum in Troianos bellum sacramenta coniurationis nunquam inierunt (ut Græciæ principes) nec nunquam sub Agamemnonis imperio fuerunt. Comicis uero senib. candidus uestitus inducebatur, quem antiquiss. fuisse memoratur. adolescentib. discolor attribuitur: serui comici amictu exiguo conteguntur, uel in signum antiquæ paupertatis, uel quo expeditiores agãt: parasiti cum intortis pallijs eueniunt. læto uestitus candidus, ærumnoso obsolætus, purpureus diuiti, pauperi phœniceus datur; militi chalamys purpurea, puellæ habitus peregrinus est: Lenoni pallium uarij coloris, mere

trici ob auaritiam luteum datur. Syrmata uero idcirco dicta sunt, quod trahantur, uelut caudæ; quæ res ab scenica luxuria instituta est. eadem cum luctuosis personis, uel pullatis (ut fit adhuc à nobilib. huiusce nostri temporis plerisq; in locis) incuriam sui, & negligentiam significat. Aulæa quoq; scenarum in terra sternuntur. id quod pictus ornatus erat ex Attalica regia Romam usq; perlatus: pro quo. siparia ætas posterior accepit. estq; id minutum uelum, quod populo spectatori obsistit, dum fabularum actus commutantur. Diuerbia histriones pronunciabant: cantica uero temperabantur modis non à poeta, sed à perito artis musicæ factis. neq; enim omnia ijsdem modis in uno cantico agebantur, sed sæpe mutatis; ut significant qui tres numeros in Comœdijs ponunt: qui tres continent mutatos modos cantici illius. Qui uero ipsos faciebant modos, nomen in principio fabulæ & scriptoris, & actoris superponebant; ut his auditis, multi ex populo ante discerent, quam fabulam acturi scenici essent, & quam omnino spectatorib. ipsis antecedens titulus pronunciaretur. Agebantur autem tibijs parib. aut imparib. & dextris, aut sinistris. Dextræ autem tibiæ sua grauitate seriam Comœdiæ dictionem prænunciabant: sinistræ, & Sarranæ acuminis leuitate iocum in Comœdia ostendebant. ubi autem dextra, & sinistra acta fabula inscribebatur, mixtim ioci, & grauitates denunciabantur. Superest ut de Metris, & Carminum genere, quib. Terentius utitur, dicamus. Nemo igitur dubitat iambico carmine Comœdias, & Tragœdias constare debere, ut ex illo in Arte poetica Horatij intelligimus.

Archilocum proprio rabies armauit iambo:

Hunc ſocci cepere pedem, grandesq́; cothurni
Alterius aptum ſermonib. & populares
Vincentem ſtrepitus, & natum reb. agendis.

Iambicum uero carmen ex iambis componitur, ut in locis imparib. hoc eſt, primo, tertio, & quinto, ſpondæum, dactylum, anapæſtum, & alios accipiat. (nam trochæus, qui ex trib. breuib. conſtat, male pro choreo hactenus à Grammaticis accipitur, uel quidem pro tribraccho: uide Talæi Rhetoricam;) in parib. autem, hoc eſt, ſecundo, quarto, & ſexto, & trochæum, & anapæſtum. Atq; id quidem fere ſemper apud Comicos inuenitur: apud Tragicos uero, & iamborum ſcriptores rarius. Huiuſmodi uerſus διποδία, hoc eſt, duorum pedum copulatione menſuratur: aſcenditq́; ad pentametrum uſq;, nec ulterius producitur, niſi admodum raro. Sed obſeruandum eſt Comicos Latinos non uſquequaq; iambici uerſus legē cuſtodiſſe in ſecundo, & quarto loco, qui iambi proprius eſt, ſpondæum ibi, uel dactylum ponentes: quod etiam à Græcis factitatum aliquando eſſe uiderent, ac ne perſonarum collocutiones ſolutæ, & pedeſtri oratione ſimilimæ uiderentur. Sed fere trimetris, & tetrametris Comici utuntur: aliȷs uero raro, ac niſi in ſcenæ medio, diſperſis, concinnæ pronunciationis cauſſa, & diſtinctionis. Vt autem trimetri uerſus ſenariȷ, ita tetrametri quadrati à Latinis appellantur. Cæterum conſtat uerſus Terentianos, etſi nulli ſunt, quos uiderim, σκάζοντες, hoc eſt, claudicantes, tamen licentia permagna textos: ut non ſolum multis eliſionib. literarum, nonnunquam etiam pene ſyllabarum egere; ſed etiam permultis olim ſolutæ orationi ſimilimi uiſi ſint. Nullum enim genus pedis inuenias,

quo Terentius non utatur: apud quem nõnunquam ultima præcedentis uersus syllaba principium est insequentis. Sed de fabularum, Comœdiæq; origine, distinctione, deq; ijs reb. quæ ad illas pertinent, ex antiquorum Grammaticorum monumentis, adhibita iudicij nostri ratione, ut par erat libere philosophanti, & interpretanti apud eruditum Poetam, & nobilem Comicum, satis, superq; disputatum nunc sit: reliqua ab alijs, si libet, ipse requiras, & de Comœdiarum Terentij præstantia, ac utilitate modo attente me disserentem audias.

DE PRAESTANTIA, ET VTILItate Comœdiarum Terentij.

I Nſtrumentum rationis exercendæ eſt oratio: quæ cum elegans, & artificioſa eſt (ut recte in Panegyrico ſenſit Iſocrates) prudentis animi peculiare eſt opus. At talis eſſe non poteſt, niſi ijs, qui ut natura, & ingenij fœlicis acumine pollent, ſic omni ſcientiarum genere, ut Logicarum, Phyſicarum, & Ethicarum diligenter, et ſumma fide ſunt exculti. Qualis inter Poetas Comicos, imo uero & alios unus Terentius uel doctiſſimorum uirorum iudicio nobis apparet. Eius enim oratio non ſolum eſt ſuauis, ſed etiam erudita; ſiue ingenioſam rerum inuentionem, & earum prudentem, artificioſamq; diſpoſitionem ſpectes; ſiue elocutionis formæ in tropis, & figuris uenuſtatem admireris; ut ſermonis quotidiani, & familiaris proprietatem ſuis locis prætercam: cuius nullus eſt, mea quidem ſententia, ex tot ſcriptorum millib. artifex melior, nec quem ob puritatem, & elegantiam tantopere in Latina lingua cognoſci, ediſciq; retulerit. Accedit & tanta morum, legum, rituumq; humanorum cognitio, ut dicas Terentium non deſcripſiſſe, ſed has res animo pene à natura inſitas habuiſſe: adeo eſt in exprimendis hominum affectib. conſilijs, naturis, actionib. deniq; omnib. peritus, & magnus artifex? Nec quiſquam, perſonarum Comicarum leges circa habitum, ætatem, officium, parteſq; agendi melius, fidelius, ac diligentius illo uno cuſtodiuit. Et quamuis modo auſus eſt προτακτικὰ πρόσωπα, id eſt, perſonas extra rei argu-

mentum accersitas (quas cæteri non habent) introducere, ut per harum inductionem facile pateret argumentum; modo etiam solus in fictis argumentis, cum fidem ueritatis assequeretur, etiam contra præscripta comica meretrices interdum non malas effingere; quibus tamen cur bonæ essent & uoluptas per ipsum non desit; & quamuis, inquam, modo ausus est quicquam tale, quod alijs dißimile esset: tamen sic omnia prudenter, & artificiose contexuit, ut admirandus omnino uideatur. Hinc & morem communem tamen retinuit, ut Comœdiã scriberet, & temperauit affectum, ne in Tragœdiam transiliret: quod cum alijs rebus non ita est assecutus Plautus, Afranius, Actius (ex Donati ueteris Grammatici nõ pœnitendi testimonio,) nec permulti alij. Illud quoque inter Terentianas uirtutes mirabile; quòd fabulæ non solum eo sunt temperamento (licet Cæsari paulo maior uis desideretur,) ut neque extumescant ad Tragicam celsitudinem, neque abijciantur ad histrionicam leuitatem; sed etiam quòd nihil abstrusum ab illo ponitur, aut quod ab historicis nimis anxie requirendum sit; aut quod facile pro argumẽti fabulosi natura non intelligatur; quod sæpius facit Plautus, & eo est in plerisq; locis obscurior. Sed & ille ita est rei, atque styli attente memor, ut nusquam non cauerit, aut curauerit ea, quæ obesse potuerunt: tum quòd media primis, atq; postremis coniunctim nexuerit; nec quicquam detraxerit, aut quod redundaret addiderit; sed apto ex sese omnia ordine in unum corpus mire affabre uideantur compacta, & composita. Nec prætereundum est illud non minus fere suspiciendum, quòd non ita misceat personas quatuor in colloquendo,

ut obscura sit earum distinctio: & item quòd partim nihil ad populum facit actorem uelut ex Tragœdia loqui; quod uitiũ Plauti quoque frequentiss. est: partim quòd locupletiora argumenta ex duplicibus negotijs deligit ad scribendum: Nam excepta Hecyra, ubi de Pamphili solius amore agitur, cæteræ quinque binos adolescentulos habent. Vides ne quæ sit huius poetæ lectionis admiranda suauitas, & suauis admiratio? quodnam ingenij acumẽ in inueniendo, solertia in disponendo, & in eloquendo lepos? Apud eum plurimum rerum uarietate delectaberis: ab eo disces, quæ sit huius uitæ priuatæ, & ciuilis ratio, quis modus, quis actionum deniq; humanarum ueluti decursus: quàm nos nostris consilijs sæpe deludamur: quàm longe secus nobis contingat, quàm uoluerimus, & statuerimus. quàm in maxime notis interdum cæcutiamus. In summa tu tibi ipse placebis, uel displicebis quidem: dum enim Poesim talem ueluti quotidianæ uitæ speculum (ut Liuius Andronicus dicebat) intueberis, & actionum tuarum, uel alienarum imaginem in ipsa cernes; fieri non poterit quin propter bene acta fœlices exitus non deprehendas, atque sic tibi ipsi gratuleris; uel propter male, tristes; unde mœror, & pœnitudo, quem uel prudentia maior, uel spes certior subsequetur. sin contra & præter opinionem bene, uel male acciderit, fiet, si credis, ut non exultes, dum rerum uicissitudinem perpetuã, fortunæq; temerariam uarietatem coniectabis. & ita huic speculo intentus, ueritatis lineamenta perspicies; sexus naturam obseruabis, ætatis inclinationem perpẽdes, nationis ingenium comperies, professionis diuersitatem notabis, uitæq; animaduertes consuetudinem, senum con-

ſilia, & prudentiam, iuuenum amores, & leuitatem; ſer uorum calliditatem, & uafritiem; lenonum impuritatem & dolum; meretricum luxuriam, & auaritiam; thraſonum uanitatem, & iactantiam; aſſentatorum corruptelam, & importunitatem; patrum indulgentiam, uel aſperitatem; filiorum obſequium, uel neglectum; & (ut ſummatim complectar) totius huius uitæ ſeriem, ac uelut in Tabella Orbem uniuerſum luſtrabis, & explorabis. Eſt enim uita hæc noſtra Ludus, & Fabula comica nonnunquam, nonnunquam etiam tragica. Hæc igitur præſtantia, hæc utilitas, hæc uoluptas, ac ſingularis delectatio, animiq; honeſta recreatio in lectione, & interpretatione Terentij, digni plane, in quo perdiſcendo plurimum operæ, ac ſtudij ponamus: imo à cuius interpretib. doctoribusq; puerorum ſuperſtitioſam (ut uult ille) diligentiam requiramus. Is enim eſt, quem Cicero ſemper in manib. habebat, ſemper uel in ſenatu geſtitabat, uel domi lectitabat; unde tot eductæ ſententiæ, ac teſtimonia, quib. illius opera paßim referta ſunt. Quæ cum ita ſint, modis omnib. enitendum eſt, ut hunc authorem pueri ſtudioſi admirentur, ament, legant, interpretentur, ediſcant, & nullius moroſiorum Stoicorũ noſtri temporis (quib. nihil placet, quam quod uolunt, & faciunt,) aduerſante ſententia deterriti fœliciter per omne tempus adoleſcentiæ, imo & totius uitæ imitentur. Vale.

VOLCATII SEDIGITI IVDICIVM de Terentio, & alijs Comicis.

Multos incertos certare hanc rem uidimus,
Palmam Poetæ Comico cui deferant:
Eum iudice me, errorem dissoluam tibi;
Vt, contra si quis sentiat, nil sentiat.
Cæcilio palmam statuo de Comico:
Plautus secundus facile exuperat cæteros:
Dein Næuius qui seruet, pretio in tertio est:
Si quid quarto detur dabitur Licinio:
Post insequi Licinium facio Atilium:
In sexto consequetur hos Terentius:
Turpilius septimum, Trabea octauum obtinet;
Nono loco esse facile facio Luscium:
Antiquitatis caussa decimum addo Ennium.

Iudicandum.

VINCENTII CORDATI IVDIcium de Terentio, & alijs Comicis.

Quisquis liber uolet se æternum uiuere
Aeuum, is te amicum habet grauem, Geni, illius
Vel Nestoris multorum annorum nescie.
Sed è denario Volcati iudicis
De Comicis Latinis, sed leuis, grege
Cum sint duo soli uitæ superstites
Nobis; & alter horum non Cliens tibi
Iam sit: quid est, cur palmam uni Terentio
Non deferam? quo Musæ Græciæ, & Lati
Diues Thesaurus suppetit descentibus,
Illa scientiæ, rerumq́; copiam,
Ista eloquentiæ, uocumq́; maximam:
Quin huncprobant, legunt, discunt omnes simul.

ἀτμίζω, καὶ ἐλπίζω.

PERSO-

PERSONAE.

Simo senex,
Sosia seruus,
Dauus seruus.
Mysis ancilla,
Pamphilus adolescens,
Carinus adolescens,
Byrrhia seruus,
Lesbia obstetrix,
Glycerium Chremetis filia,
Chremes senex,
Crito hospes,
Dromo seruus.

C. SVLPITII APOLLINARIS

PERIOCHA.

Sororem falso creditam meretriculæ,
Genere Andriæ, Glycerium uitiat Pamphilus:
Grauidaq́; facta, dat fidem uxorem sibi
Fore hanc: nam aliam pater ei desponderat
Gnatam Chremetis: atque, ut amorem comperit,
Simulat futuras nuptias, cupiens suus
Quid haberet animi filius, cognoscere.
Daui suasu non repugnat Pamphilus.
Sed, ex Glycerio natum ut uidit puerulum
Chremes, recusat nuptias, generum abdicat:
Mox filiam Glycerium insperato agnitam
Dat Pamphilo hanc, aliam Charino coniugem.

ACTA LVDIS MEGALENSIB. M. FVLuio, & M. Glabrione ædilib. curulib. egerunt L. Ambiuius Turpio, L. Atilius Prænestinus. modos fecit Flaccus Claudii, Tibiis parib. dextris, & sinistris. & est tota Græca, edita, M. Marcello, C. Sulpitio Coss.

PROLOGVS.

POETA cum primum animum ad scribendum appulit,
Id sibi negoti credidit solum dari,
Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.
Verum aliter euenire multo intelligit:
Nam in prologis scribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, sed qui maleuoli
Veteris poetæ maledictis respondeat.
Nunc, quam rem uitio dent, quæso animum aduortite.
Menander fecit Andriam, & Perinthiam.
Qui utramuis recte norit, ambas nouerit.
Non ita sunt dißimili argumento, sed tamen
Dißimili oratione sunt factæ, ac stylo.
Quæ conuenere, in Andriam ex Perinthia
Fatetur transtulisse, atque usum pro suis.
Isti id uituperant factum, atque in eo disputant,
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant.
Qui cum hunc accusant, Næuium, Plautum, Ennium
Accusant, quos hic noster auctores habet:
Quorum æmulari exoptat negligentiam
Potius, quàm istorum obscuram diligentiam.

Dehinc ut quieſcant porro, moneo, & deſinant
Maledicere, malefacta ne noſcant ſua.
Fauete, adeſte æquo animo, & rem cognoſcite,
Vt pernoſcatis, ecquid ſpei ſit relliquum,
Poſthac quas faciet de integro comœdias,
Spectandæ, an exigendæ ſint uobis prius.

ACTVS PRIMI SCENA I.

SIMO, SOSIA.

SI. Vos iſthæc intro auferte: abite. Soſia
Ades dum: paucis te uolo. SO. dictum puta.
Nempe ut curentur recte hæc. SI. immo
aliud. SO. quid eſt,
Quod tibi mea ars efficere hoc poſsit amplius?
SI. Nihil iſtac opus eſt arte ad hanc rem quam paro.
Sed ijs, quas ſemper in te intellexi ſitas,
Fide, & taciturnitate. SO. expecto, quid uelis.
SI. Ego poſtquam te emi a paruulo, ut ſemper tibi
Apud me iuſta, & clemens fuerit ſeruitus,
Scis. feci, e ſeruo ut eſſes libertus mihi,
Propterea quod ſeruiebas liberaliter.
Quod habui ſummum pretium, perſolui tibi.
SO. In memoria habeo. SI. haud muto factum. SO. gaudeo,
Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat Simo, &,
Id gratum fuiſſe aduorſum te, habeo gratiam.
Sed mihi hoc moleſtum eſt: nam iſthæc commemoratio
Quaſi exprobratio eſt immemoris benefici.
Quin tu uno uerbo dic, quid eſt, quod me uelis.
SI. Ita faciam. hoc primum in hac re prædico tibi:

Quas credis esse has, non sunt ueræ nuptiæ.
SO. Cur simulas igitur? SI. rem omnem a principio audies.
Eo pacto & gnati uitam, & consilium meum
Cognosces, & quid facere in hac re te uelim.
Nam is postquam excessit ex ephebis Sosia,
Liberius uiuendi fuit potestas: nam antea
Qui scire posses, aut ingenium noscere,
Dum ætas, metus, magister prohibebant? SO. ita est.
SI. Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Vt animum ad aliquod studium adiungant, aut equos
Alere, aut canes ad uenandum, aut ad philosophos:
Horum ille nihil egregie præter cetera
Studebat, & tamen omnia hæc mediocriter.
Gaudebam. SO. non iniuria: nam id arbitror
Apprime in uita esse utile, ut NE QVID NIMIS.
SI. Sic uita erat: facile omnes perferre, ac pati:
Cum quibus erat cumque una, ijs sese dedere,
Eorum obsequi studijs, aduersus nemini,
Numquam præpones se alijs. ita facillime
Sine inuidia inuenias laudem, & amicos pares.
SO. Sapienter uitam instituit: namque hoc tempore
OBSEQVIVM AMICOS, VERITAS
ODIVM PARIT.
SI. Interea mulier quædam ab hinc triennium
Ex Andro commigrauit huc uiciniæ,
Inopia, & cognatorum neglegentia
Coacta, egregia forma, atque ætate integra.
SO. Hei uereor, ne quid Andria apportet mali.
SI. Primum hæc pudice uitam, parce, ac duriter
Agebat, lana, ac tela uictum quæritans:

Sed postquam amans accessit, pretium pollicens,
Vnus, & item alter; ita ut ingenium est omnium
Hominum a labore procliue ad lubidinem,
Accepit conditionem, dein quæstum occipit.
Qui tum illam amabant, forte, ita ut fit, filium
Perduxere illuc secum, ut una esset, meum.
Egomet continuo mecum: certe captus est:
Habet. obseruabam mane illorum seruulos
Venientes, aut abeuntes: rogitabam, heus puer,
Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit? nam Andriæ
Illi id erat nomē. SO. teneo. SI. Phædrum, aut Cliniam
Dicebant, aut Niceratum. (nam hi tres tum simul
Amabant) eho, quid Pamphilus? quid? symbolum
Dedit, cœnauit. Gaudebam. item alio die
Quærebam: comperiebam nihil ad Pamphilum
Quidquam attinere. enim uero spectatum satis
Putabam, & magnum exemplum continentiæ:
Nam qui cum ingenijs conflictatur eiusmodi,
Neque commouetur animus in ea re tamen,
Scias posse habere iam ipsum suæ uitæ modum.
Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere, & laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.
Quid uerbis opus est? hac fama impulsus Chremes
Vltro ad me uenit, unicam gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem ut daret.
Placuit: despondit: hic nuptijs dictus est dies.
SO. Quid obstat, cur non ueræ fiant? SI. audies.
Fere in diebus paucis, quibus hæc acta sunt,
Chrysis uicina hæc moritur. SO. o factum bene:

Beasti: metui a Chryside. SI. ibi tum filius
Cum illis, qui amarant Chrysidem, una aderat frequens:
Curabat una funus: tristis interim,
Nonnumquam conlacrumabat. placuit tum id mihi.
Sic cogitabam; hic paruæ consuetudinis
Caussa mortem huius tam fert familiariter:
Quid, si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?
Hæc ego putabam esse omnia humani ingeni
Mansuetiq. animo officia. quid multis moror?
Egomet quoque eius caussa in funus prodeo,
Nihil suspicans etiam mali. SO. hem quid est? SI. scies,
Effertur: imus. interea inter mulieres,
Quæ ibi aderant, forte unam adspicio adolescentulam,
Forma. SO. bona fortasse. SI. & uoltu Sosia
Adeo modesto, adeo uenusto, ut nihil supra,
Quia tum mihi lamentari præter ceteras
Visa est, & quia erat forma præter ceteras
Honesta, & liberali; accedo ad pedisequas;
Quæ sit, rogo. sororem esse aiunt Chrysidis.
Percußit illico animum. at at, hoc illud est,
Hinc illæ lacrumæ, hæc illa est misericordia.
SO. Quam timeo, quorsum euadas. SI. funus interim
Procedit: sequimur: ad sepulcrum uenimus.
In ignem posita est: fletur. interea hæc soror,
Quam dixi, ad flammam acceßit imprudentius,
Sati' cum periculo. ibi tum exanimatus Pamphilus
Bene dißimulatum amore, & celatum indicat:
Accurrit: mediam mulierem complectitur:
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?
Tum illa, ut consuetum facile amorem cerneres,

Reiecit ſe in eum flens quam familiariter .
SO. Quid ais? SI. redeo inde iratus, atque ægre ferens .
Nec ſatis ad obiurgandum cauſſæ . diceret,
Quid feci? quid commerui, aut peccaui pater?
Quæ ſeſe uoluit in ignem iniijcere. prohibui,
Seruaui. honeſta oratio eſt. SO. recte putas:
Nam ſi illum obiurges, uitæ qui auxilium tulit;
Quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum?
Venit Chremes poſtridie ad me, clamitans,
Indignum facinus, comperiſſe, Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam. ego illud ſedulo
Negare factum. ille inſtat factum. denique
Ita tum diſcedo ab illo, ut qui ſe filiam
Neget daturũ. SO. non tu ibi gnatũ? SI. ne hæc quidem
Sati' uehemens cauſſa ad obiurgandum. SO. qui, cedo?
SI. Tute ipſe his rebus finem præſcripſiſti pater:
Prope adeſt, cum alieno more uiuendum eſt mihi:
Sine nunc meo me uiuere interea modo.
SO. Quis igitur relictus eſt obiurgandi locus?
SI. Si propter amorem uxorem nolit ducere.
Ea primum ab illo animaduertenda iniuria eſt.
Et nunc id operam do, ut per falſas nuptias
Vera obiurgandi cauſſa ſit, ſi deneget;
Simul, ſceleratus Dauus ſi quid conſili
Habet, ut conſumat nunc, cum nihil obſint doli:
Quem ego credo manibus, pedibusque obnixe omnia
Facturum, magis id adeo, mihi ut incommodet,
Quam ut obſequatur gnato. S. quapropter? SI. rogas?
Mala mens, malus animu'. quem quidem ego ſi ſenſero.
Sed quid opu'ſt uerbis? ſin eueniat, quod uolo,

In Pamphilo ut nil sit moræ: restat Chremes:
Qui mihi exorandus est, & spero confore.
Nunc tuum est officium, has bene ut assimules nuptias,
Perterrefacias Dauum, obserues filium,
Quid agat, quid cum illo consilij captet. SO. sat est.
Curabo: eamus iam nunc intro. SI. i præ, sequar.
Non dubium est quin uxorem nolit filius:
Ita Dauum modo timere sensi, ubi nuptias
Futuras esse audiuit. sed ipse exit foras.

ACTVS PRIMI SCENA II.

DAVVS, SIMO.

D. MIRABAR, hoc si sic abiret: & heri semper lenitas,
Verebar, quorsum euaderet.
Qui postquam audierat non datum iri filio uxorem suo,
Numquam cuiquam nostrum uerbum fecit, neque id ægre tulit.
S. At nunc faciet, neque, ut opinor, sine tuo magno malo.
D. Id uoluit, nos sic nec opinantes duci falso gaudio,
Sperantes iam amoto metu, interea oscitantes opprimi,
Vt ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias:
Astute. S. carnufex quæ loquitur? D. herus est, neque præuideram.
S. Daue. D. hem, quid est? S. ehodum ad me. D. quid hic uolt? S. quid ais? D. qua de re? S. rogas?
Meum gnatum rumor est amare. D. id populus curat scilicet.
S. Hoccine agis, an non? D. ego uero istuc. S. sed nunc ea me exquirere,
Iniqui patris est: nam, quod antehac fecit, nihil ad me attinet:

Dum tempus ad eam rem tulit, siui animum ut expleres suum:
Nunc hæs dies aliam uitam affert, alios mores postulat.
Dehinc postulo, siue æquum est, te oro Daue, ut redeat iam in uiam.
D. Hoc quid sit? S. omnes qui amant, grauiter sibi dari uxorem ferunt.
D. Ita aiunt. S. tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum,
Ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem plerumque applicat.
D. Non hercle intelligo. S. non? hem. D. non: Dauus sum, non Oedipus,
S. Nempe ergo aperte uis, quæ restant, me loqui. D. sane quidem.
S. Si sensero hodie, quidquam in his te nuptijs
Fallaciæ conari, quo fiant minus;
Aut uelle in ea re ostendere, quam sis callidus:
Verberibus cæsum te in pistrinum Daue, dedam usque ad necem,
Ea lege, atque omine, ut, si te inde exemerim, ego pro te molam.
Quid, hoc? intellextin'? an nondum etiam ne hoc quidem? D. immo callide:
Ita aperte ipsam rẽ modo locutus: nihil circuitione usus es.
S. Vbiuis, facilius passus sim, quam in hac re, me deludier.
D. Bona uerba quæso. S. irrides? nihil me fallis. sed dico tibi,
Ne temere facias, neque tu hoc dicas tibi non prædictum. caue.

ACTVS PRIMI SCENA III.

DAVVS.

E NIMVERO Daue, nihil loci est segnitiæ, neque socordiæ,
Quantum intellexi modo senis sententiam de nuptijs.
Quæ si non astu prouidentur, me, aut herũ pessumdabunt.
Nec, quid agam, certum est, Pamphilum ne adiutem, an auscultem seni.
Si illũ relinquo, eius uitæ timeo; sin opitulor, huius minas:
Cui uerba dare difficile est. primum iam de amore, hoc comperit:
Me infensus seruat, ne quam faciam in nuptijs fallaciam.
Si senserit, perij; aut, si libitum fuerit, caussam ceperit,
Quo iure, quaq; iniuria præcipitem in pistrinum dabit.
Ad hæc mala hoc mi accedit etiam: hæc Andria,
Siue ista uxor, siue amica est, grauida e Pamphilo est:
Audireque eorum est operæpretium audaciam:
Nam inceptio est amentium, haud amantium:
Quidquid peperisset, decreuerunt tollere:
Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam,
Ciuem Atticam esse hanc: fuit olim quidam senex,
Mercator: nauem is fregit apud Andrum insulam:
Is obijt mortem: ibi tum hanc eiectam Chrysidis
Patrem recepisse orbam, paruam. fabulæ.
Mihi quidem non hercle fit uerisimile.
Atqui ipsis commentum placet.
Sed Mysis ab ea egreditur. at ego hinc me ad forum, ut
Conueniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

ACTVS PRIMI SCENA IV.

MYSIS.

AVDIVI Archillis iamdudum: Lesbiam adduci iubes.

Sane pol illa temulenta est mulier, & temeraria,
Nec sati digna, cui committas primo partu mulierem:
Tamen eam adducam. importunitatem spectate aniculæ:
Quia compotrix eius est. Di date facultatem obsecro
Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum.
Sed quidnam Pamphilum exanimatum uideo? uereor, quid siet
Opperiar, ut sciam, numquidnam hæc turba tristitiæ afferat.

ACTVS PRIMI SCENA V.

PAMPHILVS, MYSIS.

P. HOCCINE est humanum factum, aut inceptum? hoccine officium patris?
M. Quid illud est?
P. Pro Deum, atque hominum fidem, quid est, si non hæc contumelia est?
Vxorem decreuit dare sese mi hodie: non ne opportuit
Præscisse me ante? non ne prius communicatum oportuit?
M. Miseram me, quod uerbum audio? P. quid Chremes? qui denegauerat,
Se commissurum mihi gnatam suam uxorē: id mutauit:
Quoniam me immutatum uidet.
Ita ne obstinate operam dat, ut me a Glycerio miserum abstrahat?
Quod si fit, pereo funditus.
Adeon' hominem inuenustū esse, aut infelicem quemquā, ut ego sum?

Pro deum, atque hominum, nullon' ego
Chremetis pacto affinitatem effugere potero? quot modis
Contemptus, spretus? facta, transacta omnia. hem
Repudiatus repetor, quamobrem? nisi si id est, quod suspicor:
Aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest,
Itur ad me. M. oratio hæc me miseram exanimauit metu.
P. Nam quid ego dicam de patre? ah
Tantam ne rem tam neglegenter agere? praeteriens modo
Mihi apud forum, uxor tibi ducenda est Pamphile hodie inquit: para:
Abi domum. id mihi uisus est dicere, abi cito, et suspende te.
Obstupui. censen' ullum me uerbũ potuisse proloqui?
Aut ullam caussam, ineptam saltem, falsam, iniquam? obmutui.
Quod si ego prius id rescissem; quid facerem, si quis nunc me roget;
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. sed nunc primum quid exequar?
Tot meme impediunt curæ, quæ meum animum diuerse trahunt;
Amor, huius misericordia, nuptiarum sollicitatio,
Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc,
Quæ meo cumque animo libitum est, facere: ei ne ego ut aduorser? hei mihi,
Incertum est, quid agam. M. misera timeo, hoc incertum quorsum accidat.
Sed nunc peropus est, aut hunc cum ipsa, aut me aliquid de illa aduorsum hunc loqui.

Dum in dubio est animus, paullo momento huc illuc impellitur.

P. Quis hic loquitur? Mysis salue. M. ò salue Pamphile.
P. quid agit? M. rogas?
Laborat e dolore: atque ex hoc misera sollicita est, diem
Quia olim in hunc sunt constitutæ nuptiæ: tum autem hoc timet,
Ne deseras se. P. hem, ego ne istuc conari queam?
Ego propter me illam decipi miseram sinam?
Quæ mihi suum animum, atque omnem uitam credidit,
Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim;
Bene, & pudice eius doctum, atque eductum, sinam,
Coactum egestate ingenium immutarier?
Non faciam. M. haud uereor, si in te solo sit situm:
Sed uim ut queas ferre. P. adeon' me ignauum putas?
Adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum,
Vt neque me consuetudo, neque amor, neque pudor
Commoueat, neque commoneat, ut seruem fidem?
M. Vnum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui.
P. Memor essem? o Mysis Mysis, etiam nunc mihi
Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis
De Glycerio. iam ferme moriens me uocat:
Accessi: uos semotæ: nos soli: incipit:
Pamphile, huius formam, atque ætatem uides,
Nec clam te est, quam illi utræque res inutiles
Et ad pudicitiam, & tutandam ad rem sient.
Quod ego per hanc te dextram oro, & genium tuum,
Per tuam fidem, perq; huius solitudinem
Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras,
Si te in germani fratris dilexi loco,

Siue hæc te solum semper fecit maxumi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.
Te isti uirum do, amicum, tutorem, patrem:
Bona nostra hæc tibi committo, & tuæ mando fidei.
Hanc me in manum dat: mors continuo ipsam occupat.
Accepi: acceptam seruabo. M. ita spero quidem.
P. Sed cur tu ab illa? M. obstetricem accerso. P. propterea:
Atque audin'? uerbum unum cauet de nuptijs,
Ne ad morbum hoc etiam. M. teneo.

ACTVS SECVNDI SCENA I.

CHARINVS, BYRRHIA, PAMPHILVS.

QVID ais Byrrhia?
Datur illa Pamphilo hodie nuptum? B. sic est.
C. qui scis Byrrhia?
B. Apud forũ modo de Dauo audiui. C. uæ uæ misero mihi.
Vt animus in spe, atque in timore usque antehac attentus fuit,
Ita, postquã adempta spes est, lassus, cura confectus stupet.
B. Quæso ædepol Charine, quoniam id fieri, quod uis, non potest,
Velis id, quod possit. C. nihil aliud, nisi Philumenam, uolo.
B. Ah, quanto satius est, id operam te dare,
Istum qui amorem ex animo amoueas, quam id loqui,
Quo magis libido frustra incendatur tua.
C. FACILE OMNES, CVM VALEMVS, RECTA CONSILIA AEGROTIS DAMVS.
Tu, si hic sis, aliter sentias. B. age age, ut lubet. C. sed Pamphilum
Video. omnia experiri certum est prius, quam pereo. B. quid hic agit?

C. Ipſum hunc orabo: huic ſupplicabo: amorem huic narrabo meum:
Credo, impetrabo, ut aliquot ſaltem nuptijs prodat dies.
Interea fiet aliquid, ſpero. B. id aliquid nihil eſt. C. Byrrhia,
Quid tibi uidetur? adeon' ad eum? B. quid ni? ſi nihil impetres,
Vt te arbitretur ſibi paratum mœcum, ſi illam duxerit.
C. Abi hinc, abi in malam crucem cum ſuſpicione iſtac ſcelus:
P. Charinum uideo, ſalue. C. o ſalue Pamphile:
Ad te uenio, ſpem, ſalutem, auxilium, conſilium expetens.
P. Neque pol conſili locum habeo, neque auxilij copiam.
Sed iſtuc quidnam eſt? C. hodie uxorem ducis? P. aiunt. C. Pamphile,
Si id facis, hodie poſtremum me uides. P. quid ita? C. hei mihi,
Vereor dicere: huic dic quæſo Byrrhia. B. ego dicam. P. quid eſt?
B. Sponſam hic tuam amat. P. næ iſte haud mecum ſentit. ehodum dic mihi,
Numquidnam amplius tibi cum illa fuit Charine? C. ah Pamphile,
Nil. P. quam uellem. C. nuc te per amicitiam, & per amorem obſecro,
Principio ut ne ducas. P. dabo equidem operam. C. ſed ſi id non potes,
Aut tibi nuptiæ hæ ſunt cordi. P. cordi? C. ſaltem aliquot dies
Profer, dum proficiſcor aliquo, ne uideam. P. audi nunc iam:

Ego Charine neutiquam officium esse liberi puto,
Cum is nil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi.
Nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipiscier.
C. Reddidisti animum. P. nunc si quid potes aut tu, aut hic Byrrhia,
Facite, fingite, inuenite, efficite, qui detur tibi:
Ego id agam, mihi qui ne detur, C. sat habeo. P. Dauum optume
Video. huius consilio fretus sum. C. at tu hercle haud quidquam mihi,
Nisi ea, quæ nihil opu' sunt sciri. fugin' hinc? S. ego uero ac lubens.

ACTVS SECVNDI SCENA II.

DAVVS, CHARINVS, PAMPHILVS.

D. DI BONI, boni quid porto? sed ubi inueniam Pamphilum,
Vt metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio?
C. Lætus est, nescio quid. P. nihil est. nondum hæc resciuit mala.
D. Quem ego nunc credo; si iam audierit sibi paratas nuptias,
C. Audin' tu illum? D. toto me oppido exanimatū quærere.
Sed ubi quæram? aut quo nunc primum intendam? C. cessas alloqui?
D. Abeo. P. Daue ades, resiste. D. quis homo est, qui me? o Pamphile,
Te ipsum quæro. euge o Charine: ambo opportune: uos uolo
P. Daue, perij. D. quin tu hoc audi. P. interij. D. quid timeas, scio.
C. Mea quidem hercle in dubio uita est. D. & tu quid, scio.

P. Nu-

P. Nuptiæ mihi. D. & id scio. P. hodie. D. obtundis, tametsi intelligo.

Id paues, ne ducas tu illam: tu autem, ut ducas. C. rem tenes.

P. Istuc ipsum. D. atque istuc ipsum, nil pericli est: me uide.

P. Obsecro te, quamprimum hoc me libera miserum metu. D. hem,

Libero: uxorem tibi iam non dat Chremes. P. qui scis? D. scio.

Tuus pater modo me prehendit: ait, tibi uxorem dare

Hodie, item alia multa, quæ nunc non est narrandi locus.

Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi hæc.

Vbi te non inuenio, ibi adscendo in quendã excelsum locũ,

Circumspicio: nusquam. forte ibi huius uideo Byrrhiam:

Rogo: negat uidisse: mihi molestum quid agam, cogito.

Redeunti interea ex ipsa re mi incidit suspectio: hem,

Paullulum obsoni, ipsius tristis, de improuiso nuptiæ:

Non cohærent. P. quorsum nam istuc? D. egomet continuo ad Chremem.

Cum illo aduenio, solitudo ante ostium: iam id gaudeo.

P. Recte dicis, perge. D. maneo: interea introire neminem

Video, exire neminem, matronam nullam, in ædibus

Nil ornati, nil tumulti. accessi, introspexi. P. scio.

Magnum signũ. D. num uidentur conuenire hæc nuptijs?

P. Non opinor, Daue. D. opinor, narras? non recte accipis.

Certa res est. etiam puerum inde abiens conueni Chremis,

Holera, & pisciculos minutos ferre obolo in cœnam seni.

C. Liberatus sum Daue, hodie tua opera. D. at nullus quidem

C. Quid ita? nempe huic prorsus illam non dat. D. ridi-

culum caput.
Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere.
Nisi uides, nisi senis amicos oras, ambis. C. bene mones.
Ibo: etsi hercle sæpe iam me spes hæc frustrata est. uale.

ACTVS SECVNDI SCENA III.

PAMPHILVS, DAVVS.

P. QVID igitur sibi uolt pater? cur simulat? D. ego dicam tibi.
Si id succenseat nunc, quia non det tibi uxorem Chremes,
Ipsu' sibi esse iniurius uideatur: neque id iniuria:
Prius, quam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit.
Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet:
Tum illæ turbæ fient. P. quid? uis patiar? D. pater est, Pamphile.
Difficile est. tum hæc sola est mulier. dictum ac factum inuenerit
Aliquam caussam, quamobrem eijciat oppido. P. eijciat? D. cito.
P. Cedo igitur, quid faciam Daue? D. dic te ducturum. P. hem. D. quid est?
P. Ego dicam? D. cur non? P. numquam faciam. D. ne nega.
P. Suadere noli. D. ex ea re quid fiat, uide.
P. Vt ab illa excludar, huc concludar. D. non ita est.
Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem:
Ducas uolo hodie uxorem. tu, Ducam, inquies:
Cedo, quid iurgabit tecum? hic reddes omnia,
Quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta ut fient,

Sine omni periculo: nam hocce haud dubium est, quin Chremes
Tibi non det gnatam: nec tu ea caussa minueris
Hæc, quæ facis, ne is mutet suam sententiam.
Patri dic uelle: ut, cum uelit tibi iure irasci, non queat.
Nam quod tu speres, propulsabo facile. uxorem his moribus
Dabit nemo. inopem inueniet potius, quam te corrumpi sinat:
Sed si te æquo animo ferre accipiet, neglegentem feceris.
Aliam otiosus quæret: interea aliquid acciderit boni.
P. Itan' credis? D. haud dubium id quidem est. P. uide, quo inducas. D. quin taces?
P. Dicam. puerum autem ne resciscat mihi esse ab illa, cautio est:
Nam pollicitus sum suscepturum. D. o facinus audax. P. hanc fidem
Sibi, me obsecrauit, qui se sciret non deserturum, ut darem.
D. curabitur. sed pater adest. caue, te esse tristem sentiat.

ACTVS SECVNDI SCENA IV.

SIMO, DAVVS, PAMPHILVS.

S. REVISO, quid agant, aut quid captent consili.
D. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.
Venit meditatus alicunde ex solo loco.
Orationem sperat inuenisse se,
Qua differat te: proin' tu face; apud te ut sies.
P. Modo ut possim. D. crede mihi hoc inquam Pamphile,
Numquam hodie tecum commutaturum patrem
Vnum esse uerbum, si te dices ducere.

ACTVS SECVNDI SCENA V.

BYRRHIA, SIMO, DAVVS, PAMPHILVS.

B. HERVS me, relictis rebus, iußit Pamphilum
Hodie obseruare, ut, quid ageret de nuptijs,
Scirem. id propterea nunc hunc uenientē sequor.
Ipsum adeo præsto uideo cum Dauo. hoc agam.
S. Vtrumque adesse uideo. D. hem serua. S. Pamphile.
D. Quasi de improuiso respice ad eum. P. hem pater.
D. Probe. S. hodie uxorem ducas, ut dixi, uolo.
B. Nunc nostræ parti timeo, quid hic respondeat.
P. Neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora.
B. hem.
D. Obmutuit. B. quid dixit? S. facis, ut te decet.
Cum istuc, quod postulo, impetro cum gratia.
D. Sum uerus? B. herus, quantum audio, uxore excidit.
S. Iam nunc intro, ne in mora, cum opu' sit, sies.
P. Eo. B. nulla ne in re esse homini cuiquam fidem?
Verum illud uerbum est, uolgo quod dici solet,
OMNES SIBI MELIVS MALLE ESSE,
QVAM ALTERI.
Ego illam uidi uirginem: forma bona
Memini uidere: quo æquior sum Pamphilo,
Si se illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.
Renunciabo; ut pro hoc malo mihi det malum.

ACTVS SECVNDI SCENA VI.

DAVVS, SIMO.

D. HIC nunc me credit aliquam sibi fallaciam
Portare, & ea me hic restitisse gratia.
S. Quid Dauus narrat? D. æque quidquam
nunc quidem

S. Nihilne? hem. D. nihil prorſus. S. atqui expectabam quidem.
D. Præter ſpem euenit: ſentio: hoc male habet uirum.
S. Potin' es mihi uerum dicere? D. nihil facilius.
S. Num illi moleſtæ quippiam hæ ſunt nuptiæ,
Huiuſce propter conſuetudinem hoſpitæ?
D. Nihil hercle: aut, ſi adeo, bidui eſt, aut tridui
Hæc ſollicitudo: noſtin'? deinde deſinet:
Etenim eam ſecum rem recta reputauit uia.
S. Laudo. D. dum licitum eſt illi, dumque ætas tulit,
Amauit: tum id clam: cauit, ne umquam infamiæ
Ea res ſibi eſſet, ut uirum fortem decet.
Nunc uxore opus eſt: animum ad uxorem appulit.
S. Subtriſtis uiſu' eſt eſſe aliquantulum mihi.
D. Nihil propter hanc rem: ſed eſt, quod ſuccenſet tibi.
S. Quidnam eſt? D. puerile eſt. S. quid eſt? D. nihil. S. quin dic, quid eſt.
D. Ait nimium parce facere ſumptum. S. me ne? D. te.
Vix, inquit, drachmis obſonatus eſt decem:
Num filio uidetur uxorem dare?
Quem, inquit, uocabo ad cœnam meorum æqualium
Potiſsimum nunc? &, quod dicendum hic ſiet,
Tu quoque perparce nimium. non laudo. S. tace.
D. Commoui. S. ego, iſthæc recte ut fiant, uidero.
Quidnam hoc rei eſt? quidnam hic uolt ueterator ſibi?
Nam ſi hic mali eſt quidquam, hem illhic eſt huic rei caput.

ACTVS TERTII SCENA PRIMA.

MYSIS, SIMO, DAVVS, LESBIA, GLYCERIVM.

M. ITA pol quidem res est, ut dixti Lesbia:
FIDELEM HAVD FERME MVLIERI INVENIAS VIRVM.
S. Ab Andria est ancilla hæc. quid narras? D. ita est.
M. Sed hic Pamphilus. S. quid dicit? M. firmauit fidem.
S. hem.
D. Vtinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit.
M. Nam quod peperisset, iussit tolli, S. o Iuppiter,
Quid ego audio? actum est, siquidem hæc uera prædicat.
L. Bonum ingenium narras adolescentis. M. optumum.
Sed sequere me intro, ne in mora illi sis. L. sequor.
D. Quod remedium nunc huic malo inueniam? S. quid hoc?
Adeon' est demens? ex peregrina? iam scio: ah
Vix tandem sensi stolidus. D. quid hic sensisse ait?
S. Hæc primum affertur iam mihi ab hoc fallacia.
Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant.
G. Iuno Lucina fer opem, serua me obsecro.
S, Hui, tam cito? ridiculum. postquam ante ostium
Me audiuit stare, approperat. non sat commode
Diuisa sunt temporibus tibi Daue, hæc. D. mihin'?
S. Num immemor es discipuli? Ego, quid narres,
nescio.
S. Hiccine si me imparatum in ueris nuptijs
Adortus esset, quos mihi ludos redderet?
Nunc huius periculo fit. ego in portu nauigo.

ACTVS TERTII SCENA II.

LESBIA, SIMO, DAVVS.

L. ADHVC Archillis, quæ assolẽt, quæq; oportet.
Signa ad salutem esse, omnia huic esse uideo.
Nunc primum fac isthæc ut lauet: post deinde,
Quod iussi ei dare bibere, &, quantum imperaui,
Date: mox ego huc reuertor.
Per hæcastor, scitu' puer natu'est Pamphilo.
Deos quæso, ut superstes: quando quidem ipse est ingenio bono,
Cumq; huic ueritus est optumæ adolescenti facere iniuriã.
S. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te esse ortum?
D. quid nam id est?
S. Non imperabat coram, quid opus facto esset puerperæ:
Sed postquã egressa est, illis, quæ sunt intus, clamat de uia.
O Daue, itan' contemnor abs te? aut ita ne tandem idoneus
Tibi uideor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Saltem accurate, ut metui uidear certe, si resciuerim.
D. Certe hercle nunc hic se ipsus fallit, haud ego. SI. edixin' tibi?
Interminatus sum, ne faceres? num ueritus? quid retulit?
Credon' tibi hoc, nunc peperisse hanc e Pamphilo?
D. Teneo, quid erret: quid agam? Habeo. S. quid taces?
D. Quid credas? quasi non tibi renunciata sint hæc sic fore.
S. Mihin' quisquam? D, eho, an tute intellexti hoc assimulari? S. irrideor.
D. Renunciatum est: nam qui isthæc tibi incidit suspectio?
S. Qui? quia te noram. D. quasi tu dicas, factum id consilio meo.

S. Certe enim ſcio. D. non ſatis me pernoſti etiam, qualis ſim, Simo.

S. Ego ne te? D. ſed, ſi quid narrare occœpi, continuo dari
Tibi uerba cenſes. S. falſo. D. itaque hercle nihil iam mutire audeo.

S. Hoc ego ſcio unum, neminem peperiſſe hic. D. intellextin'?
Sed nihilo ſeciu' mox deferent puerum huc ante oſtium.
Id ego iam nunc tibi renuncio here futurum, ut ſis ſciens;
Ne hoc poſterius dicas. Daui factum conſilio, aut dolis.
Prorſus a me opinionem hanc tuam ego eſſe amotam uolo.

S. Vnde id ſcis? D. audiui, & credo. multa concurrunt ſimul,
Qui coniecturam hanc nunc facio. iam primum hæc ſe e Pamphilo
Grauidam dixit eſſe. inuentum eſt falſum. nunc, poſtquam uidet
Nuptias domi apparari, miſſa eſt ancilla illico
Obſtetricem accerſitum ad eam, & puerum ut afferret ſimul.
Hoc niſi fit, puerum ut tu uideas, nil mouentur nuptiæ.

S. Quid ais? cum intellexeras,
Id conſilij capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?

D. Quis igitur eum ab illa abſtraxit, niſi ego? nam omnes nos quidem
Scimus quam miſere hanc amari: nunc ſibi uxorem expetit.
Poſtremo id mihi da negoti. tu tamen idem has nuptias
Perge facere ita, ut facis: &, id ſpero adiuturos Deos.

S. Immo abi intro. ibi me opperire, & quod parato opus eſt, para.

Nam impulit me, hæc nunc omnino ut crederem.
Atque haud ſcio, an, quæ dixit, ſint uera omnia:
Sed paruipendo. illud mihi multo maxumum eſt,
Quod mihi pollicitu' eſt ipſus gnatus. nunc Chremem
Conueniam: orabo gnato uxorem: ſi impetro,
Quid alias malim, quam hodie has fieri nuptias?
Nam gnatus quod pollicitu' eſt, haud dubium eſt mihi,
Si nolit, quin eum merito poßim cogere.
Atque adeo in tempore eccum ipſum obuiam Chremem.

ACTVS TERTII SCENA III.

SIMO, CHREMES.

S. IVBEO Chremetem. C. oh, te ipſum quærebam. S. & ego te. C. optato aduenis.
Aliquot me adiere, ex te auditum qui aiebant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato: id uiſo, tu ne, an illi inſaniant.
S. Auſculta paucis: &, quid ego te uelim, & tu quod quæris, ſcies.
C. Auſculto: loquere, quid uelis.
S. Per ego te Deos oro, & noſtram amicitiam Chreme,
Quæ incepta a paruis cum ætate accreuit ſimul;
Perq; unicam gnatam tuam, & gnatum meum,
Cuius tibi poteſtas ſumma ſeruandi datur;
Vt me adiuues in hac re, atque ita, uti nuptiæ
Fuerant futuræ, fiant. C. ah ne me obſecra:
Quaſi hoc te orando a me impetrare oporteat.
Alium eſſe cenſes nunc me, atque olim, cum dabam?
Si in rem eſt utrique, ut fiant, acceſſi iube.
Sed ſi ex ea re plus mali eſt, quam commodi
Vtrique; id oro te, in commune ut conſulas,

Quasi illa tua sit, Pamphiliq́; ego sim pater.
S. Immo ita uolo, itaq́; postulo ut fiat, Chreme:
Neque postulem abs te, nisi ipsa res moneat. C. quid est?
S. Iræ sunt inter Glycerium, & gnatum. C. audio.
S. Ita magnæ, ut sperem posse auelli. C. fabulæ.
S. Profecto sic est. C. sic hercle, ut dicam tibi:
AMANTIVM iræ, amoris integratio est.
S. Hem, id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur,
Dumq́; eius lubido occlusa est contumelijs,
Prius quam harum sceleris, & lacrumæ confictæ dolis
Reducant animum ægrotum ad misericordiam.
Vxorem demus. spero consuetudine, &
Coniugio liberali deuictum, Chreme,
Dehinc facile ex illis sese emersurum malis.
C. Tibi ita uidetur, at ego non posse arbitror
Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.
S. Qui scis ergo isthuc, nisi periculum feceris?
C. At istuc periculum in filia fieri, graue est.
S. Neque incommoditas denique huc omnis redit;
Si eueniat, quod Di prohibeant, discessio.
At si corrigitur; quot commoditates, uide:
Principio amico filium restitueris:
Tibi generum firmum, & filiæ inuenies uirum.
C. Quid istuc? si istuc animum induxti esse utile,
Nolo tibi ullum commodum in me claudier.
S. Merito te semper maxumi feci, Chreme.
C. Sed quid ais? S. quid? C. qui scis eos nunc discordare inter se?
S. Ipsu' mihi Dauos, qui intimu' est eorum consilijs, dixit:
Et is mihi suadet, nuptias, quantum queam, ut maturem.

Num censes faceret, filium nisi sciret eadem hæc uelle?
Tute adeo iam eius audies uerba. heus euocate huc Dauom.
Sed eccum uideo ipsum foras exire.

ACTVS TERTII SCENA IV.

DAVVS, SIMO, CHREMES.

D. D te ibam. S. quid nam est?
D. A Cur non accersitur? iam aduesperascit.
S. audin' tu illum?
Ego dudum non nil ueritus sum Daue abs te, ne faceres idē,
Quod uolgus seruorum solet, dolis ut me deluderes?
Propterea quod amat filius. D. egon' istuc facerem?
S. credidi:
Id'q; adeo metuens uos celaui, quod nunc dicam. D. quid?
S. scies.
Nam propemodum habeo iam tibi fidem. D. tandem agnosti, qui siem.
S. Non fuerant nuptiæ futuræ. D. quid non? S. sed ea gratia
Simulaui, uos ut pertentarem. D. quid ais? S. sic est res.
D. uide.
Numquam quiui ego istuc intelligere. uah consilium callidum.
S. Hoc audi. ut hinc te iussi introire, opportune hic fit mihi obuiam.
D. Hem numnam periimu'? S. narro, quæ tu dudum narrasti mihi.
D. Quidnam audio? S. gnatam ut det, oro; uix'q; id exoro. D. occidi.
S. Hem, quid dixti? D. optume inquam factum, S. nunc per hunc nulla est mora.

C. Domum modo ibo: ut apparentur, dicam: atque huc renuncio.

S. Nunc te oro, Daue, quoniam solus mihi effecisti has nuptias.

D. Ego uero solus. S. corrigere mihi gnatum porro enitere.

D. Faciam hercle sedulo. S. potes nunc, dum animus irritatus est.

D. Quiescas. S. age igitur: ubi nunc est ipsis? D. mirum, ni domi est.

S. Ibo ad eum, atque eadem hæc, quæ tibi dixi, dicam itidem illi. D. nullu'sum.

Quid caussæ est, quin hinc in pistrinum recta proficiscar uia?

Nihil est preci loci relictum. iam perturbaui omnia:

Herum fefelli: in nuptias conieci herilem filium:

Feci hodie, ut fierent, insperante hoc, atque inuito Pamphilo.

Hem astutias. quod si quiessem, nihil euenisset mali.

Sed eccum ipsum uideo: occidi:

Vtinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me præcipitem darem.

ACTVS TERTII SCENA V.

PAMPHILVS, DAVVS.

P. VBI illic scelus est, qui me perdidit? D. perij. P. atque hoc confiteor,

Iure obtigisse: quandoquidem tam iners, tam nulli consili

Sum. seruon' fortunas meas me commisisse futili?

Ergo pretium ob stultitiam fero: sed multum id numquam a me auferet.

D. Posthac incolumen sat scio fore me, nunc si euito hoc malũ.

P. Sed quid ego nunc dicam patri? negabon' uelle me modo
Qui ſum pollicitus ducere? qua fiducia id facere audeam?
Nec, quid me nunc faciam, ſcio. D. nec de me equidem, atque id ago ſedulò.
Dicam aliquid iam inuenturum, ut huic malo aliquam producam moram. P. oh.
D. Viſus ſum. P. ehodum bone uir, quid ais? uiden' me conſilijs tuis
Miſerum impeditum eſſe? D. at iam expediam. P. expedies? D. certe Pamphile.
P. Nempe ut modo. D. immo melius ſpero. P. oh, tibi ego ut credam furcifer?
Tu rem impeditam, & perditam reſtituas? hem quo fretu' ſim,
Qui me hodie ex tranquilliſsima re conieciſti in nuptias.
An non dixi hoc eſſe futurum? D. dixti. P. quid meritus es? D. crucem.
Sed paullulum ſine ad me ut redeam: iam aliquid diſpiciam. P. hei mihi,
Cur non habeo ſpatiũ, ut de te ſumam ſupplicium, uti uolo:
Namque hocce tempus, præcauere mihi me, haut te ulciſci, ſinit.

ACTVS QVARTI SCENA I.

CHARINVS, PAMPHILVS, DAVVS.

C. HOCCINE credibile eſt, aut memorabile,
Tanta uæcordia innata cuiquam ut ſiet,
Vt malis gaudeat alienis, atque ex incommodis
Alterius ſua ut comparet commoda? ah
Id ne eſt uerum? immo id genus eſt hominum peſſumum,
In denegando modo queis pudor eſt paullulum;

Poſt ubi iam tempus eſt promiſſa perfici,
Tum coacti neceſſario ſe aperiunt, & timent,
Et tamen res cogit eos denegare. ibi
Tum impudentiſsimo eorum oratio eſt:
Quis tu es? cur meam tibi? heus,
Proxumus ſum egomet mihi, attamen; ubi fides eſt,
Si roges, nihil pudet. hic, ubi opus eſt,
Non uerentur: illic, ubi nihil opus eſt, ibi uerentur.
Sed quid agam? adeam ne ad eum, & cum eo iniuriam
 hanc expoſtulem?
Mala ingerã multa. atque aliquis dicat, nihil promoueris.
Multum. moleſtus certe ei fuero, atque animo mores
 geſſero.
P. Charine, & me, & te imprudens, niſi quid di reſpiciunt,
 perdidi.
C. Ita ne imprudens? tandem inuenta eſt cauſſa: ſoluiſti fidẽ.
P. Quid tandem? C. etiam nunc me ſeducere iſtis dictis po-
 ſtulas?
P. Quid iſtuc eſt? C. poſt quã me amare dixi, cõplacita eſt tibi.
Heu me miſerum, qui tuum animum ex animo ſpectaui
 meo.
P. Falſu' es. C. non tibi ſatis eſſe hoc uiſum ſolidum eſt gau-
 dium,
Niſi me lactaſſes amantem, & falſa ſpe produceres?
Habeas. P. habeã? ah neſcis quantis in malis uerſer, miſer,
Quantasq. hic ſuis conſilijs mihi confecit ſolicitudines
Meus carnufex. C. quid iſtuc tam mirum eſt? de te exem
 plum capit.
P. Haud iſtuc dicas, ſi cognoris uel me, uel amorem meum.
C. Scio, cum patre altercaſti dudũ, & is nunc propterea tibi.

Succenset, nec te quiuit hodie cogere, illam ut duceres.
P. Immo etiam, quo tu minus scis aerumnas meas,
Hæ nuptiæ non apparabantur mihi,
Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.
C. scio: coactus tua uoluntate es. P. mane,
Nondum scis. C. scio equidem illam ducturum esse te.
P. Cur me enecas? hoc audi. numquam destitit.
Instare, ut dicerem esse ducturum patri:
Suadere, orare, usque adeo donec perpulit.
C. Quamobrem? P. nescio. nisi mihi deos satis.
C. Quis homo istuc? P. Dauos. C. Dauos? P. scio fuisse iratos, qui auscultauerim.
C. Factum est hoc Daue? D. factum est. C. hem quid ais scelus?
At tibi dij dignum factis exitium duint.
Eho, dic mihi, si omnes hunc coniectum in nuptias
Inimici uellent, quod, ni hoc, consilium darent?
D. Deceptus sum, at non defatigatus. C. scio.
D. Hac non successit, alia aggrediemur uia:
Nisi id putas, quia primo processit parum,
Non posse iam ad salutem conuerti malum.
P. Immo etiam: nam satis credo, si aduigilaueris;
Ex unis geminas mihi conficies nuptias.
D. Ego Pamphile hoc tibi pro seruitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctesque, & dies
Capitis periculum adire, dum prosim tibi.
Tuum est, si quid præter spem euenit, mi ignoscere.
Parum successit quod ago, ac facio sedulo.
Vel melius tu aliud reperi, me missum face.
P. Cupio restitue in quem me accepisti locum.

D. Faciam. P. at iam hoc opus est. D. hem, st, mane: crepuit a Glycerio ostium.

P. Nil ad te. D. quæro. P. hem, nuncine demum? D. at iam hoc tibi inuentum dabo.

ACTVS QVARTI SCENA II.

MYSIS, PAMPHILVS, CHARINVS, DAVVS.

M. IAM, ubi ubi erit, inuentum tibi curabo, & mecum adductum

Tuum Pamphilum: tu modo, anime mi, noli te macerare.

P. Mysis. M. quid est? hem Pamphile, optume mihi te offers. P. quid est?

M. Orare iußit, si se ames, hera, iam ut ad sese uenias:

Videre ait te cupere. P. uah, perij: hoc malũ integrascit.

Siccine me, atque illam opera tua nunc miseros sollicitari?

Nam iccirco accersor, nuptias quod mi apparari sensit.

C. Quibu' quidem quam facile poterat quiesci, si hic quiesset.

D. Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga. M. atque ædepol,

Ea res est, proptereaque nunc misera in mœrore est. P. Mysis,

Per omnes tibi Deos, adiuro numquam eã me deserturum,

Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omnes homines.

Hanc mihi expetiui, contigit: conueniunt mores: ualeant,

Qui inter nos dißidium uolunt: hanc, nisi mors, mi adimet nemo.

C. Resipisco. P. non Apollinis magi' uerum, atque hoc, responsum est.

Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat,

Quo minus hæ fierent nuptiæ; uolo. sed si id non poterit;

Id faciam,

Id faciam, in procliui quod est, per me stetisse ut credat.
Quis uideor? C. miser æque, atque ego. D. consilium
quæro. C. fortis es.
Scio, quid conere. D. hoc ego tibi profecto effectum
reddam.
P. Iam hoc opus est. D. quin iam habeo. C. quid est?
D. huic, non tibi, habeo; ne erres.
C. Sat habeo. P. quid facies? cedo. D. dies hic mi ut sit sati,
uereor,
Ad agendum: ne uacuum esse me nunc ad narrandum
credas.
Proinde hinc uos amolimini: nam mi impedimento estis.
P. Ego hanc uisam. D. quid tu? quo hinc te agis? C. ue-
rum uis dicam? D. immo etiam
Narrationis incipit mihi initium. C. quid me fiet?
D. Eho impudens, non satis habes, quod tibi dieculã addo,
Quantum huic promoueo nuptias? C. Daue attamen.
D. quid ergo?
C. Vt ducam. D. ridiculum. C. huc face ad me, ut uenias,
si quid poteris.
D. Quid ueniam? nihil habeo. C. attamen si quid. D.
age, ueniam. C. si quid,
Domi ero. C. Tu Mysis, dum exeo, parumper oppe-
rire hic.
M. Quapropter? D. ita facto opus est. M. matura. D.
iam inquam hic adero.

ACTVS QVARTI SCENA III.

MYSIS, DAVVS.

M. NIL ne esse propriũ cuiquam? Dij uostrã fidẽ.
Summũ bonũ esse heræ putabã hũc Pamphilũ,

Amicum, amatorem, uirum, in quouis loco
Paratum: uerum ex eo nunc misera quem capit
Dolorem? facile hic plus mali est, quam illic boni.
Sed Dauus exit: mi homo, quid istuc obsecro est?
Quo portas puerum? M. nunc opus est tua
Mihi ad hanc rem exprompta memoria, atq; astutia.
M. Quidnam incepturus? D. accipe a me hunc ocyus,
Atque ante nostram ianuam appone. M. obsecro,
Humi ne? D. ex ara hinc sume uerbenas tibi,
Atque eas substerne. M. quamobrem id tute non facis?
D. Quia, si forte opus ad herum iusiurandum mihi
Non apposuisse, ut liquido possim. M. intelligo.
Noua nunc religio in te istæc incessit, cedo?
D. Moue ocyus te, ut, quid agam, porro intellegas.
Pro Iuppiter. M. quid? D. sponsæ iter interuenit.
Repudio consilium, quod primum intenderam.
M. Nescio, quid narres. D. ego quoque hinc ab dextera
Venire me assimulabo. tu, ut subseruias
Orationi, utcumque opu'sit uerbis, uide.
M. Ego, quid agas, nihil intellego: sed, si quid est,
Quod mea opera opus sit uobis, aut tu plus uides,
Manebo, ne quid uostrum remorer commodum.

ACTVS QVARTI SCENA IV.

CHREMES, MYSIS, DAVVS.

C. REVERTOR, postquam, quæ opus fuere ad nuptias
Gnatæ, paraui, ut iubeam accersi. sed quid hoc?
Puer hercle est. mulier, tun' apposuisti hunc? M. ubi
Illic est? C. non mihi respondes? M. hem, nusquam est.
uæ miseræ mihi,

Reliquit me homo, atque abijt. D. di uostram fidem,
Quid turbæ est apud forum? quid illic hominũ litigant.
Tum annona cara est. quid dicam aliud, nescio.
M. Cur tu obsecro hic me solam? D. hem, quæ hæc est fabula?
Eho Mysis, puer hic unde est? quis ue huc attulit?
M. Satin' sanus es, qui me id rogites? D. quẽ igitur rogẽ,
Qui hic neminem alium uideo? C. miror, unde sit.
M. Dicturan' quod rogo? M. au. D. concede ad dexteram.
M. Deliras. non tute ipse? D. uerbum si mihi
Vnum, præterquam quod te rogo, faxis, caue.
M. Male dicis. D. unde est? dic clare. M. a uobis. D. ha ha hæ.
Mirum uero, impudenter mulier si facit.
C. Ab Andria est ancilla hæc, quantum intellego.
D. Adeon' uidemur uobis esse idonei,
In quibus sic illudatis? C. ueni in tempore.
D. Propera adeo puerum tollere hinc ab ianua.
Mane: caue quoquam ex istoc excesis loco.
M. Dij te eradicent. ita me miseram territas.
D. Tibi ego dico, an non? M. quid uis? D. at etiam rogas?
Cedo, cuium puerum hic apposuisti, dic mihi.
M. Tu nescis? D. mitte id, quod scio: dic, quod rogo:
M. Vestri. D. cuius uestri? M. Pamphili. D. hem, quid Pamphili?
M. Eho, an nõ est? C. recte ego semper fugi has nuptias.
D. O facinus animaduertendum. M. quid clamitas?
D. Quem ne ego heri uidi ad uos afferri uesperi?
M. O hominem audacem. D. uerum: uidi Cantharam
Suffarcinatam. M. Dijs pol habeo gratias,
Cum in pariundo aliquot affuerunt liberæ.
D. Næ illa illum haud nouit, cuius caussa hæc incipit.

Chremes, si positum puerum ante ædes uiderit,
Suam gnatam non dabit: tanto hercle magis dabit.
C. Non hercle faciet. D. nunc adeo, ut tu sis sciens,
Ni puerum tollis, iam iam ego hunc mediam in uiam
Prouoluam, te'q; ibidem peruoluam in luto.
M. Tu pol homo non es sobrius. D. FALLACIA
ALIA ALIAM TRVDIT. iam susurrari audio,
Ciuem Atticam esse hanc. C. hem. D. coactus legibus
Eam uxorem ducet. M. an, obsecro, an non ciuis est?
C. Iocularium in malum insciens pæne incidi.
D. Quis hic loquitur? o Chreme, per tempus aduenis:
Ausculta. C. audiui iam omnia. D. an ne tu omnia?
C. Audiui inquam a principio. D. audistin' obsecro? hem
Scelera: hanc iam oportet iu cruciatum hinc abripi.
Hic ille est: non te credas Dauom ludere.
M. Me miseram: nihil pol falsi dixi mi senex.
C. Noui rem omnem. sed est Simo intus? D. intus est.
M. Ne me attingas sceleste. si pol Glycerio nō omnia hæc.
D. Eho inepta, nescis quid sit actum. M. quid sciam?
D. Hic socer est. alio pacto haud poterat fieri,
Vt sciret hæc, quæ uolumus. M. hem, prædiceres.
D. Paullum interesse censes, ex animo omnia,
Vt fert natura, facias, an de industria?

ACTVS QVARTI SCENA V.

CRITO, MYSIS, DAVVS.

C. IN hac habitasse platea dictum est Chrysidem
Quæ se inhoneste optauit parare hic diuitias
Potius, quā in patria honesta paupera uiuere.
Eius morte ea ad me lege redierunt bona.
Sed quos percuncter, uideo. saluete. M. obsecro,

Quem uideo? est ne hic Crito, sobrinus Chrysidis?
Is est. C. o Mysis salue. M. saluos sis Crito.
C. Itan' Chrysis? hem. M. nos quidẽ pol miseras perdidit.
C. Quid uos? quo pacto hic? sati ne recte? M. nos ne? sic.
Vt quimus, aiunt; quando, ut uolumus, non licet.
C. Quid Glycerium? iam hic suos parentes repperit?
M. Vtinam. C. an nondũ etiã? haud auspicato huc me appulit
Nam pol, si id scissem, numquam huc tetulissem pedem:
Semper enim eius dicta est hæc, atque habita est soror:
Quæ illius fuerunt, possidet. nunc me hospitem
Lites sequi, quam hic mihi sit facile, atque utile,
Aliorum exempla commonent. simul arbitror,
Iam esse aliquem amicum, & defensorem ei: nam fere
Grandiuscula iam profecta est illinc. clamitent,
Me sycophanam hereditatem persequi,
Mendicum. tum, ipsam despoliare non licet.
M. O optume hospes pol Crito antiquum obtines.
C. Duc me ad eam, quando huc ueni, ut uideam. M. maxume.
D. Sequar hos: nolo me in tempore hoc uideat senex.

ACTVS QVINCTI SCENA I.

CHREMES, SIMO.

C. SATI' iam, sati' Simo spectata erga te amicitia est mea.
Sati' pericli cœpi adire: orandi iam finem face.
Dum studeo obsequi tibi, pœne illusi uitam filiæ.
S. Immo enim quãmaxime abs te oro, atque postulo Chreme,
Vt beneficiũ, uerbis initum dudum, nũc re comprobes.
C. Vide, quã iniquus sis præ studio, dũ efficias id quod cupis,
Neque modum benignitatis, neque, quid me ores cogitas;
Nam si cogites, remittas iam me onerare iniurijs.

S. Quibus? C. ah rogitas? perpulisti me, ut homini adolescentulo.
In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,
Filiam darem in seditionem, atque incertas nuptias,
Eiu' labore, atque eiu' dolore gnato ut medicarer tuo.
Impetrasti: incepi dum res retulit: nunc non fert: feras.
Illam hinc ciuem esse aiunt: puer est natus: nos missos face.
S. Per ego te deos oro, ut ne illis animum inducas credere,
Quibus id maxume utile est illum esse quamdeterrimum.
Nuptiarum gratia hæc sunt ficta, atque incepta omnia.
Vbi ea caussa, quamobrem hæc faciunt, erit adempta his desinent.
C. Erras. cũ Dauo egomet uidi iurgantẽ ancillã. S. scio. C. at
Vero uoltu; cum, ibi me adesse, neuter tum præsenserat.
S. Credo; & id facturas, Dauus dudum prædixit mihi:
Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac uolui dicere.

ACTVS QVINCTI SCENA II.

DAVVS. CHREMES, SIMO, DROMO.

D. ANIMO iam nunc otioso esse impero. CH. hem Dauon tibi.
S. Vnde egreditur? D. meo præsidio, atque hospitis. S. quid illud mali est?
D. Ego commodiorem hominem, aduentum, tempus non uidi. S. scelus,
Quemnam hic laudat? D. omnis res est iam in uado. S. cesso alloqui?
D. Herus est: quid agam? S. o salue bone uir. D. hem Simo, o noster Chreme,
Omnia apparata iam sunt intus. CH. curasti probe.
D. Vbi uoles, accerse. S. bene sane. id enimuero hic nũc abest.

Etiam tu hoc respondes, quid istic tibi negotij est? D. mihin'? S. ita.

D. Mihi ne? S. tibi ego. D. modo introij. S. quasi ego quam dudum, rogem.

D. Cum tuo gnato una. S. an ne est intus Pamphilus? crucior miser.

Eho, non tu dixti esse inter eos inimicitias carnufex

D. Sunt. S. cur igitur hic est? CH. quid illum censes? cum illa litigat.

D. Immo uero indignũ Chreme iã facinus faxo ex me audias.

Nescio quis senex modo uenit: ellum, confidens, catus:

Cum faciem uideas, uidetur esse quanti uis preti:

Tristis seueritas inest in uoltu, atque in uerbis fides.

S. Quidnam apportas? D. nil equidem, nisi quod illum audiuit dicere.

S. Quid ait tandem? D. Glycerium se scire esse hanc ciuem Atticam.

S. Hem Dromo, Dromo. D. quid est? S. Dromo. D. audi. S. uerbum si addideris. Dromo.

D. Audi obsecro. DR. quid uis? S. sublimem hunc intro rape, quantum potes.

DR. Quem? S. Dauom. D. quamobrem? S. quia lubet. rape inquam. D. quid feci? S. rape.

D. Si quidquam mentitum inuenies, occidito. S. nihil audio.

Ego iam te commotum reddam. D. tametsi hoc uerum est. S. tu tamen

Cura asseruandum uinctum, atque audin'? quadrupedem constringito.

Age nunc: iam ego pol hodie, si uiuo, tibi

Ostendam, herum quid sit pericli fallere, &

Illi patrem. CH. ah ne saeui tantopere. S. Chreme,
Pietatem gnati. non ne te miseret mei?
Tantum laborem capere ob talem filium?
Age Pamphile: exi Pamphile: ecquid te pudet?

ACTVS QVINCTI SCENA III.

PAMPHILVS, SIMO, CHREMES.

P. QVIS me uolt? perij, pater est. S. quid ais omnium? C. ah.
Rem potius ipsam dic, ac mitte male loqui.
S. Quasi quidquam in hunc iam grauius dici poßiet.
Ain' tandem ciuis Glycerium est? P. ita praedicant.
S. Ita praedicant? ingentem confidentiam:
Num cogitat, quid dicat? num facti piget?
Num eius color pudoris signum usquam indicat?
Adeon' impotenti esse animo, ut, praeter ciuium
Morem, atque legem, & sui uoluntatem patris,
Tamen hanc habere studeat cum summo probro?
P. Me miserum. S. modo ne id demum sensti Pamphile?
Olim istuc, olim, cum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto efficiundum tibi,
Eodem die istuc uerbum uere in te accidit.
Sed quid ago? cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam senectam huius sollicito amentia? an
Pro huius ego ut peccatis supplicium sufferam?
Immo habeat, ualeat, uiuat cum illa. P. mi pater.
S. Quid mi pater, quasi tu huius indigeas patris.
Domus, uxor, liberi inuenti inuito patre:
Adducti, qui illam ciuem hinc dicant: uiceris.
P. Pater licet ne pauca? S. quid dices mihi?
C. Attamen Simo audi. S. ego audiam? quid ego audiam

Chreme? C. attamen dicat sine. S. age dicat, sino.

P. Ego me amare hãc fateor. si id peccare est, fateor id quoq;.
Tibi pater me dedo: quiduis oneris impone: impera:
Vis me uxorem ducere? hanc amittere? ut potero, feram.
Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me allegatũ hunc senẽ.
Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam. S. adducas? P. sine pater.

C. Aequum postulat: da ueniam. P. sine te hoc exorẽ. S. sino.
Quiduis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar Chreme.

C. Pro peccato magno paullum supplicij satis est patri.

ACTVS QVINCTI SCENA IV.

CRITO, CHREMES, SIMO, PAMPHILVS.

CR. MITTE orare. una harum quæuis caussa me, ut faciam: monet.
Vel tu, uel quod uerum est, uel quod ipsi cupio Glycerio.

C. Andriũ ego Critonẽ uideo? et certe is ẽ. Ch. saluos sis Chreme.

CH. Quid tu Athenas insolẽs.? S. euenit. sed hicine est Simo?

CH. Quid tu Athenas insolẽs? S. euenit, sed hiccine est Simo?

CH. Hic est. S. me ne quæris? eho tu Glyceriũ hinc ciuẽ esse ais?

CR. Tu negas? S. Ita ne huc paratus aduenis? CR. quare? S. rogas?
Tu ne impune hæc facias? tu ne hic homines adolescentulos,
Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis?
Sollicitãdo, et pollicitãdo eorũ animos lactas? CR. sanun' es?

S. Ac meretricios amores nuptijs conglutinas?

P. Perij: metuo, ut substet hospes. CH. si Simo hũc noris satis,
Non ita arbitrere. bonus hic est uir. S. hic uir sit bonus?
Ita ne attemperate uenit hodie in ipsis nuptijs,

Vt ueniret antehac nunquam? est uero huic credendum Chreme.

P. Ni metuam patrem, habeo pro illa re, illum quod moneam probe.

S. Sycophanta. CR. hem. CH. sic Crito est hic: mitte. CR. uideat, qui siet.

Si mihi pergit, quæ uolt, dicere ea, quæ non uolt, audiet.

Ego istæc moueo, aut curo? non tu tuum malum æquo animo feres?

Nam, ego quæ dixi, uera, an falsa audieris, iam sciri potest.

Atticus quidã olim, naui fracta, apud Andrũ eiectus est:

Est istæc una parua uirgo, tum ille egens forte applicat

Primũ ad Chrysidis patrem se. S. fabulã inceptat. CH. sine.

CR. Ita ne uero obturbat? CH. perge. CR. tum is mihi cognatus fuit.

Qui eum recepit: ibi ego audiui ex illo sese esse Atticum.

Is ibi mortuus est. CH. eius nomen? CR. nomẽ tã cito tibi.

Phania. CH. hem, perij. CR. uerum hercle opinor fuisse Phaniam.

Hoc certo scio, Rhãnusiũ se aiebat esse. CH. o Iuppiter.

CR. Eadem hæc Chreme multi alij in Andro tum audiuere. CH. utinam id siet,

Quod spero. eho dic mihi, quid is eam tum, Crito,

Suam ne aiebat esse? CR. non. CH. cuiam igitur? CR. fratris filiam.

CH. Certe mea est. CR. quid ais? S. quid tu? quid ais? P. arrige aures Pamphile.

S. Qui credis? CH. Phania ille frater meus fuit. S. noram, & scio.

CH. Is hinc bellũ fugiẽs, meq. in Asiã persequẽs, proficiscitur.

Tum illam hic relinquere est ueritus. post illa nunc primum audio,
Quid illo sit factum. P. uix sum apud me: ita animus commotu' est metu,
Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.
S. Nae istā multi modis tuā inueniri gaudeo. P. credo pater.
CH. At mihi unus scrupulus etiam restat, qui me male habet. P. dignus es
Cum tua relligione odio, nodū in scirpo quæris. CR. quid istud est?
CH. Nomen non conuenit. CR. fuit hercle aliud huic paruæ. CH. quod Crito?
Numquid meministi? CR. id quæro. P. ego ne huius memoriam patiar meæ
Voluptati obstare, cū ego possim in hac re medicari mihi?
Non patiar. heus Chreme: quod quæris, Pasibula. CR. ipsa est. CH. ea est.
P. Ex ipsa millies audiui. S. omnes nos gaudere hoc Chreme,
Te credo credere. CH. ita me dij ament, credo. P. quid restat pater?
S. Iamdudum res reduxit me ipsa in gratiam. P. o Lepidum patrem.
De uxore ita, ut possedi, nihil mutat Chremes. CH. caussa optuma est:
Nisi quid pater aliud ait. P. nempe. S. scilicet. CH. dos, Pamphile, est
Decem talenta. P. accipio. CH. propero ad filiam. eho me cum Crito:
Nam illam me haud nosse credo. S. cur non illam huc transferri iubes?

P. Recte admones. Dauo istuc dedam iam negoti. S. non potest.

P. Qui? S. quia habet aliud magis ex sese, & maius. S. quid nam? S. uinctus est.

P. Pater, non recte uinctus est. S. haud ita iussi. P. iube solui obsecro.

C. Age fiat. P. at matura. S. eo intro. P. o faustum & felicem hunc diem.

ACTVS QVINCTI SCENA V.

CHARINVS, PAMPHILVS, DAVVS.

C. P ROVISO, quid agat Pamphilus: atque eccum. P. aliquis forsan me putet

Non hoc putare uerum: at mihi nunc sic esse hoc uerum lubet.

Ego uitam deorum propterea sempiternam esse arbitror,

Quod uoluptates eorum propriæ sunt. nam mihi immortalitas

Parta est, si nulla huic ægritudo gaudio intercesserit.

Sed quem ego potißimum exoptem nunc mihi, cui hæc narrem, dari?

C. Quid illuc gaudi est? P. Dauom uideo. nemo est, quem mallem, omnium:

Nam hunc scio mea solide solum gauisurum esse gaudia.

D. Pamphilus ubinam hic est? P. Daue.

D. quisnam homo est? P. ego sum. D. o Pamphile.

P. Nescis, quid mihi obtigerit. D. certe: sed, quid mihi obtigerit, scio.

P. Et quidem ego. D. more hominum euenit, ego ut quod sum nactus mali,

Prius resciseres tu, quam ego, tibi quod euenit boni.

P. Mea Glycerium suos parentes reperit. D. o factũ bene.

C. Hem. P. pater amicus summus nobis. D. quis? P. Chremes. D. narras probe.

P. Nec mora ulla est, quin eam uxorem ducam. C. num ille somniat

Ea, quæ uigilans uoluit? P. tum de puero Daue? D. ah desine:

Solus est, quem diligunt dij. C. saluus sum, si hæc uera sunt.

Colloquar. P. quis homo est? Charine, in tempore ipso mi aduenis.

C. Bene factum. P. hem, audisti? C. omnia. age, me in tuis secundis respice.

Tuus est nunc Chremes. facturum, quæ uoles, scio omnia.

P. Memini: atque adeo longum est, nos illum exspectare, dum exeat.

Sequere hac me. intus apud Glycerium est nunc. tu Daue abi domum,

Propera, accerse, hinc qui auferant eam: quid stas? quid cessas? D. eo.

Ne expectetis, dum exeant huc: intus despondebitur:

Intus transigetur, si quid est, quod restet. plaudite.

FABVLAE INTERLOCVTORES.

Phædria	adolescens,
Parmeno	seruus,
Thais	meretrix,
Gnatho	parasitus,
Chærea	adolescens,
Thraso	miles,
Pythias	ancilla,
Chremes	adolescens,
Antipho	adolescens,
Dorias	ancilla,
Dorus	eunuchus,
Sanga	seruus,
Sophrona	nutrix,
Laches	senex,

Acta ludis Megalensib. L. Postumio Albino, L. Cornelio Merula Aedilib. Curulib. Egere L. Ambiuius Turpio, L. Attilius Prænestinus. Modulauit Flaccus Claudii Tibiis Duabus Dextris. Græca Menandru, Acta II. M. Valerio, C. Fannio cos.

C. SVLPICII APOLLINARIS PERIOCHA.

SORORÉM falso dictitatam Thaidis,
Id ipsum ignorans, miles aduexit Thraso,
Ipsiq; donat. erat hæc ciuis Attica.
Eidem eunuchum, quem emerat, tradi iubet
Thaidis amator Phædria, ac rus ipse abit,
Thrasoni oratus biduum concederet.
Ephebus frater Phædriæ puellulam.
Cum deperiret dono missam Thaidi,
Ornatu Eunuchi induitur: suadet Parmeno:
Introijt: uitiat uirginem: sed Atticus
Ciuis repertus frater eius, collocat
Vitiatam Ephebo: Phædriam exorat Thraso.

PROLOGVS.

S I quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quam plurimis, & minime multos lædere;
In his poeta hic nomen profitetur suum.
Tum si quis est, quid dictum in se inclementius
Existimauit esse, sic existimet; Sciat
Responsum, non dictum esse, quia laesit prior,
Qui bene uertendo, & easdem scribendo male, ex
Græcis bonis Latinas fecit non bonas:
Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit,
Atque in Thesauro scripsit, caussam dicere
Prius unde petitur, aurum quare sit suum,
Quam illic, qui petit, unde is sit thesaurus sibi,
Aut unde in patrium monumentum peruenerit.
Dehinc ne frustretur ipse se, aut sic cogitet;
Defunctus iam sum, nihil est, quod dicat mihi:
Is ne erret, moneo, & desinat lacessere:
Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur;
Quæ proferentur post, si perget lædere
Ita, ut facere instituit. nunc quam acturi sumus
Menandri Eunuchum, postquam ædiles emerunt,
Perfecit, sibi ut inspiciundi esset copia.
Magistratus cum ibi adesset, occepta est agi.
Exclamat, furem, non poetam: fabulam
Dedisse, & nil dedisse uerborum tamen:
Colacem esse Næui, & Plauti ueterem fabulam,
Parasiti personam inde ablatam, & militis.
Si id est peccatum, peccatum imprudentia est

Poetæ, non

Poetæ, non qui futuram facere studuerit.
Id ita esse, uos iam iudicare poteritis:
Colax Menandri est: in ea est parasitus Colax,
Et miles gloriosus: eas se non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Græca: sed eas fabulas factas prius
Latinas scisse sese, id uero pernegat.
Quod si personis ijsdem uti alijs non licet:
Qui magis licet currentes seruos scribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Parasitum edacem, gloriosum militem,
Puerum supponi, falli per seruum senem,
Amare odisse, suspicari? denique
NVLLVM est iam dictum, quod nō dictum sit prius.
Quare æquum est uos cognoscere, atque ignoscere,
Quæ ueteres factitarunt, si faciunt noui.
Date operam, & cum silentio animaduortite.
Vt pernoscatis, quid sibi Eunuchus uelit.

ACTVS PRIMI SCENA I.

PHAEDRIA, PARMENO.

PH. QVID igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,
Cum accersor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Exclusit, reuocat. redeam? non, si me obsecret.
PA. Siquidem hercle possis, nil prius, neque fortius:
Verum si incipies, neque perficies nauiter:
Atque ubi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace, ultro ad eam uenies, indicans
Te amare, & ferre non posse: actum est, ilicet,

Peristi: eludet, ubi te uictum senserit.
PH. Proin tu, dum est tempus, etiam, atque etiam cogita.
PA. Here. quæ res in se neque consilium, neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes.
In amore hæc omnia insunt uitia, iniuriæ,
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum. incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas:
Ego ne illam? quæ illum? quæ me? quæ non? sine modo:
Mori me malim: sentiet qui uir siem:
Hæc uerba mehercule una falsa lacrumula,
Quam oculos terendo misere, uix ui expresserit,
Restinguet: & te ultro accusabis, & ei dabis
Vltro supplicium. PH. indignum facinus. nunc ego &
Illam scelestam esse, & me miserum sentio:
Et tædet: & amore ardeo: & prudens, sciens,
Viuus, uidensq; pereo: nec, quid agam, scio.
PA. Quid agas? nisi ut te redimas captum quam queas
Minimo: si nequeas paullulo, at quanti queas:
Et ne te afflictes. PH. ita ne suades? PA. si sapis:
Neque, præterquam quas ipse amor molestias
Habet, addas; & illas, quas habet, recte feras.
Sed ipsa egreditur nostri fundi calamitas:
Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

ACTVS PRIMI SCENA II.

THAIS, PHAEDRIA, PARMENO.

T. MISERAM me, uereor ne illud grauius
Phaedria,

Tulerit; ne ue aliorſum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromiſſus non eſt. PH. totus Parmeno
Tremo horreoque, poſtquam adſpexi hanc. PA. bono ani
mo es:
Accede ad ignem hunc, iam caleſces plus ſatis.
T. Quis hic loquitur? hem, tun'eras mi Phaedria?
Qui hic ſtabas? cur non recta introibas? PA. cæterum
De excluſione uerbum nullum. T. quid taces?
PH. Sane quia uero hæ mihi patent ſemper fores,
Aut quia ſum apud te primus. T. miſſa iſtæc face.
PH. Quid miſſa? o Thais, Thais, utinam eſſet mihi
Pars æqua amoris tecum, ac pariter fieret, ut
Aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet;
Aut ego iſtuc abs te factum nihili penderem.
T. Ne crucia te obſecro anime mi, mi Phædria.
Non pol, quo quemquam plus amem, aut plus diligam,
Eo feci: ſed ita erat res: faciundum fuit.
PA. Credo, ut fit, miſera præ amore excluſit hunc foras.
T. Siccine ais Parmeno? age. ſed, huc qua gratia
Te accerſi iuſſi, auſculta. PH. fiat. T. dic mihi
Hoc primum, potin' eſt hic tacere? PA. ego ne? optume.
Verum heus tu, lege hac tibi meam adſtringo fidem:
Quæ uera audiui, taceo, & contineo optume:
Sin falſum, aut uanum, aut fictum eſt, continuo palā eſt.
Plenus rimarum ſum, hac atque illac perfluo.
Proin tu, taceri ſi uis, uera dicito.
T. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.
PA. Poteſt taceri hoc. T. ibi tum matri paruolam
Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc arreptam. PH. ciuē ne? T. arbitror:

Certum non scimus: matris nomen & patris
Dicebat ipsa: patriam, & signa cetera
Neque scibat, neque per ætatem etiam potuerat.
Mercator hoc addebat, e prædonibus,
Vnde emerat, se audisse abreptam e Sunio.
Mater ubi accepit, cœpit studiose omnia
Docere, educere, ita uti si esset filia.
Sororem plerique esse credebant meam.
Ego cũ illo, quo cum uno rem habebam tum hospite.
Abij huc: qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia.
PA. Vtrũque hoc falsum est: effluet. T. qui istuc? PA. quia
Neque tu uno eras contenta, neque solus dedit:
Nam hic quoque bonã, magnamq; partem ad te attulit.
T. Ita est. sed sine me peruenire, quo uolo.
Interea miles, qui me amare occeperat,
In Cariam est profectus te interea loci
Cognoui. tute scis, postilla quàm intumum
Habeam te, & mea consilia ut tibi credam omnia.
PH. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. PA. oh, dubium ne id est?
T. Hæc agite amabo. mater mea illic mortua est
Nuper. eius frater aliquantum ad rem est auidior.
Is ubi hancce forma uidet honesta uirginem,
Et fidibus scire pretium sperans, illico
Producit, uendit. forte fortuna affuit
Hic meus amicus: emit eam dono mihi,
Imprudens harum rerum, ignarusq; omnium:
Is uenit: postquam sensit me tecum quoque
Rem habere, fingit caussas, ne det, sedulo:
Ait si fidem habeat, se iri præpositum tibi
Apud me, ac non id metuat, ne, ubi eam acceperim,

Sese relinquam, uelle se illam mihi dare,
Verum id uereri. sed, ego quantum suspicor,
Ad uirginem animum adiecit. PH. etiam ne amplius.
T. Nil: nam quæsiui. nunc ego eam mi Phædria,
Multæ sunt caussæ, quamobrem cupio abducere:
Primum, quod soror est dicta: præterea, ut suis
Restituam, ac reddam. sola sum: habeo hic neminem,
Neque amicum, neque cognatum. quamobrẽ Phædria
Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.
Id amabo adiuta me, quo id fiat facilius.
Sine illum priores partes hosce aliquot dies
Apud me habere. nihil respondes? PH. pessuma,
Ego quidquam cum istis factis tibi respondeam?
PA. Hei noster, laudo. tandem perdoluit: uir es.
PH. At ego nesciebam, quorsum tu ires. paruola
Hinc est abrepta: eduxit mater pro sua:
Soror est dicta: cupio abducere, ut reddam suis.
Nempe omnia hæc nunc uerba huc redeunt denique:
Excludor ego, ille recipitur: qua gratia?
Nisi illum plus amas, quam me: & istam nunc times,
Quæ aduecta est, ne illum talem præripiat tibi.
T. Egon' id timeo? PH. quid te ergo sollicitat? cedo.
Num solus ille dona dat? nuncubi meam
Benignitatem sensisti in te claudier?
Non ne, ubi mihi dixti cupere te ex Aethiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quæsiui? eunuchum porro dixti uelle te,
Quia solæ utuntur his reginæ: repperi:
Heri minas uiginti pro ambobus dedi:
Tamen contemptus abs te, hæc habui in memoria:

Ob hæc facta abs te spernor. T. quid istuc Phaedria?
Quanquam illam cupio abducere; atque hac re arbitror
Id fieri posse maxume: ueruntamen,
Potius quam te inimicum habeam, faciam, ut iusseris.
PH. Vtinam istuc uerbum ex animo, ac uere diceres,
Potius quam te inimicum habeam. si istuc crederem
Syncere dici, quiduis possem perpeti.
PA. Labascit, uictus uno uerbo; quàm cito?
T. Ego non ex animo misera dico? quam ioco
Rem uoluisti a me tandem, quin perfeceris?
Ego impetrare nequeo hoc abs te biduum,
Saltem ut concedas solum. PH. si quidem biduum:
Verum ne fiant isti uiginti dies.
T. Profecto non plus biduũ, aut. PH. aut? nihil moror.
T. Non fiet. hoc modo sine te exorem. PH. scilicet
Faciundum est, quod uis. T. merito amo te. PH. bene facis:
Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum:
Ita facere certum est: mos gerundu' est Thaidi.
Tu huc Parmeno fac illi adducantur. PA. maxume.
PH. In hoc biduum Thais uale. T. mi Phædria,
Et tu. num quid uis aliud? PH. ego ne quid uelim?
Cum milite isto præsens, absens ut sies:
Dies, noctesq;: ames me: me desideres:
Me somnies: me expectes: de me cogites:
Me speres: me te oblectes: mecum tota sis:
Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.
T. Me miseram, forsitan hic mihi paruam habeat fidem,
Atque ex aliarum ingenijs nunc me iudicet.
Ego pol, quæ mihi sum conscia, hoc certo scio,

Neque me finxisse falsi quidquam, neque meo
Cordi esse quemquam cariorem hoc Phædria:
Et quidquid huius feci, caussa uirginis
Feci: nam me eius spero fratrem propemodum
Iam repperisse, adolescentem adeo nobilem: &
Is hodie uenturum ad me constituit domum.
Concedam hinc intro, atque expectabo, dum uenit.

ACTVS SECVNDI SCENA I.

PHAEDRIA, PARMENO.

PH. TA fac, ut iussi, deducantur isti. PA. faciam.
I PH. at diligenter.
PA. Fiet. PH. ac mature. PA. fiet. PH. satin' hoc
mandatum est tibi?
PA. Ah rogitare? quasi difficile siet. utinam
Tam aliquid facile inuenire possis Phedria,
Hoc quam peribit. PH. ego quoque una pereo. quod mi est
carius.
Ne istuc tam iniquo patiare animo. PA. minime: quin
Effectum dabo. sed nunquid aliud imperas?
PH. Munus nostrum ornato uerbis, quod poteris: &
Istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito.
PA. Memini, tametsi nullus moneas. PH. ego rus ibo, atque
ibi manebo.
PA. Censeo. PH. sed heus tu. PA. quid uis? PH. censen' posse
me offirmare, &
Perpeti, ne redeam interea? PA. te ne? non hercle arbitror:
Nam aut iam reuertere, aut mox noctu te adiget horsum
insomnia.
PH. Opu' faciam, ut defatiger usque, ingratijs ut dormiam.
PA. Vigilabis lassus: hoc plus facies. PH. ah, nil dicis Parmeno.

Eijciunda hercle hæc mollicies animi : nimis me indulgeo.
Tandem ego non illa caream, si sit opus, uel totum triduũ?
PA. hui.
Vniuersum triduum? uide, quid agas. PH. stat sententia.
P. Dij boni, quid hoc morbi est? adeon' homines immutarier
Ex amore, ut non cognoscas eundẽ esse? hoc nemo fuit
Minus ineptus, magi' seuerus quisquã, nec magi' cõtinẽs.
Sed quis hic est, qui huc pergit? at at, hic quidem est parasitus Gnatho
Militis: ducit secum una uirginem huic dono: papæ,
Facie honesta. mirũ, ni ego me turpiter hodie hoc dano
Cum meo decrepito hoc Eunucho. hæc superat ipsam Thaidem.

ACTVS SECVNDI SCENA II.

GNATHO, PARMENO.

G. DII immortales, homini homo quid præstat? stulto intellegens
Quid interest? hoc adeo ex hac re uenit in mentem mihi:
Cõueni hodie aduenienes quendã mei loci hinc, atq; ordinis,
Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurrierat bona.
Video sentũ, squalidum, ægrum, pannis, annis'q; obsitum.
Quid istuc? inquam, ornati est? quoniam miser, quod habui, perdidi,
Hem quo redactus sum: omnes noti me, atq; amici deserũt,
Hic ego illũ cõtẽpsi præ me: quid hõ, inquã, ignauißime?
Ita ne parasti te, ut spes nulla reliqua in te siet tibi?
Simul consilium cum re amisti? uiden' me ex eodem ortum loco?

Qui color, nitor, uestitus, quæ habitudo est corporis?
Omnia habeo, neque quidquam habeo: nil cum est, nil defit tamen.
At ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati
Possum. quid tu his rebus credis fieri? tota erras uia.
Olim isti fuit generi quondam quæstus apud sæclũ prius.
Hoc nouum est aucupium: ego adeo hanc primus inueni uiam.
Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum uolunt,
Nec sunt: hos consector: hisce ego non paro me ut rideãt,
Sed eis ultro arrideo, & eorum ingenia admiror simul:
Quidquid dicũt, laudo: id rursũ si negãt, laudo id quoq;:
Negat quis, nego: ait, aio: postremo imperaui egomet mihi,
Omnia assentari. is quæstus nunc est multo uberrimus.
PA. Scitum hercle hominem: hic homines prorsum ex stultis insanos facit.
G. Dũ hæc loquimur, interea loci ad macellũ ubi aduenimus,
Concurrunt læti mi obuiam cupedinarij, coqui,
Lanij, cetarij, fartores, piscatores, aucupes,
Quibus et re salua, et perdita profueram, et prosum sæpe:
Salutant: ad cenam uocant: aduentum gratulantur.
Ille ubi miser, famelicu', uidet me esse in tantum honorẽ,
Et tam facile uictũ quærere; ibi homo cœpit me obsecrare,
Vt sibi liceret discere id de me. sectari iussi:
Si potis est, tamquam philosophorum habent disciplinæ ex ipsis
Vocabula, parasiti itidem ut Gnathonici uocentur.
PA. Viden', otiũ, et cibu' quid faciat alienus? GN. sed ego cesso

Ad Thaidem hanc deducere, et rogitare ad cœnã ut ueniat.
Sed Parmenonem ante ostium Thaidis tristem uideo,
Riualis seruum. salua est res: nimirũ hic homines frigent.
Nebulonem hunc certum est ludere. PA. hice hoc munere arbitrantur
Suam Thaidem esse. GN. plurima salute Parmenonem
Summum suum impartit Gnato. quid agitur?
PA. statur. GN. uideo:
Numquidnam hic, quod nolis, uides? PA. te. GN. credo at numquid aliud?
PA. Qui dum? GN. quia tristi, es. PA. nihil equidem. GN. ne sis. sed quid uidetur
Hoc tibi mancupium? PA. non malum hercle. GN. uiro hominem. PA. ut falsus animi est.
GN. Quam hoc munus gratum Thaidi arbitrare esse? PA. hoc nunc dices,
Eiectos hinc nos. OMNIVM rerũ heus uicißitudo est.
GN. Sex ego te totos Parmeno, hos menses quietum reddam;
Ne sursum, deorsum cursites; ne ue usque ad lucem uigiles.
Ecquid beo te? PA. men'? papæ. GN. sic soleo amicos. PA. laudo.
GN. Detineo te fortasse: tu profectus alio fueras.
PA. Nusquam. GN. tum tu igitur paullum da mihi operæ: fac, admittar
Ad illam. PA. age modo, nunc tibi patent fores hæ, quia istam ducis.
GN. Num quem euocari hinc uis foras? PA. sine, biduum hoc prætereat.
Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,
Ne tu istas faxo calcibus sæpe insultabis frustra.

GN. Etiam tu hic ſtas Parmeno? eho numnam tu hic relictus cuſtos,
Ne quis forte internuncius clam a milite ad iſtam curſitet?
PA. Facete dictum. mira uero, militi quæ placeant.
Sed uideo herilem filium minorem huc aduenire.
Miror, qui ex Piræeo abierit: nam ibi cuſtos publice eſt nũc.
Nõ temere eſt: et properans uenit: neſcio quid circũſpectat.

ACTVS SECVNDI SCENA III.

CHAEREA PARMENO.

O Ccidi, iam, iamq́; periĳ miſer; ah dolor:
Neque uirgo eſt uſquam, neque ego, qui illam e conſpectu amiſi meo.
Vbi quæram? ubi inueſtigem? quem percuncter? quam inſiſtam uiam?
Incertus ſum: una hæc ſpes eſt; ubi ubi eſt, diu celari non poteſt.
O faciem pulchrã: deleo omnes dehinc ex animo mulieres:
Tædet quotidianarum harum formarum. PA. ecce autem alterum,
De amore neſcio quid loquitur. o infortunatum ſenem.
Hic uero eſt, qui ſi amare occeperit, ludum iocumq́; tu
Dices fuiſſe illum alterum, præut huius rabies quæ dabit.
CH. Vt di illum, deæq́; ſenium perdant, qui me hodie remoratus eſt;
Meq́; adeo, qui reſtiterim; tũ autem qui illũ flocci fecerim.
Sed eccum Parmenonem. ſalue. PA. quid tu es triſtis? quid ue alacris?
Vnde is? C. ego hercle neſcio, neque unde eam, neque quorſum eam:
Ita prorſum oblitus ſum mei.

PA. Qui quæſo? C. amo. PA. ehem. C. nunc te Parmeno oſtẽdes, qui uir ſies.
Scis te mihi ſæpe pollicitum eſſe: Chærea, aliquid inuenit
Modo, quod ames: in ea re utilitatem ego faciam ut noſcas meam:
Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.
PA. Age inepte. C. hoc hercle factum eſt. fac, ſis, nunc promiſſa appareant,
Siue adeo digna res eſt, ubi tu neruos intendas tuos.
Haud ſimilis uirgo eſt uirginũ noſtrarũ: quas matres ſtudẽt
Demiſſis humeris eſſe, uincto pectore, ut gracilæ ſient.
Si qua eſt habitior paullo, pugilẽ eſſe aiunt: deducũt cibũ:
Tametſi bona eſt natura, reddunt curatura iunceas:
Itaque amantur. PA. quid tua iſtæc? C. noua figura oris. PA. papæ.
CH. Color uerus, corpus ſolidum, & ſucci plenum. PA. anni. C. ſedecim.
PA. Flos ipſe. C. hanc tu mihi uel ui, uel clam, uel precario
Fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modo.
PA. Quid, uirgo cuia eſt? C. neſcio hercle. P. unde eſt? C. tantundem. P. ubi habitat?
CH. Ne id quidem. P. ubi uidiſti? C. in uia. P. qua ratione amiſiſti?
CH. Id equidem aduenienſ mecum ſtomachabar modo:
Neque quẽquã hominẽ eſſe ego arbitror, cui magis bonæ
Felicitates omnes aduerſæ ſient.
PA. Quid hoc eſt ſceleris? C. perij. P. quid factũ eſt? C. rogas.
Patris cognatum atque æqualem Archidemidem
Noſtin'? P. quid ni? C. is, dũ ſequor hanc, fit mihi obuiam.

PA. Incommode hercle. CH. immo enimuero infeliciter:
Nam incommoda alia sunt dicenda Parmeno.
Illum, liquet mihi deierare, his mensibus
Sex septem prorsum non uidisse proxumis,
Nisi nunc, cum minime uellem, minimeq; opus fuit.
Eho, non ne hoc monstri simile est? quid ais? P. maxume.
CH. Continuo accurrit ad me, quam longe quidem,
Incuruus, tremulus, labijs demissis, gemens:
Heus heus, tibi dico Chærea, inquit. restiti.
Scin', quid ego te uolebam? dic. cras est mihi
Iudicium. quid tum? ut diligenter nuncies
Patri, aduocatus mane mihi esse ut meminerit.
Dum hæc dicit, abijt hora. rogo, num quid uelit.
Recte, inquit. abeo. cum huc respicio ad uirginem,
Illa sese interea commodum huc aduorterat
In nostrā hanc plateā. PA. mirum, ni hanc dicit, modo
Huic quæ data est dono. C. huc cū aduenio, nulla erat.
PA. Comites secuti scilicet sunt uirginem?
CH. Verum, parasitus cum ancilla. PA. ipsa est scilicet.
Desine: iam conclamatum est. CH. alias res agis.
PA. Istuc ago quidem. CH. nostin' quæ sit? dic mihi: aut
Vidistin'? PA. uidi, noui: scio, quo abducta sit.
CH. O Parmeno mi, nostin'? PA. noui. C. & scis, ubi siet?
PA. Huc deducta est ad Thaidem: ei dono data est.
CA. Quis is est tam potens cum tanto munere hoc? PA. miles Thraso,
Phædriæ riualis. C. duras fratris partes prædicas.
PA. Immo enim, si scias quod donū huic dono cōtra cōparet,
Tum magis id dicas. C. quodnam quæso hercle? PA. Eunuchum. C. illum ne obsecro

Inhoneſtum hominem, quem mercatus eſt heri, ſenem, mu lierem?

PA. Iſtunc ipſum. C. homo quatietur certe cum dono foras.
Sed iſtam Thaidem non ſciui nobis uicinam. PA. haud diu eſt.

CH. Perij. nunquam ne etiam me illam uidiſſe? ehodum dic mihi,
Eſt ne, ut fertur, forma? PA. ſane. C. at nihil ad noſtram hanc. PA. alia res eſt.

CH. Obſecro te hercle Parmeno, fac ut potiar. PA. faciam ſedulo, ac
Dabo operam, adiutabo. numquid me aliud uis? C. quo nunc is? PA. domum.
Vt mãcipia hæc, ita ut iuſsit frater, deducam ad Thaidem.

CH. O fortunatum iſtum eunuchum, qui quidem in hanc detur domum.

PA. Quid ita? C. rogitas? ſumma forma ſemper conſeruam domi
Videbit, colloquetur, aderit una in unis ædibus,
Cibum nonnunquã capiet cũ ea, interdũ propter dormiet.

PA. Quid, ſi nunc tute fortunatus fias? C. qua re Parmeno?
Reſponde. PA. capias tu, illiu' ueſtem. C. ueſtem? quid tum poſtea?

PA. Pro illo te deducam. C. audio. P. te eſſe illum dicat. C. intellego.

P. Tu illis fruare commodis, quibu' tu illum dicebas modo:
Cibum una capias, aſsis, tangas, ludas, propter dormias:
Quandoquidem illarum neque quiſquam te nouit, neque ſcit qui ſies.
Præterea forma, ætas ipſa eſt, facile ut pro eunucho probes.

CH. Dixti pulchre: numquam uidi melius consilium dari.
Age eamus intro: nunc iam orna me, abduc, duc, quantum potes.
P. Quid agis? iocabar equidem. C. garris. P. perij, quid ego egi miser?
Quo trudis? perculeris iam tu me? tibi equidem dico, mane.
CH. Eamus. P. Pergin'? C. certum est. P. uide, ne nimium calidum hoc sit modo.
C. Non est profecto. sine. P. at enim istæc in me cudetur faba. ah
Flagitium, facinus. C. an id flagitium est, si in domum meretriciam
Deducar, et illis crucibus, quæ nos, nostramq; adolescentiā
Habent despicatam, & quæ nos semper omnibus cruciant modis,
Nunc referam gratiam, atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur?
An potius hæc pati, æquom est fieri, ut a me ludatur dolis?
Quod qui rescierint, culpent? illud merito factum omnes putent.
P. Quid istuc? si certū est facere, faciam. uerū ne post cōferas
Culpam in me. C. non faciam. P. iubes ne? C. iubeo, cogo, atque impero.
P. Numquam defugiam auctoritatem: sequere. C. dij uortant bene.

ACTVS TERTII SCENA I.

THRASO, GNATHO, PARMENO.

T. MAGNAS uero agere gratias Thais mihi.
G. Ingentes. T. ain' tu, læta est? G. non tam ipso quidem

Dono, quam abs te datum esse: id uero serio
Triumphat. P. huc prouiso, ut, ubi tempus siet,
Deducam. sed eccum militem. T. est istuc datum
Profecto mihi, ut sint grata quæ facio omnia.
G. Aduorti hercle animum. T. uel rex semper maxumas
Mihi agebat, quidquid feceram, aliis non item.
G. Labore alieno magno partam gloriam
Verbis sæpe in se transmouet, qui habet salem:
Quod in te est. T. habes. G. rex te ergo in oculis. T. scilicet.
G. Gestare. T. uero, credere omnem exercitum,
Consilia. G. mirum. T. tum sicubi eum satietas
Hominum aut negoti si quando odium ceperat,
Requiescere ubi uolebat, quasi: nostin'? G. scio.
Quasi ubi illam exspueret miseriam ex animo. T. tenes.
Tum me conuiuam solum abducebat sibi. G. hui,
Regem elegantem narras. T. immo sic homo
Est per paucorum hominum. G. immo nullorũ arbitror,
Si tecum uiuit. T. inuidere omnes mihi,
Mordere clanculum: ego flocci pendere:
Illi inuidere misere. uerum unus tamen
Impense, elephantis quem Indicis præfecerat,
Is ubi molestus magis est, quæso, inquam, Strato
Eo ne es ferox, quia habes imperium in belluas?
G. Pulchre mehercle dictum, & sapienter. papæ,
Iugularas hominem. quid ille? T. mutus illico.
G. Quid ni esset? P. dii uostram fidem, hominem perditum,
Miserumq;, & illum sacrilegum. T. quid illud Gnatho,
Quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuio,
Numquid tibi dixi? G. numquam: sed narra obsecro.
Plus millies iam audiui. T. una in conuiuio

Erat

Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus.
Forte habui scortum: cœpit ad id alludere,
Et me irridere. quid agis, inquam, homo impudens?
LEPVS tute es, & pulpamentũ quæris. G. ha, ha, hæ.
T. Quid est? G. facete, lepide, laute, nihil supra.
Tuum obsecro ne hoc dictum erat? uetu' credidi.
T. Audieras? G. sæpe; & fertur in primis. T. meum est.
G. Dolet dictum imprudenti adolescenti, & libero.
P. At te dij perdant. G. quid ille quæso? T. perditus.
Risu omnes, qui aderant, emoriri. denique
Metuebant omnes iam me. G. non iniuria.
T. Sed heus tu purgon' ego me de istac Thaidi,
Quod eam me amare suspicatur? G. nihil minus,
Immo magis auge suspicionem. T. cur? G. rogas?
Scin'? si quando illa mentionem Phædriæ
Facit, aut si laudat, te ut male urat. T. sentio.
G. Id ut ne fiat, hæc res sola est remedio.
Vbi nominabit Phædriam, tu Phamphilam
Continuo. si quando illa dicet, Phædriam
Comessatum intromittamus: tu, Pamphilam
Cantatum prouocemus. si laudabit hæc
Illius formam: tu huius contra. denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat.
T. Siquidem me amaret, tum istuc prodesset Gnatho.
G. Quando illud, quod tu das, expectat, atque amat;
Iamdudum amat te; iamdudum illi facile fit,
Quod doleat: metuet semper. quem ipsa nunc capit
Fructum, ne quando iratus tu alio conferas.
T. Bene dixti, at mihi istuc non in mentem uenerat.
G. Ridiculum, non enim cogitaras; ceterum,

Idem hoc tute melius quanto inueniſſes Thraſo?

ACTVS TERTII SCENA II.

THAIS, THRASO, PARMENO.

GNATHO, PYTHIAS.

TH. AVDIRE uocem uiſa ſum modo militis
Atque eccum. ſalue mi Thraſo. THR. o Thais mea
Meum ſuauium, quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina iſtac? P. quam uenuſte? quod dedit
Principium aduenians? TH. plurimum merito tuo.
G. Eamus ergo ad cenam: quid ſtas? P. hem alterum.
Ex homine hunc natum dicas. TH. ubi uis, non moror.
P. Adibo, atque aßimulabo, quaſi nunc exeam.
Ituran' Thais quopiam es? TH. ehem Parmeno.
Benefeciſti, hodie itura. P. quo? PH. ecquid hunc uides?
P. Video, & me tædet. ubi uis, dona aſſunt tibi
A Phædria. TH. quid ſtamus? cur non imus hinc?
P. Quæſo hercle ut liceat, pace quod fiat tua,
Dare huic quæ uolumus, conuenire & colloqui.
THR. Per pulchra credo dona, haud noſtris ſimilia.
PA. Res indicabit. heus iubete iſtos foras
Exire, quos iußi. ocyus procede tu huc.
Ex Aethiopia eſt uſque hæc. T. hic ſunt tres minæ.
G. Vix. P. ubi tu es Dore? accede huc. hem eunuchum tibi
Quam liberali facie, quam ætate integra?
TH. Ita me di ament, honeſtus eſt. P. quid tu ais Gnatho?
Numquid habes, quod contemnas? quid tu autem Thraſo?
Tacent: ſatis laudant. fac periculum in litteris,
Fac in palæſtra, in muſicis. quæ liberum

Scire æquom est adolescentem, sollertem dabo.
THR. Ego illum eunuchum, si sit opus, uel sobrius.
P. Atque hæc qui misit, non sibi soli postulat
Te uiuere, & sua caussa excludi ceteros:
Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas
Ostentat: neque tibi obstat: quod quidam facit.
Verum, ubi molestum non erit, ubi tu uoles,
Vbi tempus tibi erit, sat habet si tum recipitur.
THR. Apparet seruom hunc esse domini pauperis,
Miserique. G. nam hercle nemo posset, sat scio,
Qui haberet qui pararet alium, hunc perpeti.
P. Tace tu: quem esse ego puto infra omnes infimos
Homines: nam, qui huic animum assentari induxeris,
E flamma te petere cibum posse arbitror.
THR. Iam ne imus? TH. hos prius introducā, & quæ uolo,
Simul imperabo: postea continuo exeo.
THR. Ego hinc abeo: tu istam opperire. P. haud conuenit
Vna cum amica ire imperatorem in uia.
THR. Quid tibi ego multa dicam? domini similis es.
G. Ha, ha, hæ. T. quid rides? G. istuc, quod dixti modo:
Et illud de Rhodio dictum in mentem uenit.
Sed Thais exit. T. abi: præcurre, ut sint domi
Parata omnia. G. fiat. TH. diligenter Pythias
Fac cures, si Chremes huc forte aduenerit,
Vt ores primum ut maneat: si id non commodum est,
Vt redeat. si id non poterit, ad me adducito.
PY. Ita faciam. TH. quid? quid aliud uolui dicere?
Hem, curate istam diligenter uirginem.
Domi assitis, facite. T. eamus. TH. uos me sequimini.

ACTVS TERTII SCENA III.

CHREMES, PYTHIAS.

CH. ROFECTO quanto magis magisq; cogito'
P Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum:
Ita me uideo ab ea astute labefactarier.
Iam tum, cum primum iussit me ad se accersier,
(Roget quis, quid tibi cum illa? ne noram quidem)
Vbi ueni, caussam; ut ibi manerem, repperit:
Ait rem diuinam fecisse, & rem seriam
Velle agere mecum. iam tum erat suspicio,
Dolo malo hæc fieri omnia. ipsa accumbere
Mecum, mihi sese dare, sermonem quærere.
Vbi friget, huc euasit, quam pridem pater
Mihi & mater mortui essent. dico, iam diu.
Rus Sunii ecquod habeam, & quam longe a mari.
Credo ei placere hoc: sperat se a me auellere.
Postremo, ecqua inde parua perisset soror;
Ecquis cum ea una; quid habuisset, cum perit;
Ecquis eam posset noscere. hæc cur quæritet?
Nisi illa forte, quæ olim periit paruola
Soror, hanc se intendit esse, ut est audacia.
Verum ea si uiuit, annos nata est sedecim,
Non maior: Thais, ego quam sum, maiuscula est?
Misit porro orare, ut uenirem serio.
Aut dicat quid uolt, aut molesta ne siet.
Non hercle ueniam tertio. heus. heus. PY. hic quis est?
CH. Ego sum Chremes. PY. o capitulum lepidissimum.
CH. Dico ego mi insidias fieri? PA. Thais maxumo
Te orabat opere, ut cras redires. CH. rus eo.



PA. Fac amabo. CH. non possum, inquam. PA. at apud nos hic mane,
Dum redeat ipsa. CH. nihil minus. PA. cur mi Chremes?
CH. Malam rem. abis hinc? PA. si istuc ita certum est tibi,
Amabo, ut illuc transeas, ubi illa est. CH. eo.
PA. Abi Dorias, cito hunc deduce ad militem.

ACTVS TERTII SCENA IV.

ANTIPHO.

A. H. ERI aliquot adolescentuli coijmus in Piræo,
In hunc diem ut de symbolis essemus. Chæream ei rei
Præfecimus: dati anuli: locu', tempus constitutum est.
Præterijt tempus: quo in loco dictum est, parati nihil est.
Homo ipse nusquam est: neque scio, quid dicam, aut quid coniectem.
Nunc mihi hoc negoti ceteri dedere, ut illum quæram:
Id'q; adeo uisam, si domi est. quisnam hinc à Thaide exit?
Is est, annon est? ipsu' est. quid hoc hominis? qui est hic ornatus?
Quid illud mali est? nequeo satis mirari, neque conijcere.
Nisi quidquid est, procul hinc libet priu', quid sit, sciscitari.

ACTVS TERTII SCENA V.

CHAEREA, ANTIPHO.

CH. N. VM quis hic est? nemo est. num quis hinc me sequitur? nemo homo est.
Iam ne erumpere hoc licet mihi gaudium? pro Iuppiter,

Nunc est profecto interficio cum perpeti me possum:
Ne hoc gaudium contaminet uita aliqua ægritudine,
Sed neminem ne curiosum interuenire nunc mihi,
Qui me sequatur, quoquo eam, rogitando obtūdat, enicet,
Quid gestiam, aut quid lætus sim, quo pergam, unde emergam, ubi siem
Vestitum hunc nactus, quid mihi quæram, sanus sim, an ne insaniam?

A. Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam uideo uelle, inibo.
Chærea, quid est quod sic gestis? quid sibi hic uestitus quærit?
Quid est, quod lætus sis? quid tibi uis? satin' ne sanus? quid me
Adspectas? quid taces? CH. o festus dies hominis: amice
Salue: nemo omnium est, quem ego magis nunc cuperem uidere.

A. Narra istuc quæso quid siet. CH. immo ego te obsecro hercle, ut audias.
Nostin' hanc, quam frater amat? A. noui, nempe opinor Thaidem.

CH. Istam ipsam. A. sic commemineram. CH. quædam hodie est ei dono data
Virgo. quid ego eius tibi nunc faciem prædicem, aut laudem Antipho,
Cum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem?
In hac commotus sum. A. ain' tu? CH. primam dices, scio, si uideris
Quid multa uerba? amare cœpi. forte fortuna domi
Quidā erat eunuchus, quē mercatus fuerat frater Thaidi:

Neque is deductus etiã tũ ad eam. summouit me Parmeno
Ibi seruus, quod ego arripui. A. quid id est? C. tacitus, citius audies.
Vt uestem cum illo mutem, & pro illo iubeam me illuc ducier.
A. Pro eunuchon'? C. sic est. A. quid tandem ex ea re ut caperes commodi?
CH. Rogas? uiderem, audirem, essem una, qua cum cupiebam Antipho.
Num parua caussa, aut parua ratio est? traditus sum mulieri.
Illa illico ubi me accepit, læta uero ad se abducit domum,
Commendat uirginem. A. cui? tibi ne? CH. mihi. A. satis tuto tamen.
CH. Edicit, ne uir quisquam ad eam adeat, & mihi, ne abscedam, imperat.
In interiore parte ut maneam solus cum sola. annuo.
Terram intuens modeste. AN. miser. CH. ego, inquit, ad cœnam hinc eo:
Abducit secum ancillas: paucæ, quæ circum illum essent, manent.
Nouitiæ puellæ. continuo hæc adorant, ut lauet.
Adhortor, properent. dum apparatur, uirgo in conclaui sedet,
Suspectans tabulam quandam, pictam ubi inerat pictura hæc, Iouem
Quo pacto Danaæ misisse aiunt quondã in gremium imbrem aureum.
Egomet quoque id spectare cœpi: & quia consimilem luserat

Iam olim ille ludum, impendio magis animu' gaudebat mihi,
Deum ſeſe in hominem conuertiſſe, atque per alienas tegulas
Veniſſe clanculum per impluuium fucum factũ mulieri.
At quem Deum? qui templa cœli ſumma ſonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? ego illud uero ita feci, ac lubens.
Hæc dum mecum reputo, accerſitur lauatum interea uirgo.
It, lauit, redit: deinde illam in lecto illæ collocarunt.
Sto expectans, ſiquid mihi imperent: uenit una, heus tu, inquit, Dore
Cape hoc flabellũ, & uentulũ huic ſic facito dũ lauamur.
Vbi nos lauerimus, ſi uoles, lauato. accipio triſtis.
A. Tum equidem iſtuc os tuum impudens uidere nimium uellem,
Status quis eſſet, flabellum tenere te aſinum tantum.
C. Vix elocuta eſt hoc, foras ſimul omnes proruunt ſe:
Abeunt lauatum, perſtrepunt, ita ut fit, domini ubi abſunt.
Interea ſomnus uirginem opprimit. ego limis adſpecto
Sic per flabellum clanculum, & ſimul alia circumſpecto,
Satin' explorata ſint. uideo eſſe: peſſulum oſtio obdo.
A. Quid tum? CH. quid tum fatue? A. fateor. CH. egon' occaſionem
Mihi oſtentatam, tam breuem, tam optatam, tam inſperatã,
Amitterem? tum pol ego is eſſem uere qui aßimulabar.
A. Sane hercle ut dicis. ſed interim de ſymbolis quid actum eſt?

C. Paratum est. A. frugi es: ubi? domin' ? C. immo apud libertum Discum.
A. Perlonge est: sed tanto ocyus properemus: muta uestem.
C. Vbi mutem? perij: nam domo exulo nunc: metuo fratrem
Ne intus sit: porro autem, pater ne rure redierit iam.
A. Eamus ad me: ubi proxumum est ubi mutes. C. recte dicis.
Eamus: & de istac simul, quo pacto porro possim
Potiri, consilium uolo capere una tecum. A. fiat.

ACTVS QVARTI SCENA I.

DORIAS.

ITA me dij bene ament, quantum ego illum uidi, non nihil timeo
Misera, ne quam ille hodie insanu' turbam faciat, aut uim Thaidi.
Nam postquam iste aduenit Chremes adolescens frater uirginis,
Rogat, illum admitti ut iubeat. ille continuo irasci, neque
Negare audere: Thais porro instare, ut hominem inuitet. id
Faciebat retinendi illius caussa: quia, illa quæ cupibat
De sorore eius indicare, ad eam rem tempus non erat.
Inuitat tristis. mansit ibi. illa cum illo sermonem illico.
Miles uero sibi putare adductum ante oculos æmulum
Voluit facere contra huic ægre: heus heus, inquit puer hunc Pamphilam
Accerse, ut delectet hic nos. illa exclamat, minime gentium.
Tun' in conuiuium illam? miles tendere. inde ad iurgiũ.
Interea aurum sibi clam mulier demit, dat mihi ut auferam.

Hoc est signi, ubi plurimũ poterit, sese illinc subducet, scio.

ACTVS QVARTI SCENA II.

PHAEDRIA.

CVM rus eo, cœpi egomet mecum inter uias,
Ita ut sit ubi quid in animo est molestiæ,
Aliam rem ex alia cogitare, & ea omnia in
Peiorem partem. quid opu' est uerbis? dum hæc puto,
Præterij imprudens uillam. longe iam abieram,
Cum sensi. redeo sursum, male uero me habens.
Vbi ad ipsum ueni diuerticulum, constiti:
Occepi mecum cogitare, hem biduum hic
Manendum est soli sine illa? quid tum postea?
Nihil est. quid? nihil? si non tangendi copia est,
Eho ne uidendi quidem erit? si illud non licet,
Saltem hoc licebit. certe extrema linea
Amare, haud nihil est. uillam prætereo sciens.
Sed quid hoc quod timida subito egreditur Pythias?

ACTVS QVARTI SCENA III.

PYTHIAS, DORIAS, PHAEDRIA.

PY. VBI illum ego scelerosum misera, atque impiũ inueniam? aut ubi
Quæram? hoccine tam audax facinus facere esse ausum? PH. perij: hoc quid sit, uereor.
PY. Quin insuper etiã scelu', postquã ludificatu' est uirginẽ,
Vestem omnem miseræ discidit, eam ipsam capillo cõscidit.
PH. Hem. PY. qui nunc si detur mihi,
Vt ego unguibus facile illi in oculos inuolem uenefico?
PH. Profecto nescio quid absente nobis turbatum est domi.
Adibo. quid istuc? quid festinas? aut quem quæris Pythias?

PY. Hem Phædria, egon' quem quæram? abi hinc quo dignu'
es cum donis tuis
Tam lepidis. PH. quid istuc est rei?
PY. Rogas me? eunuchũ quẽ dedisti nobis, quas turbas dedit?
Vitiauit uirginem, quam heræ dederat dono miles. PH.
quid ais?
PY. Perij. PH. temulenta es. PY. utinam sic sient, mihi qui ma
le uolunt.
D. Au, obsecro mea Pythias, quod istuc nam monstri fuit?
PH. Insanis: qui istuc facere eunuchus potuit? PY. ego il-
lum nescio
Qui fuerit: hoc, quod fecit, res ipsa indicat.
Virgo ipsa lacrumat, neq;, cũ rogites quid sit, audet dicere.
Ille autem bonus uir nusquam apparet. etiam hoc misera
suspicor,
Aliquid domo abeũtẽ abstulisse. PH. nequeo mirari satis,
Quo abire ignauos ille poßit longius, nisi domum
Forte ad nos redijt. PY. uise amabo, num sit. PH. iam fa
xo scies.
D. Perij, obsecro. tam infandum facinus mea tu, ne audiui
quidem.
PY. At pol ego amatores audierã mulierũ esse eos maxumos.
Sed nihil potesse: uerum miseræ non in mentem uenerat.
Nã illum aliquò cõclussem, neque illi cõmisissem uirginẽ.

ACTVS QVARTI SCENA IV.

PHAEDRIA, DORVS, PYTHIAS, DORIAS.

PH. XI foras scelesté: at etiam restitas?
Fugitiue probi, male conciliate. DO. obsecro.
PH. oh.

Illud uide, os ut sibi distorsit carnufex.
Quid huc reditio est? quid uestis mutatio est?
Quid narras? paullulum si cessassem Pythia,
Domi non offendissem: ita iam ornabat fugam.
PY. Habes ne hominem amabo? PH. quid ni? PY. o factũ bene.
DO. Istuc pol uero bene. PY. ubi est? PH. rogitas? non uides?
PY. Videam obsecro, quem? P. hunc scilicet. PY. quis hic est homo?
P. Qui ad uos deductos hodie est. PY. hunc oculis suis
Nostrarum, numquam quisquam uidit Phædria.
PH. Non uidit? PY. an tu hunc credidisti esse, obsecro.
Ad nos deductum? P. namque aliũ habui neminẽ. PY. au,
Ne comparandus hic quidem ad illum est ille erat
Honesta facie, & liberali. P. ita uisus est
Dudum, quia uaria ueste exornatus fuit:
Nunc tibi uidetur fœdus, quia illam non habet.
PY. Tace obsecro: quasi uero paullum intersiet.
Ad nos deductus hodie est adolescentulus,
Quem tu uero uidere uelles Phædria.
Hic est uetus, uietus, ueternosus, senex.
Colore mustellino. P. hem, quæ hæc est fabula?
Eo redigis me, ut, quid egerim, egomet nesciam.
Eho tu, emin' ego te? DO. emisti. PY. iube mihi denuo
Respondeat. P. roga. PY. uenistin' hodie ad nos? negat.
At ille alter uenit annos natus sedecim:
Quem secum adduxit Parmeno. P. agedum, hoc mihi expedi.
Primum unde habes istam, quam habes, uestem? taces?
Monstrum hominis, non dicturus? DO. uenit Chærea.
PH. Frater ne? DO. ita est. PH. quando? DO. hodie.

PH. quam dudum? DO. modo.
PH. Qui cum? DO. cum Parmenone. PH. noras ne cũ prius?
DO. Non : nec, quis esset, numquam audieram dicier.
PH. Vnde igitur, meum fratrem esse, sciebas? DO. Parmeno
Dicebat eum esse: is dedit hanc mihi uestem. PH. occidi.
DO. Meam ipse induit: post una ambo abierunt foras.
PY. Iam sati' credis sobriam esse me, & nil mentitam tibi?
Iam sati' certum est uirginem uitiatam esse? PH. age nunc bellua,
Credis huic quod dicat? PY. qui isti credã? res ipsa indicat.
PH. Concede istuc paullulum. audin'? etiam paullulum, sat est.
Dic dum hoc rursum, Chærean' tuam uestem detraxit tibi?
DO. Factum. P. & ea est indutus? D. factum. P. & pro te huc deductu' est? DO. ita.
P. Iuppiter magne, o scelestum, atque audacem hominem. PY. uæ mihi,
Etiam nunc non credis indignis nos irrisas modis?
PH. Mirum ni tu credas quod iste dicat. quid agam, nescio.
Heus tu negato rursum. possũ ne ego hodie ex te exculpere
Verum? uidistin' fratrem Chæream? DO. non. PH. non potest sine
Malo fateri, uideo. sequere me hac. modo ait, modo negat.
Ora me. DO. obsecro te uero Phædria. PH. i intro. DO. hoi, hei.
PH. Alio pacto honeste quo modo hinc nunc abeam, nescio.
Actũ est si quidem. tu me hic etiam nebulo ludificabere?
PY. Parmenonis tã scio esse hanc technam, quam me uiuere.
DO. Sic est. PY. inueniam hodie, parem ubi pol referam gratiam.

Sed nunc quid faciendũ censes Dorias? DO. de istac rogas
Virgine? PY. ita: utrum taceam ne, an prædicem? DO. pol, si sapis,
Quod scis nescis, neque de eunucho, neq; de uitio uirginis.
Hac re & omni turba euolues te, & illi gratum feceris.
Id modo dic, abisse Dorum. PY. ita faciam? Do. sed uideon' Chremem?
Thais iam aderit. PY. quid ita? DO. quia, cum inde abeo, iam tunc inceperat
Turba inter eos. PY. aufer aurum hoc: ego scibo ex hoc, quid siet.

ACTVS QVARTI SCENA V.

CHREMES, PYTHIAS.

CH. At at, data hercle uerba mihi sunt: uicit uinũ quod bibi.
At dum accubabam, quam uidebar mihi esse pulchre sobrius:
Postquam surrexi, neque pes, neque mens satis suum officium facit.
PY. Chreme. C. quis est? ehem Pythia, uah quanto nunc formosior
Videre, quam dudum? PY. certe quidem tu pol multo alacrior.
CH. Verbum hercle uerum hoc est: SINE Cerere & Libero friget Venus.
Sed Thais multo ante uenit? PY. an ne abijt iam a milite?
CH. Iamdudum, ætatem. lites sunt inter eos factæ maxumæ.
PY. Nil dixit tum, ut sequere sese C. nihil, nisi abiens mihi innuit.

PY. Eho, non ne id sat erat? C. at nesciebam id dicere illam, nisi quia
Correxit miles, quod intellexi minus: nam me extrusit foras.
Sed eccam ipsam uideo: miror, ubi huic ego anteuorterim.

ACTVS QVARTI SCENA VI.

THAIS, CHREMES, PYTHIAS.

TH. CREDO equidem illum iam affuturum esse, illam ut eripiat: sine
Veniat: atqui, si illam digito attigerit uno, oculi illico.
Effodientur. usque eo ego illiu' ferre possum ineptias,
Et magnifica uerba, uerba dum sint. uerum enim si ad rem
Conferentur, uapulabit.

CH. Thais, ego iamdudum hic adsum. T. o mi Chreme, te ipsum expectabam:
Scin' tu turbam hanc propter te esse factam? & adeo ad te attinere hanc
Omnem rem? C. ad me? qui? quasi istuc? T. quia dum tibi sororem studeo
Reddere, & restituere, hæc atque huiusmodi sum multa passa.

CH. Vbi ea est? T. domi apud me. C. ehem. T. quid est?
Educta, ita uti teque, illaq; dignum est. C. quid ais? T. id quod res est.
Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa abs te quidquam pretij.

CH. Et habetur, & referetur a me Thais tibi, ita uti merita es,

Gratia. T. at enim caue, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas

Chreme: nam hæc ea est, quam miles a me ui nunc uenit ereptum.

Abi tu, cistellam Pythias domo effer cũ monumentis.

CH. Viden' tu illum Thais? PY. ubi sita est? TH. in risco. odiosa cessas?

CH. Militem secum ad te quantas copias adducere?

At at at. PH. num formidolosus obsecro es mi homo? CH. apagesis,

Ego formidolosus? nemo est hominum, qui uitat, minus.

TH. Atque ita opu' est. CH. au, metuo, qualem tu me esse homines existumes.

TH. Immo hoc cogitato: qui cum res tibi est, peregrinus est,

Minu' potens quam tu, minu' notus, amicorum hic habens minus.

CH. Scio istuc: sed tu quod cauere possis, stultũ admittere est.

Malo ego nos prospicere, quam hunc ulcisci accepta iniuria.

Abi tu, atque ostium obsera intus, ego dum hinc transcurro ad forum.

Volo ego adesse hic aduocatos nobis in turba hac. TH. mane.

CH. Melius est. TH. mane. CH. omitte: iam adero. TH. nil opus est istis Chreme:

Hoc dic modo, sororẽ illam tuam esse, & te paruã uirginẽ

Amisisse, nũc cognosse: signa ostẽde. PY. adsunt. TH. cape.

Si uim faciet, in ius ducito hominem: intellextin'? C. probe.

TH. Fac, animo hæc præsenti dicas. C. faciam. TH. attolle pallium.

Perij, huic ipsi opus patrono est, quem defensorem paro.

ACTVS

ACTVS QVARTI SCENA VII.

THRASO, GNATHO, SANGA, CHREMES, THAIS.

THR. HANCCINE ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam Gnatho?
Mori me satius. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini.
Primum ædes expugnabo. GN. recte. THR. uirginem eripiam. GN. probe.
THR. Male multabo ipsam. GN. pulchre. THR. in medium huc agmen cum uecti Donax,
Tu Simalio in sinistrũ cornu, tu Syrisce in dexterum.
Cedo alios: ubi centurio est Sanga, & manipulus furum? S. eccum adest.
THR. Quid ignaue? peniculon' pugnare, qui istum huc portes, cogitas?
S. Ego ne? imperatoris uirtutem noueram, & uim militum:
Sine sanguine hoc fieri nõ posse: qui abstergerem uulnera,
THR. Vbi alij? S. qui malum, alij? solus Sannio seruat domi.
THR. Tu hosce instrue: hic ego ero post principia: inde omnibus signum dabo.
G. Illuc est sapere: ut hosce instruxit, ipsus sibi cauit loco.
THR. Idem hocce Pyrrhus factitauit. CH. uiden'tu Thais, quam hic rem agit?
Nimirũ consilium illud rectum est de occludendis ædibus.
TH. Sane, quod tibi nunc uir uideatur esse, hic nebulo magnus est:
Ne metuas. THR. quid uidetur? G. fundam tibi nunc

nimis uellem dari,
Vt tu illos procul hinc ex occulto cæderes: facerent fugã.
THR. Sed eccam Thaidem ipsam uideo. G. quam mox irruimus? THR. mane.
OMNIA prius experiri uerbis, quam armis, sapientem decet.
Qui scis, an, quæ iubeam, sine ui faciat? G. Dij uostrã fidem,
Quanti est sapere. numquam accedo, quin abs te abeam doctior.
THR. Thais, primum hoc mihi responde: cum tibi do istam uirginem,
Dixtin' hos mihi dies soli dare te? TH. quid tum postea? THR. rogitas,
Quæ mihi ante oculos amatorem coram adduxisti tuum?
Quid cum illo ut agas? & cum eo clam subduxisti te mihi?
TH. Libuit. THR. Pamphilam ergo huc redde, nisi ui mauis eripi.
CH. Tibi illam reddat? aut tu eam tangas? omnium. G. ah, quid ais? tace.
CH. Quid tu tibi uis? THR. ego non tangam meam? CH. tuam autem furcifer?
G. Caue sis: nescis, cui maledicas nunc uiro. CH. non tu hinc abis?
Scin' tu, ut tibi res se habeat? si quidquam hodie hic turbæ cœperis,
Faciam huius loci, dijque, meiq; semper memineris.
GN. Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.

CH. Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis. GN. ain' uero canis?
Siccine agis? THR. quis tu es homo? quid tibi uis? quid cũ illa rei tibi est;
CH. Scibis. principio eam esse dico liberam. THR. hem. CH. ciuem Atticam. THR. hui.
CH. Meam sororem. THR. os durum. CH. miles, nunc adeo edico tibi,
Ne uim facias ullam in illam. Thais, ego eo ad Sophronam
Nutricem, ut eam adducam, et signa ostendam hæc. THR. tun' me prohibeas,
Meam ne tangam? CH. prohibeo inquam. GN. audin' tu? hic furti se alligat.
CH. Satin' hoc est tibi? THR. hoc idem tu ais? TH. quærere, qui respondeat.
THR. Quid nunc agimus? GN. ubin redeamus: iam hæc tibi aderit supplicans
Vltro. TH. credin'? G. immo certe: noui ingeniũ mulierũ:
NOLVNT, ubi, uelis; ubi nolis, cupiunt ultro. THR. bene putas.
GN. Iam dimitto exercitum? THR. ubi uis. G. Sanga, ita uti fortes decet
Milites, domique, fociq; fac uicissim ut memineris.
SAN. Iamdudum est animus in patinis. GN. frugi es. THR. uos me hac sequimini.

ACTVS QVINCTI SCENA I.

THAIS, PITHIAS.

TH. ERGIN' scelesta mecum perplexe loqui?
P. Scio, nescio: abijt: audiui: ego non adfui.
Non tu istuc mihi dictura aperte es, quid-

quid est ?
Virgo conscissa ueste lacrumans obticet,
Eunuchus abijt, quamobrem? quid factum est ? taces?
PY. Quid tibi ego dicam misera ? illum eunuchum negant
Fuisse. TH. quis fuit igitur ? PY. iste Chærea.
TH. Qui Chærea? PY. iste ephebus frater Phædriæ.
TH. Quid ais uenefica ? PY. atqui certo comperi.
TH. Quid is obsecro ad nos, quamobrem adductu' est?
PY. nescio.
Nisi amasse credo Pamphilam. T. hem misera occidi,
Infelix, si quidem tu istæc uera prædicas.
Num id lacrumat uirgo ? PY. id opinor. T. quid ais sacrilega ?
Istuccine interminata sum hinc abiens tibi ?
P. Quid facerem? ita ut tu iusti, soli credita est?
TH: Scelesta. OVEM LVPO commisti. dispudet.
Sic mihi data esse uerba. quid hominis illic est?
PY. Hera mea tace, obsecro, saluæ sumus : hominem
Habemus ipsum. T. ubi is est? P. hem ad sinistrã, nõ uides?
En. T. uideo. PY. comprehendi iube, quantum potest.
TH. Quid illi facies stulta? PY. quid faciam, rogas?
Vide amabo, si non, cum adspicias, os impudens
Videtur. TH. non. PY. tum, quæ eius confidentia est.

ACTVS QVINCTI SCENA II.

CHAEREA, THAIS, PYTHIAS.

CH. APVD Antiphonem uterque, mater, & pater,
Quasi dedita opera, domi erant, ut nullo modo
Introire possem, quin uiderent me. interim
Dum ante ostium sto, notus mihi quidam obuiam

Venit. ubi uidi, ego me in pedes, quantum queo,
In angiportum quoddam desertum, inde item
In aliud, inde in aliud. ita miserrimus
Fui fugitando, ne quis me cognosceret.
Sed est ne hæc Thais, quam uideo? ipsa est. hæreo.
Ah, quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi?
TH. Adeamus. bone uir Dore, salue: dic mihi,
Aufugistin'? CH. hera, factum. TH. satin' id tibi placet?
CH. Non. TH. credin' te impune habiturum? CH. unam hanc noxiam
Mitte: si aliam umquam admisero ullam, occidito.
TH. Num meam sæuitiam ueritus es? CH. non. TH. quid igitur?
CH. Hanc metui, ne me criminaretur tibi.
TH. Quid feceras? CH. paullulum quiddam. PY. eho, paullulum impudens?
An paullulum esse hoc tibi uidetur, uirginem
Viciare ciuem? CH. conseruam esse credidi.
PY. Conseruam? uix me contineo, quin inuolem in
Capillum. monstrum, etiam ultro derisum aduenit.
TH. Abi hinc insana. PY. quid ita uero? debeam,
Credo, isti quidquam furcifero, si id fecerim;
Præsertim cum se seruom fateatur tuum.
TH. Missa hæc faciamus. non te dignum Chærea
Fecisti: nam si ego digna hac contumelia
Sum maxime, at tu indignus qui faceres tamen.
Neque ædepol, quid nunc consili capiam, scio,
De uirgine istac: ita conturbasti mihi
Rationes omnes, ut eam non possim suis,
Ita ut æquom fuerat, atque ut studuit, tradere, ut

Solidum parerem hoc mihi beneficium Chærea.

CH. At nunc dehinc spero æternam inter nos gratiam
Fore Thais. sæpe ex huiusmodi re quapiam, &
MALO EX PRINC. MAGNA FAMILIARITAS
Conflata est. quid, si hoc quispiam uoluit deus?

TH. Equidem pol in eam partem accipio'q; & uolo.

CH. Immo ita quæso. unum hoc scito, contumeliæ
Non me fecisse caussa, sed amoris. TH. scio,
Et pol propterea magis nunc ignosco tibi.
Non adeo inhumano ingenio sum Chærea,
Neque tam imperita, ut, quid amor ualeat, nesciam.

CH. Te quoque iam Thais, ita me dij bene ament, amo.

PY. Tum pol ab isto tibi hera cauendum intellego.

CH. Nō ausim. PY. nihil tibi quidquam credo. TH. desinas.

CH. Ego me tuæ commendo & committo fidei.
Nunc ego te in hac re mihi oro ut adiutrix sies:
Te mihi patronam cupio Thais: te obsecro:
Emoriar, si non hanc uxorem duxero.

TH. Tamen si pater. CH. quid? ah uolet, certo scio,
Ciuis modo hæc sit. TH. paullulum opperirier
Si uis, iam frater ipse hic aderit uirginis:
Nutricem accersitum ijt, quæ illam aluit paruolam:
In conoscendo tute ipse aderis Chærea.

CH. Ego uero maneo. TH. uis ne interea, dum is uenit,
Domi opperiamur potius, quam hic ante ostium?

CH. Immo percupio. P. quam tu rem actura obsecro es?

TH. Nam quid ita? P. rogitas? hunc tu in ædes cogitas
Recipere posthac? TH. cur non? P. crede hoc meæ fidei,
Dabit hic aliquam pugnā denuo. TH. au, tace obsecro.

P. Parum perspexisse eius uidere audaciam.

CH. Non faciam Pythia. P. non pol, credo Chærea,
Nisi si commissum non erit. C. quin Pythias
Tu me seruato. P. neque pol seruandum tibi
Quidquam dare ausim, neque te seruare. apage te.
TH. Optime. adest ipse frater. C. perij hercle: obsecro
Abeamus intro Thais: nolo, me in uia
Cum hac ueste uideat. TH. quamobrem tandem? an quia pudet?
CH. Id ipsum. P. id ipsum? uirgo uero. T. i præ, sequar.
Tu istic mane, ut Chremem introducas Pythias.

ACTVS QVINCTI SCENA III.

PYTHIAS, CHREMES, SOPHRONA.

PY. QVID? quid euenire in mentem nunc posit mihi,
Quidnam, qui referam illi sacrilego gratiam,
Qui hunc suppo suit nobis? C. moue uero ocyus
Te nutrix. S. moueo. C. uideo, sed nil promoues.
PY. Iam ne ostendisti signa nutrici? C. omnia.
PY. Amabo, quid ait? cognoscit ne? C. ac memoriter.
PY. Bene æpol narras: nam illi faueo uirgini.
Ite intro: iamdudum hera uos expectat domi.
Virum bonum eccum Parmenonem incedere
Video: uide, ut otiosus sit, si dijs placet.
Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo.
Ibo intro, de cognitione ut certum sciam:
Post exibo, atque hunc perterrebo sacrilegum.

ACTVS QVINCTI SCENA IV.

PARMENO, PYTHIAS.

P. REVISO, quidnam Chærea hic rerũ gerat.
Quod si astu rem tractauit, dij uostram fidem,

Quantam, & quam ueram laudem capiet Parmeno.
Nam ut omittam, quod ei amorem difficillimum, &
Carissimum ab meretrice auara: uirginem
Quam amabat, eam confeci sine molestia
Sine sumptu, sine dispendio. tum hoc alterum,
Id uero est, quod ego mihi puto palmarium,
Me repperisse, quo modo adolescentulus
Meretricum ingenia & mores posset noscere;
Mature ut cum cognorit, perpetuo oderit.
Quæ dum foris sunt, nihil uidetur mundius,
Nec magis compositum quidquam, nec magis elegans:
Quæ, cum amatore suo cum cenant, liguriunt.
Harum uidere ingluuiem, sordes, inopiam,
Quam inhonestæ solæ sint domi, atque auidæ cibi,
Quo pacto ex iure hesterno panem atrum uorent.
Nosse omnia hæc, salus est adolescentulis.

PY. Ego pol te pro istis dictus & factis, scelis,
Vlciscar; ut ne impune in nos illuseris.

ACTVS QVINCTI SCENA V.

PYTHIAS, PARMENO.

PY. PRO deum fidem, facinus fœdum: o infelicem adolescentulum,
O scelestum Parmenonem, qui istum huc adduxit. PA. quid est?
PY. Miseret me: itaque, ut ne uiderem, misera huc effugi foras.
Quæ futura exempla dicunt in eum indigna? PA. o Iuppiter,
Quæ illæc turba est? numnam ego perij? adibo. quid istuc Pythias?

Quid ais? in quem exempla fient? PY. rogitas audacißime?
Perdidisti istum, quem adduxti pro eunucho, adolescentulum.
Dum studes dare uerba nobis. PA. quid ita? aut quid factum est? cedo.
PY. Dicam. uirginem istam, Thaidi hodie quæ dono data est,
Scin' eam hinc ciuem esse? & eius fratrem apprime nobilem?
PA. Nescio. PY. atqui sic inuenta est: eam iste uitiauit miser.
Ille ubi id resciuit factum frater uiolentißimus.
PA. Quidnam fecit? PY. colligauit primum eum miseris modis.
PA. Colligauit? hem. PY. atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide.
PA. Quid ais? PY. nunc minatur porro sese id, quod mœchis solet:
Quod ego numquam uidi fieri, neque uelim. PA. qua audacia
Tantum facinus audet? PY. quid ita tantum? PA. an non hoc maxumum est?
Quis homo pro moecho umquã uidit in domo meretricia
Deprendi quemquam? PY. nescio. PA. at ne hoc nesciatis Pythias,
Dico, edico uobis, nostrum esse illum herilem filium. PY. hem,
Obsecro an is est? PA. ne quam in illum Thais uim fieri sinat.

Atque adeo autem cur non egomet intro eo: PY. uide Parmeno

Quid agas, ne neque illi prosis, & tu pereas: nam hoc putant,

Quidquid factum est, ex te esse ortum. PA. quid igitur faciam miser?

Quid ue incipiam? ecce autem uideo rure redeuntẽ senẽ.

Dicam huic, an non? dicam hercle: etsi mihi magnum malum

Scio paratum: sed necesse est, huic ut subueniat. PY. sapis:

Ego habeo intro: tu isti narrato ordine, ut factum siet.

ACTVS QVINCTI SCENA VI.

LACHES, PARMENO.

LA. EX meo propinquo rure hoc capio commodi:

Neque agri, neque urbis odium me umquam percipit.

Vbi satias cœpit fieri, commuto locum.

Sed est ne ille noster Parmeno? & certe ipsus est.

Quem præstolare Parmeno hic ante ostium?

PA. Quis homo est? hem, saluum te aduenire here gaudeo.

LA. Quem præstolare? P. perij: lingua hæret metu. L. hem,

Quid est, quod trepidas? sati' ne salue? dic mihi

PA. Here. primum te arbitrari id, quod res est, uelim.

Quidquid huius factum est, culpa non factum est mea.

LA. Quid? PA. recte sane interrogasti, oportuit

Rem prænarrasse me, emit quendam Phædria

Eunuchum, quem dono huic daret. LA. cui? PA. Thaidi,

LA. Emit? perij hercle. quanti? PA. uiginti minis.

LA. Actum est. PA. tum quandam fidicinam amat hic Chærea.

LA. Hem, quid amat? an ſcit iam ille, quid meretrix ſiet?
An in aſtu uenit? aliud ex alio malum.
PA. Here, ne me ſpectes: me impulſore hæc non facit.
LA. Omitte de te dicere. ego te furcifer,
Si uiuo. ſed iſtuc, quidquid eſt, primum expedi.
PA. Is pro illo eunucho ad Thaidem hanc deductus eſt.
LA. Pro eunuchon'? PA. ſic eſt. hunc pro mecho poſtea
Comprehendere intus, & conſtrinxere. LA. occidi.
PA. Audaciam meretricum ſpecta. LA. numquid eſt
Aliud mali, damni ue, quod non dixeris,
Reliquom? P. tantum eſt. LA. ceſſon' huc intro irrũpere?
PA. Non dubium eſt, quin mihi magnum ex hac re ſit malũ.
Niſi, quia neceſſe fuit hoc facere, id gaudeo,
Propter me hiſce aliquid eſſo euenturum mali:
Nam iam diu aliquam cauſſam quærebat ſenex,
Quamobrem inſigne aliquid faceret ijs: nunc repperit.

ACTVS QVINCTI SCENA VII.

PYTHIAS, PARMENO.

PY. NVMQVAM ædepol quidquam iam diu, quod magis uellem euenire,
Mi euenit, quam quod modo ſenex intro ad nos uenit errans.
Mihi ſolæ ridiculo fuit, quæ, quid timeret, ſcibam.
PA. Quid hoc autem eſt? PY. nunc id prodeo, ut conueniam Parmenonem.
Sed ubi obſecro eſt? PA. men' quærit hæc PY. atque eccum uideo: adibo.
PA. Quid eſt inepta? quid tibi uis? quid rides? pergin'? PY. perij.
Defeſſa iam ſum miſera te ridendo, PA, quid ita?

PY. rogitas?
Numquam ædepol hominem stultiorem uidi, nec uidebo. ah,
Non possum satis narrare, quos ludos præbueris intus.
At etiam primo callidum, & disertum credidi hominẽ.
Quid? illico ne credere ea, quæ dixi, oportuit te?
An pænitebat flagitij, te auctore quod fecisset
Adolescens, ni miserum insuper etiam patri indicares?
Nam quid illi credis animi tum fuisse, ubi uestem uidit
Illã esse eum indutum pater? quid? iam scis te perijsse?
PA. Ehem, quid dixti pessuma? an mentita ës? etiam rides?
Itan' lepidum tibi uisum est scelus, nos irridere? PY. nimium.
PA. Siquidem istuc impune habueris. PY. uerum? PH. reddam hercle. PY. credo:
Sed in diem istuc Parmeno est fortasse, quod minitare:
Tu iam pendebis, qui stultum adolescentulum nobilitas
Flagitijs, & eundem indicas: uterque in te exempla edent.
PA. Nullus sum. PY. hic pro illo munere tibi honos est habitus. abeo.
PA. Egomet meo indicio miser, quasi sorex, hodie perij.

ACTVS QVINCTI SCENA VIII.

GNATO, THRASO.

GN. QVID nunc? qua spe, aut quo consilio huc imus? quid inceptas Thraso?
TH. Ego ne? ut Thaidi me dedam, & faciam quod iubeat. GN. quid est?
TH. Qui minus huic, quam Hercules seruiuit Omphale? GN. exemplum placet.

Vtinam tibi commitigari uideam sandalio caput.
Sed quid? fores crepuere ab ea. quid autem hoc est mali?
Hunc ego numquam uideram etiam. quidnam properãs
hinc prosilit?

ACTVS QVINCTI SCENA IX.

CHAEREA, PARMENO, PHAEDRIA, GNATHO, THRASO.

CH. O POPVLARES, ecquis me uiuit hodie
fortunatior?
Nemo hercle quisquam: nam in me plane dij
potestatem suam
Omnem ostendere, qui tam subito tot congruerint commoda.
PA. Quid hic lætus est? CH. o Parmeno mi, o mearum uoluptatum omnium
Inuentor, inceptor, perfector, scin' me in quibus sim
gaudijs?
Scis Pamphilam meam inuentam ciuem? PA. audiui. C.
scis sponsam mihi?
PA. Bene, ita me di ament, factum. GN. audin' tu illũ quid
ait? C. tum autem Phædriæ,
Meo fratri, gaudeo amorem esse omnem in tranquillo:
una est domus:
Thais patri se commendauit, in clientelam & fidem
Nobis dedit se. P. fratris igitur Thais tota est. CH. scilicet.
P. Iam hoc aliud est, quod gaudeamus: miles pellitur foras.
CH. Tum tu, frater, ubi ubi est, fac quam primum hæc audiat. PA. uisam domum.
T. Nunquid Gnatho dubitas, quin ego nunc perpetuo perierim? GN. sine

Dubio opinor. CH. quid commemorem primum, aut quẽ laudem maxume?
Illum, qui mihi dedit consilium ut facerem; an me, qui id ausu' sim
Incipere? an fortunam collaudem, quæ gubernatrix fuit.
Quæ tot res, tantas, tam opportune in unum conclusit diem? an
Mei patris festiuitatem & felicitatem? o Iuppiter
Serua obsecra hæc nobis bona. PH. Dij nostram fidem, incredibilia
Parmeno modo quæ narrauit. sed ubi est frater? C. præsto est. PH. gaudeo.
C. Satis credo. nihil est Thaide hac, frater, tua dignius,
Quod ametur: ita nostræ est omni fautrix familiæ. PH. hui mihi
Illam laudas? T. perij, quanto spei est minu' tanto magis amo.
Obsecro Gnatho in te spes est. GN. quid uis faciam? T. perfice hoc
Precibus. pretio, ut hæream aliqua in parte tamen apud Thaidem.
GN. Difficile est. T. si quid collibuit, noui te. hoc si effeceris,
Quoduis donum, præmium a me optato, id optatum feres.
GN. Ita ne? T. sic erit. GN. hoc si efficio, postulo ut mihi tua domus
Te præsente, absente pateat, inuocato ut sit locus
Semper. TH. do fidem ita futurum. GN. accingar. PH.

quem hic ego audio?

O Thraso. T. saluete. PH. tu fortasse, quæ facta hic sient,
Nescis. T. scio. PH. cur ergo in his te ego conspicor regionibus
T. Vobis fretus. PH. scis quam fretus? miles edico tibi,
Si in platea hac te offendero post umquã; quod dicas mihi.
Alium querebam, iter hac habui: perijsti. GN. eia haud sic decet.
P. Dictum est. GN. non cognosco uostrum tam superbum. PH. sic erit.
G. Prius audite paucis: quod cum dixero, si placuerit,
Facitote. PH. audiamus. GN. tu concede paullum istuc Thraso.
Principio ego uos credere ambos hoc mihi uehementer uelim,
Me, huius quidquid facio, id facere maxume caussa mea:
Verum idem si uobis prodest, uos non facere inscitia est.
PH. Quid id est? G. militem riualem ego recipiendum censeo. PH. hem
Recipiendum? G. cogita modo. tu hercle cum illa Phædria
Et libenter uiuis, & enim bene libenter uictitas,
Et quod des paullum, & necesse est multum accipere Thaidem,
Vt tuo amori suppeditare posit sine sumptu tuo; ad
Omnia hæc magis opportunus, nec magis ex usu tuo
Nemo est. principio & habet quod det, dat nemo largius:
Fatuus est, insulsus, tardus, stertit, noctesque, & dies:
Neque tu istum metuas ne amet mulier: pellas facile, ubi uelis.

PH. Quid agimus? GN. præterea hoc etiam, quod ego uel primum puto,
Accipit hominem nemo melius prorsus, neque prolixius.
PH. Mirum, ni illoc homine quoquo pacto opus est. CH. idem arbitror.
GN. Recte facitis. unum etiam hoc uos oro, ut me in uostrum gregem
Recipiatis: satis diu hoc iam saxum uoluo. P. recipimus.
CH. Ac libenter. G. at ego pro istoc Phædria, & tu Chærea,
Hunc comedendum, & deridendum uobis præbeo. CH. placet.
PH. Dignus est. G. Thraso, ubi uis, accede. T. obsecro te, quid agimus?
G. Quid? isti te ignorabant, postquã eis mores ostendi tuos,
Et collaudaui secundum facta & uirtutes tuas,
Impetraui. T. bene fecisti. gratiam habeo maxumam.
Numquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.
GN. Dixin' ego uobis, in hoc esse Atticam eloquentiam?
PH. Nil præter promissum est. ite hac. uos ualete, & plaudite.

FABVLAE INTERLOCVTORES.

Chremes,	*senex.*
Clitipho,	*adolescens.*
Syrus,	*seruus.*
Sostrata,	*matrona.*
Bacchis,	*meretrix.*
Menedemus,	*senex.*
Clinia,	*adolescens.*
Dromo,	*seruus.*
Phrygia,	*ancilla:*
Antiphila,	*Chremetis filia.*

Nutrix.

TERENT. HEAVTONTIMORV.

Græca est Menandru, acta ludis Megalensib. L. Cornelio Lentulo, L. Valerio Flacco ædilib. Curulib. egit Ambiuius Turpio. modos fecit Flaccus Claudi. acta primum tibiis imparibus, deinde duabus dextris: acta etiam tertio, Ti. Sempronio, M'. Iuuentio Coss.

C. SVLPITII APOLLINARIS PERIOCHA.

I N MILITIAM *proficisci gnatum Cliniam,*
Amantem Antiphilam, compulit durus pater:
Animi'q; sese angebat, facti pænitens.

Mox ut reuersu'est, clam patrem diuortitur
Ad Clitiphonem. is amabat scortum Bacchidem,
Cum accerseret cupitam Antiphilam, Clinia,
Vt eius Bacchis uenit amica, ac seruolæ
Habitum gerens Antiphila. factum id, quo patrem
Suum celaret Clitipho. hic technis Syri
Decem minas meretriculæ aufert a sene:
Antiphila Clitiphonis reperitur soror.
Hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit.

PROLOGVS.

NE cui sit uostrum mirum, cur partes seni
Poeta dederit, quæ sunt adolescentium:
Id primum dicam: deinde, quod ueni, eloquar.
Ex integra Græca integram comœdiam
Hodie sum acturus Heautontimorumenon,
Duplex quæ ex argumento facta est simplici.
Nouam esse ostendi, & quæ esset. nunc, qui scripserit,
Et cuia græca sit, ni partem maxumam
Existimarem scire uostrum, id dicerem.
Nunc, quam ob rem has partes didicerim, paucis dabo.
Oratorem uoluit esse me, non prologum:
Vestrum iudicium fecit, me auctorem dedit.
Sed hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commoda,
Qui orationem hanc scripsit, quam dicturu' sum.
Nam quod rumores distulerunt maleuoli,
Multas contaminasse græcas, dum facit
Paucas latinas: factum hic esse id non negat,

Neque se id pigere, & deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum: quo exemplo sibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
Tum quod maleuolus uetus poeta dictitat,
Repente ad studium hunc se applicasse musicum,
Amicum ingenio fretum, haud natura sua:
Arbitrium uestrum, uestra existimatio
Valebit. quam ob rem omnes uos oratos uolo,
Ne plus iniquum poßit, quam æquum ratio.
Facite, æqui sitis, date crescendi copiam.
Nouarum qui spectandi faciunt copiam
Sine uitijs: ne ille pro se dictum existumet,
Qui nuper fecit seruo currenti in uia
Decesse populum: cur insano seruiat?
De illius peccatis plura dicet, cum dabit
Alias nouas, nisi finem maledictis facit.
Adeste æquo animo: date potestatem mihi.
Statariam agere ut liceat per silentium:
Ne semper seruos currens, iratus senex,
Edax parasitus, sycophanta autem impudens,
Auarus leno, assidue agendi sint mihi
Clamore summo, cum labore maxumo.
Mea caussa, caussam hanc iustam esse, animum inducite,
Vt aliqua pars laboris minuatur mihi:
Nam nunc nouas qui scribunt, nihil parcunt seni.
Laboriosa si qua est, ad me curritur:
Sin lenis est, ad alium defertur gregem.
In hac est pura oratio. experimini,
In utramque partem ingenium quid poßit meum.
Si numquam auare pretium statui arti meæ.

Et eum esse quæstum in animum induxi maxumum,
Quam maxume seruire uostris commodis:
Exemplum statuite in me, ut adolescentuli
Vobis placere studeant potius, quam sibi.

ACTVS PRIMI SCENA PRIMA.

CHREMES, MENEDEMVS SENEX.

QVAMQVAM hæc inter nos nuper notitia admodum est,
Inde adeo quod agrum in proxumo hic mercatus es,
Nec rei fere sane amplius quidquam fuit:
Tamen uel uirtus tua me, uel uicinitas,
Quod ego in propinqua parte amicitiæ puto,
Facit, ut te audacter moneam, & familiariter,
Quod mihi uidere præter ætatem tuam
Facere, & præter quam res te adhortatur tua.
Nam pro deum, atque hominum fidē, quod uis tibi? aut
Quid quæris? annos sexaginta natus es.
Aut plus eo, ut coniicio. agrum in his regionibus
Meliorem, neque pretii maioris nemo habet:
Seruos complures: proinde quasi nemo siet,
Ita tute attente illorum officia fungere.
Numquam tam mane egredior, neque tam uespere
Domum reuertor, quin te in fundo conspicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre. denique
Nullum remittis tempus, neque te respicis.
Hæc non uoluptati esse, satis certo scio.
At enim me, quantum hic operis fiat, pœnitet.
Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ,
Si sumas in illis exercendis, plus agas,

ME. Chreme, tantum ne est ab re tua otij tibi,
Aliena ut cures, æque, nihil quæ ad te attinent?
CH. Homo sum: humani a me nil alienum puto.
Vel me monere hoc, uel percunctari puta;
(Rectum est) ego ut faciam, non ut deterream.
ME. Mihi sic est usus, tibi aut opus est facto, face.
CH. An cuiquã est usus homini, se ut cruciet? M. mihi est.
CH. Si quid laboris est, nollem: sed istuc quid mali est?
Quæso, quid de te tantum meruisti? M. heu hoi.
CH. Ne lacruma, atque istuc, quidquid est, fac ut me ut sciã,
Ne retice: ne uerere: crede inquam mihi:
Aut consolando, aut consilio, aut re iuuero.
ME. Scire hoc uis? C. hac caussa equidem, qua dixi tibi.
ME. Dicetur. C. istos rastros interea tamen
Depone, ne labora. M. minime. C. quam rem agis?
ME. Sine me, uacuum tempus ne quod duim mihi
Laboris. CH. non sinam inquam. ME. ah, non æquom facis.
CH. Huic, tam graues hos quæso? M. sic meritum est meum.
CH. Nunc loquere. M. filium unicum adolescentulum
Habeo. ah quid dixi habere me? immo habui Chreme:
Nunc habeam, nec ne, incertum est. CH. quid ita istuc? M. scies.
Est e Corintho hic aduena anus paupercula;
Eius filiam ille amare cœpit perdite,
Prope iam ut pro uxore haberet. hæc clam me omnia.
Vbi rem resciui, cœpi non humaniter.
Neque ut ægrotum animum decuit adolescentuli
Tractare, sed ui & uia peruolgata patrum:
Quotidie accusabam: hem; tibi ne hæc diutius

Licere speras facere me uiuo patre,
Amicam ut habeas iam prope iam in uxoris loco?
Erras, si id credis, & me ignoras Clinia.
Ego te meum esse dici tantisper uolo,
Dum, quod te dignum est, facies; sed si id non facis
Ego, quod me in te sit facere dignum, inuenero.
Nulla adeo ex re istuc fit, nisi ex nimio otio.
Ego istuc ætatis non amori operam dabam,
Sed in Asiam abij hinc propter pauperiem, atque ibi
Simul rem, & gloriam armis belli repperi.
Postremo adeo res redijt: adolescentulus
Sæpe eadem, & grauiter audiendo uictus est:
Aetate me putant, & sapientia
Plus scire, & prouidere, quam se ipsum sibi:
In Asiam ad regem militatum abijt Chreme.
CH. Quid ais? M. clam me profectus, menses tres abest.
CH. Ambo accusandi: etsi illud inceptum tamen
Animi est pudentis signum, & non instrenui.
ME. Vbi comperi ex ijs, qui ei fuere conscij,
Domum reuertor mœstus, atque animo fere
Perturbato, atque incerto præ ægritudine:
Adsido: accurrunt serui: soccos detrahunt:
Video alios festinare, lectos sternere,
Cœnam apparare: pro se quisque sedulo
Faciebat, quo illam mihi lenirent miseriam.
Vbi uideo hæc, cœpi cogitare, hem, tot mei
Solius solliciti sunt caussa, ut me unum expleant?
Ancillæ tot me uestiant? sumptus domi
Tantos ego solus faciam? sed gnatum unicum,
Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,

Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea est,
Ego eum hinc eieci miserum iniustitia mea.
Malo quidem me dignum quouis deputem,
Si id faciam: nam usque dum ille uitam illam incolit
Inopem, carens patria ob meas iniurias,
Interea usque illi de me supplicium dabo,
Laborans, quærens, parcens, illi seruiens.
Ita facio prorsus: nihil relinquo in ædibus,
Nec uas, nec uestimentum: conrasi omnia:
Ancillas, seruos, nisi eos, qui opere rustico
Faciundo facile uictum exercerent suum,
Omnes produxi ac uendidi: inscripsi illico
Aedes: mercedem quasi talenta ad quindecim
Coégi: agrum hunc mercatus sum: hic me exerceo:
Decreui, tantisper me minus iniuriæ,
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miser;
Nec mihi fas esse ulla me uoluptate his frui,
Nisi ubi illuc saluos redierit meus particeps.
CH. Ingenio te esse in liberos leni puto, &
Illum obsequentem, si quis recte, aut commode
Tractaret. uerum neque tu illum satis noueras,
Nec te ille. hoc ubi fit, ibi non uere uiuitur.
Tu illum, numquam ostendisti, quanti penderes:
Nec tibi ille est credere ausus quæ est æquom patri.
Quod si esset factum, hæc numquam euenissent tibi.
ME. Ita res est, fateor: peccatum a me maxumum est.
CH. Menedeme, at porro recte spero: illum tibi
Saluum affuturum esse hic confido propediem.
ME. Vtinam dij ita faxint. C. facient. nunc, si commodum est,

Dionysia hic sunt, hodie apud me sis uolo.
ME. Non possum. C. cur non? quæso tandē aliquantulum
Tibi parce: idem absens facere te hoc uolt filius.
ME. Non conuenit, qui illum ad laborem impulerim,
Nunc me ipsum fugere. C. siccine est sententia?
ME. Sic. CH. bene uale. ME. & tu? CH. lacrumas excußit mihi,
Miseretq; me eius: sed, ut diei tempus est,
Monere oportet me hunc uicinum Phaniam
Ad cœnam ut ueniat: ibo, ut uisam si domi est.
Nil opus fuit monitore: iamdudum domi,
Aiunt, præsto apud me esse: egomet conuiuas moror.
Ibo adeo hinc intro. sed quid crepuerunt fores?
Hinc a me quisnam egreditur? huc concessero.

ACTVS PRIMI SCENA II.

CLITIPHO, CHREMES.

NIHIL adhuc est, quod uereare Clinia: haud quaquam etiam cessant:
Et illam simul cū nuncio tibi hic ego affuturam
Hodie, scio. proin tu sollicitudinem istam falsam, quæ te
Excruciat, omittas. CH. quicum loquitur filius: CL. pater adest,
Quem uolui. adibo. pater opportune aduenis.
CH. Quid est? CL. hunc Menedemum nosti ne nostrum uicinum? CH. probe.
CLI. Huic filium scis esse? CH. audiui, in Asia. CLI. non est pater, apud
Nos est. CH. quid ais? CLI. uenientem, e naui egredientem adduxi illico
Ad cœnam: nā mihi magna cū eo iā inde usque a pueritia

Semper fuit familiaritas. CH. uoluptatem magnã nũcias.
Quam uellem Menedemum inuitatum, ut nobiscum hodie
esset amplius,
Vt hanc lætitiam nec opinanti primus ei obijcerem domi:
Atque etiã nunc tempus est. CLI. caue faxis: non est opus
pater.
CH. Quapropter? CLI. quia enim incertum est etiam, quid
se faciat. modo uenit.
Timet omnia, patris iram, & animum amicæ se erga ut
sit suæ.
Eam misere amat. propter eam hæc turba, atque abitio eue
nit. CH. scio.
CLI. Nunc seruolum ad eam in urbem misit, & ego nostrum
una Syrum.
CH. Quid narrat? CLI. quid ille? se miserum esse. CH. mi
serum? quem minu' credere est?
Quid relliqui est, quin habeat, quæ quidem in homine di
cuntur bona?
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos,
ditias:
Atque hæc perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet:
Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.
CLI. Immo ille senex fuit importunus semper: & nunc ni-
hil magis
Vereor, quam ne quid in illũ iratus plus satis faxit pater.
CH. Ille ne? sed reprimam me? nam, in metu esse hunc, illi est
utile,
CLI. Quid tute tecum? CH. dicam. ut ut erat, mansum tamen
oportuit,
Fortasse aliquanto iniquior erat, præter eius lubidinem.

Pateretur : nam quem ferret, si parentem non ferret suũ?
Huccine erat æquom ex illius more, an illum ex huius uiuere? &
Quod illum insimulant durum, id non est : nam parentum iniuriæ
Vniusmodi sunt ferme, paullo qui est homo tolerabilis.
Scortari crebro nolunt; nolunt crebro conuiuarier:
Præbent exigue sumptum: & ea sunt tamen ad uirtutem omnia.
Verum ubi animus semel se cupiditate deuinxit mala,
Necesse est Clitipho, consilia consequi consimilia. hoc
Scitum est, PERICLVM EX ALIIS FACERE, tibi quod ex usu siet.

CLI. Ita credo. CH. ego ibo hinc intro, ut uideam, nobis quid cœnæ siet.
Tu, ut tempus est diei, uide, sis, ne quo hinc abeas longius.

ACTVS PRIMI SCENA III.

CLITIPHO.

CLI. QVAM iniqui sunt patres in omnes adolescentes iudices:
Qui æquom esse censent, nos iam a pueris illico nasci senes,
Neque illarum affines rerũ esse, quas fert adolescentia.
Ex sua libidine moderantur, quæ est nunc, non quæ olim fuit.
Mihi si umquam filius erit, næ ille facili me utetur patre.
Nã & cognoscendi, & ignoscendi dabitur peccati locus:
Non ut meus, qui mihi per alium ostẽdit suam sententiam.
Perij : is mihi; ubi adbibit plus paullo, sua quæ narrat facinora.

Nunc ait: periclum ex alijs facito, tibi quod ex usu siet.
Astutus. næ ille haud scit, quam mihi nunc SVRDO NARRET FABVLAM.
Magis nunc me amicæ dicta stimulant: da mihi, atque affer mihi:
Cui quid respondeam, nil habeo: neque quisquam est mĩserior:
Nam Clinia hic, & si is quoque suarum rerum satagit, attamen
Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciæ.
Mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis.
Tum, quod dem ei, recte est. nam, nihil esse mihi, relligio est dicere
Hoc ego mali non pridẽ inueni: neque etiam dũ scit pater.

ACTVS SECVNDI SCENA I.

CLINIA, CLITIPHO.

SI MIHI secundæ res de amore meo essent, iamdudum scio,
Venissent: sed uereor, ne me absente mulier hic corrupta sit.
Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exaugeant;
Occasio, locus, ætas, mater, sub imperio cuius est, mala;
Cui nihil præter pretium iam dulce est. CLIT. Clinia. CLIN. hei misero mihi?
CLIT. Etiam caues, ne uideat forte hinc te a patre aliquis exiens?
CLIN. Faciam: sed nescio quid profecto mihi animũ præsagit mali.
CLIT. Porgin' istuc prius dijudicare, quàm scis quid ueri siet.

CLIN. Si nihil mali esset, iam hic adessent. CLIT. iam aderunt. CLIN. quando istuc erit?

CLIT. Non cogitas hinc longius abesse? & nosti mores mulierum:

Dum moliũtur, dum comuntur, annus est. CLI. o Clitipho

Timeo. CLIT. respira: eccum Dromonem cum Syro. una adsunt tibi.

ACTVS SECVNDI SCENA II.

SYRVS, DROMO, CLINIA, CLITIPHO.

SY. IN' tu? DR. sic est. SY. uerum interea dum sermones cædimus,

A

Illæ sunt relictæ. CLIT. mulier tibi adest, audin' Clinia?

CLIN. Ego uero audio nunc demum, & uideo, & ualeo Clitipho.

CLIT. Minime mirum: adeo impeditæ sunt: ancillarum gregem

Ducunt secum. CLIN. perij, unde illi sunt ancillæ? CLIN. men' rogas?

SY. Non oportuit relictas: portãt quid rerũ. CLIN. hei mihi?

SY. Aurum, uestem: & uesperascit, & non nouerunt uiam.

Factum a nobis stulte est. abi dum tu Dromo illis obuiam

Propere, quid stas? CLIN. uæ misero mihi, quanta de spe decidi.

CLIT. Quid istuc? quæ res te solicitat autem? CLIN. rogitas quid fiet?

Viden' tu ancillas, aurum, uestem? quam cum una hic ancillula

Ego reliqui. unde ea esse censes? CLIT. uah, nunc de-

mum intellego.
SY. Dij boni, quid curæ est? ædes nostræ uix capient, scio.
Quid comedent? quid ebibent? quid seni erit nostro miserius?
Sed uideo, eccos, quos uolebam. CLIN. o Iuppiter, ubinam est fides?
Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci
Collocupletasti te Antiphila, & me in his deseruisti malis,
Propter quam in summa infamia sum, & uero patri minu' sum obsequens
Cuius nunc pudet me, & miseret, qui harum mores cantabat mihi,
Monuisse frustra: neque potuisse unquam me ab hac expellere.
Quod nunc faciam tamen: cum gratum mihi esse potuit, nolui.
Nemo est miserior me. SY. hic de nostris uerbis errat uidelicet,
Quæ hic sumus locuti. Clinia, aliter tuum amorem, atque est, accipis:
Nam & uita est eadem, & animus te erga idem ac fuit,
Quantum ex ipsa re coniecturam fecimus.
CLIN. Quid est obsecro? Nam mihi nunc nihil rerum omnium est,
Quod malim, quam me hoc falso suspicarier.
SY. Hoc primum, ut ne quid huius ignores: anus
Quæ est dicta mater esse ei antehac, non fuit:
Ea obijt mortem: hoc ipsa in itinere alteræ
Dũ narrat, forte audiui. CLIT. quænam est alteræ

SY. Mane, hoc, quod cœpi, primum enarrem Clitipho:
Post istuc ueniam. CLIT. propera. SY. iam primum omnium,
Vbi uentum ad ædes est, Dromo pultat fores:
Anus quædam prodit: hæc ubi aperuit ostium:
Continuo hic se coniecit intro, ego consequor:
Anus foribus obdit pessulum, ad lanam redit.
Hinc sciri potuit, aut nusquam alibi, Clinia,
Quo studio uitam suam te absente exegerit;
Vbi de improuiso est interuentum mulieri.
Nam ea res dedit tum existumandi copiam
Quotidianæ uitæ consuetudinem;
Quæ, cuius'q; ingenium ut sit, declarat maxume.
Texentem telam studiose ipsam offendimus,
Mediocriter uestitam ueste lugubri,
Eius anuis caussa opinor, quæ erat mortua,
Sine auro tum ornatam, ita uti quæ ornantur sibi,
Nulla re malas expolitam muliebri:
Capillus passus, prolixus, circum caput
Reiectus, neglegenter, pax. CLIN. Syre mi obsecro
Ne me in lætitiam frustra conijcias. SY. anus
Stamen nebat: præterea una ancillula
Erat: ea texebat una pannis obsita,
Neglecta, immunda illuuie. CLIT. si hæc sunt Clinia,
Vera, ita uti credo; quis te est fortunatior?
Scin' hanc, quam dicit sordidatam & sordidam?
Magnum hoc quoque signum est dominam esse extra noxiam,
Cum eius tam neglegu ntur internuncij.
Nam disciplina est eiusdem, munerarier

Ancillas, primum ad dominas qui affectant uiam.

CLIN. Perge obsecro te, & caue ne falsam gratiam
Studeas inire. quid ait, ubi me nominas?

SY. Vbi dicimus rediisse te, & rogare uti
Veniret ad te: mulier telam deserit
Continuo, & lacrumis opplet os totum sibi; ut
Facile scires desiderio id fieri tuo.

CLIN. Prae gaudio (ita me dii ament) ubi sim nescio.
Ita timui. CLIT. at ego nihil esse scibam Clinia.
Agedum uicissim Syre, dic quae illa est altera.

SY. Adducimus tuam Bacchidem. CLIT. hem, quid Bacchidem?
Eho, scelestε quo illam adducis? S. quo illam ego? ad nos scilicet.

CLIT. Ad patrem ne? S. ad eum ipsum. CLIT. o hominis impudentem audaciam. SY. heus
Tu, non fit sine periculo facinus magnum, et memorabile.

CLIT. Hoc uide: in mea uita tu tibi laudem is quaesitum scelus:
Vbi si paullulum modo quid te fugerit, ego perierim.
Quid illo facias? S. at enim. CLIT. quid enim? S. si sinas, dicam. CLIN. sine.

CLIT. Sino. S. ita res est, haec nunc quasi cum. CLIT. quas, malum, ambages mihi
Narrare occipit? CLIN. Syre, uerum hic dicit: mitte: ad rem dedi.

S. Enimuero reticere nequeo: multimodis iniurius
Clitipho est? neque ferri potis est. CLI. audiendum hercle est: tace.

SY. Vis amare: uis potiri: uis, quod des illi, effici.

Tuum esse in potiundo periculum non uis. haud stultè sapis:
Siquid id sapere est, uelle te id, quod non potest contingere.
Aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his amittenda sunt.
Harum duarum conditionum nunc utram malis, uide:
Etsi consilium, quod cepi, rectum esse, & tutum scio:
Nam tua apud patrem amica tecum sine metu ut sit, copia est:
Tum, illi argentum quod pollicitu' es, eadem hac inueniam uia:
Quod ut efficerem, orando surdas iam aures reddideras mihi.
Quid aliud tibi uis? CLIT. siquidem hoc fit. S. siquidem experiundo scies.
CLIT. Age age, cedo istuc tuum consilium quid id est? S. assimulabimus,
Tuam amicam, huius esse amicam. CLIT. pulchre: cedo; quid hic faciet sua?
An ea quoque huius dicetur, si hæc una dedecori est parum?
SY. Immo ad tuam matrem deducetur. CL. quid eo? S. longum est Clitipho,
Tibi si narrem, quam ob rem id faciam: uera caussa est. CLIT. fabulæ:
Nihil sati' firmi uideo, quam ob rem accipere hunc mihi expediat metum.
SY. Mane, habeo aliud, si istuc metuis, quod ambo confiteamini

Sine

Sine periculo esse. CLIT. huiusmodi, obsecro, aliquid reppe
ri. S. maxume.
Ibo obuiam hinc: dicam, ut reuortantur domum. CLIT.
hem,
Quid dixti? S. ademptum tibi iam faxo omnem metum,
IN AVREM utramuis otiose ut dormias.
CLIT. Quid ago nunc? CLIN. tu' ne? quod boni. CLIT.
Syre, dic modo
Verum. S. age modo: hodie sero: ac nequidquam uoles.
CLIN. Datur modo: fruere dum licet: nam nescias,
Eiu' sit potestas posthac, an numquam tibi.
CLIT. Syre inquam. perge porro, tamen istuc ago.
CLIT. Verum hercle istuc est, Syre, Syre inquam, heus heus
Syre.
SY. Concaluit: quid uis? CLIT. redi, redi. S. adsum, dic,
quid est?
Iam hoc quoque negabis tibi placere. CLIT. immo
Syre
Et me, & meum amorem, & famam permitto tibi,
Tu es iudex: ne quid accusandus sis, uide.
SY. Ridiculum est, istuc me admonere Clitipho:
Quasi istic minor mea res agatur, quam tua.
Hic si quid nobis forte aduorsi euenerit,
Tibi erunt parata uerba, huic homini uerbera.
Quapropter neutiquam hæc res neglectu est mihi.
Sed istum exora, ut suam esse assimulet. CLI. scilicet.
Facturum me esse. in eum iam res redijt locum,
Vt sit necesse. CLIT. merito amo te Clinia.
CLIN. Verum illa ne quid titubet. S. perdocta est probe.
CLIT. At hoc demiror, qui tam facile potueris

Persuadere illi, quæ solet quos spernere?

SY. In tempore ad eam ueni; quod rerum omnium est
Primum: nam misere quendam offendi ibi militem
Eiu' noctem orantem. hæc arte tractabat uirum,
Cupidum ut illius animum inopia incenderet,
Eademq; ut apud te esset ob hoc quam gratißima.
Sed heus tu uide sis, ne quid imprudens ruas.
Patrem nouisti, ad has res quam sit perspicax:
Ego te autem noui, quam esse soleas impotens.
Inuersa uerba, euersas ceruices tuas,
Gemitus, screatus, tussis, risus; abstine.

CLIT. Laudabis. SY. uide sis. CLIT. tutemet mirabere.

SY. Sed quam cito sunt consecutæ mulieres?

CLIT. Vbi sunt? cur retines? S. iam nunc hæc non est tua.

CLIT. Scio, apud patrem, at nunc interim. S. nihilo magis.

CLIT. Sine. S. non sinam inquam. CLIT. quæso paullisper. S. ueto.

CLIT. Saltem salutare. S. abeas si sapis. CLIT. eo. quid
Istic? S. manebit. CLIT. o felicem hominem. S. ambula.

ACTVS SECVNDI SCENA III.

BACCHIS, ANTIPHILLA, CLINIA, SYRVS.

B. AE DEPOL Antiphila mea, laudo, & fortunatam iudico,
Id cum studuisti, isti formæ mores ut consimiles forent:
Minimeq; (ita me dij ament) miror, si te sibi quisque expetit.

Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio tua.

Et cum egomet nunc mecum in animo uitam tuam considero,

Adeóq; uostrarum omnium, uolgus quæ ab sese segregant.

Et uos esse istiusmodi, & nos non esse, haud mirabile est.

Nam uobis expedit esse bonas: nos, quibus cum res est, non sinunt.

Hæc ubi inmutata est, illi suum animum alio conferunt.

Nisi prospectum est interea aliquid nobis, desertæ uiuimus.

Vobis cum uno simul ubi ætatem agere decretum est uiro,

Cuius mos maxume est consimilis uostrum; hi se ad uos applicant;

Hoc beneficio utrique ab utrisque uero deuincimini;

Vt nunquam ulla amori uostro incidere poßit clamitat.

AN. Nescio alias: me scio quidem semper fecisset sedulo,

Vt ex illius commodo meum compararem commodum. CLIN. ah.

Ergo mea Antiphila, tu nunc sola reducem me in patriam facis.

Nam, dum abs te absum, omnes mihi labores fuere, quos cepi, leues,

Præterquam tui carendum quod erat. S. credo. CLI. Syre, uix suffero.

Hoccine me miserum non licere meo modo ingenio frui?

SY. Immo, ut patrem tuum uidi esse habitum, diu etiam duras dabit.

B. Quisnam hic adolescens est, qui intuitur nos? A. ah,

retine me obſecro.

B. Amabo, quid tibi eſt? A. diſperij. B. perij miſera, quid ſtupes

Antiphila? A. uideon' Cliniam, an non? B. quem uides?

CLI. ſalue anime mi.

A. O mi exſpectate Clinia, ſalue. CLIN. ut uales?

A. Saluom ueniſſe gaudeo. CLIN. teneo ne te

Antiphila? animo exoptata maxume meo?

SY. Ite intro: nam uos iamdudum expectat ſenex.

ACTVS TERTII SCENA I.

MENEDEMVS, CHREMES.

CH. LVCESCIT hoc iam: ceſſo pultare oſtium

Vicini? primum ex me ut ſciat, ſibi filium

Rediiſſe. etſi adoleſcentem hoc nolle intellego.

Verum, cum uideam miſerum hunc tam excruciarier

Eiu' abitu, celem tam inſperatum gaudium,

Cum illi nihil pericli ex indicio ſiet?

Haud faciam: nam, quod potero, adiutabo ſenem,

Ita ut filium meum amico, atque æquali ſuo

Video inſeruire, & ſocium eſſe in negotiis.

Nos quoque ſenes eſt æquom ſenibus obſequi.

ME. Aut ego profecto ingenio egregie ad miſeriam

Natus ſum, aut illud falſum eſt, quod uolgo audio

Dici, DIEM adimere ægritudinem hominibus:

Nam mihi quidem quotidie augeſcit magis

De filio ægritudo; & quanto diutius

Abeſt, magi' cupio tanto, & magis deſidero:

CH. Sed ipſum egreſſum foras uideo: adibo, alloquar.

Menedeme ſalue: nuncium apporto tibi,

Cuius maxime te fieri participem cupis.
ME. Numquidnam de gnato meo audisti Chreme?
CH. Valet, atque uiuit. M. quæso, ubinam? C. apud me domi.
ME. Meus gnatus? C. sic est. M. uenit? C. certe. M. Clinia
Meus uenit? C. dixi. M. eamus, duc me ad eum obsecro.
CH. Non uolt te scire se rediisse etiam: & tuum
Conspectum fugitat ob peccatum: tum hoc timet,
Ne tua duritia illa antiqua etiam adaucta sit.
ME. Non tu ei dixisti, ut essem? C. non. M. quam ob rem
Chreme?
CH. Quia pessume istuc in te, atque in illum consulis,
Si te tam leni, & uicto esse animo ostenderis.
ME. Non possum: satis iam, satis pater durus fui. C. ah,
Vehemens in utramq; partem Menedeme, es nimis,
Aut largitate nimia, aut parsimonia.
In eandem fraudem ex hac re, atque ex illa, incidet.
Primum olim potius, commeare filium
Quam paterere ad mulierculam, quæ paullulo
Tum erat contenta, cuiq; erant grata omnia,
Proterruisti hinc. ea coacta ingratiis
Post illa cœpit uictum uolgo quærere.
Nunc, cum sine magno intertrimento non potest
Haberi, quiduis dare cupis. nam, ut tu scias.
Quam ea nunc instructa pulchre ad perniciem siet;
Primum, iam ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas ueste, atque auro. satrapes si siet,
Sufferre amator numquam eius sumptus queat,
Nedum tu possis. M. est ne ea intus? D. sit rogas?
Sensi: nam ei unam cœnam, atque eius comitibus
Dedi: quod si iterum mihi sit danda, actum siet:

Nam, ut alia omittam, pitissando modo mihi
Quid uini absumpsit? sic, hoc, dicens, asperum
Pater est: hoc aliud lenius, sodes, uide.
Releui dolia omnia, omnes serias:
Omnes habui sollicitos: atque hæc una nox:
Quid te futurum censes, quem assidue exedent?
Sic me dij amabunt; ut tuarum miseritum est
Menedeme, fortunarum. M. faciat, quod lubet:
Sumat, consumat, perdat: decretum est pati;
Dum illum modo habeam mecum. C. si certum est tibi
Sic facere, illud permagni referre arbitror,
Vt nescientem sentiat te id sibi dare.
M. Quid faciam? C. quiduis potius, quam quod cogitas:
Per alium quemuis ut des, falli te sinas
Technis per seruolum: etsi subsensi id quoque
Illos ibi esse, & id inter se agere clanculum.
Syru' cum illo uostro consusurrat: conferunt
Consilia adolescentes: & tibi perdere
Talentum hoc pacto satius est, quam illo minam.
Non nunc pecunia agitur, sed illud, quomodo
Minimo periclo id demus adolescentulo.
Nam si semel tuum animum is intellexerit,
Prius proditurum te tuam uitam, & prius
Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium: hui,
Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris.
Tibi autem porro ut non sit suaue uiuere.
NAM DETERIORES omnes sumus licentia.
Quodcumque inciderit in mentem, uolet: neque id
Putabit, prauom, an rectum, quod petet, fiet.
Tu, rem perire, & ipsum, non poteris pati.

Dare denegaris: ibit ad illud illico,
Quo maxume apud te se ualere sentiet,
Abiturum se abs te esse illico minabitur.
ME. Videre uerum, atque ita uti res est, dicere.
CH. Somnum hercle ego hac nocte oculis non uidi meis,
Dum id quæro, tibi qui filium restituerem.
ME. Cedo dextram: porro te oro, idem ut facias Chreme.
CH. Paratus sum. ME. scin', quid nunc te facere uolo?
CH. Dic. M. quod sensisti illos me incipere fallere,
Id ut maturent facere. cupio illi dare,
Quod uolt: cupio ipsum iam uidere. CH. operam dabo.
Syrus est prehendendus atque adhortandus mihi.
A me nescio quis exit: concede hinc domum,
Ne nos inter nos congruere sentiant.
Paullum hoc negoti mihi obstat: Simus, & Crito
Vicini nostri hic ambigunt de finibus:
Me cepere arbitrum: ibo, ac dicam, ut dixeram,
Operam daturum me, hodie non posse his dare.
Continuo hic adero. ME. ita quæso. dij nostram fidem,
Itan' COMPARATAM esse hominum naturam omniũ,
Aliena melius ut uideant, & iudicent,
Quam sua? an eo fit, quia in re nostra aut gaudio
Sumus præpediti nimio, aut ægritudine:
Hic mihi nunc quanto plus sapit, quam egomet mihi?
CH. Dissolui me, otiosus operam ut tibi darem.

ACTVS TERTII SCENA II.

CHREMES, SYRVS.

SY. AC illac circumcursa: inueniendũ est tamen
Argentum, intendenda in senem est fallacia.
Num me fefellit, hosce id struere? uidelicet

Est Cliniæ ille seruus tardiusculus:
Iccirco huic nostro tradita est prouincia.
SY. Quis hic loquitur. perij, numnam audijt? CH. Syre.
SY. hem.
CH. Quid tu istic? SY. recte. equidem te demiror Chreme,
Tam mane, qui heri tantum biberis. CH. nihil nimis.
SY. Nihil, narras? uisa uero est, quod dici solet,
AQVILAE SENECTVS. CH. eia. SY. mulier commoda, &
Faceta hæc est meretrix. C. sane idem uisa est mihi.
SY. Et quidem hercle forma luculenta. CH. sic satis.
SY. Ita non ut olim, sed uti nunc, sane bona:
Minimeq; miror, Clinia hanc si deperit:
Sed habet patrem quendã auidum, miserum, atque aridũ,
Vicinum hunc: nostin'? at quasi is non ditijs
Abundet, gnatu' eius profugit inopia.
Scin' esse factum, ut dico? CH. quid ego nesciam?
Hominem pistrino dignum. SY. quem? CH. istum seruolum
Dico adolescentis. SY. Syre tibi timui male,
CH. Qui passus est id fieri. SY. quid faceret? CH. rogas?
Aliquid reperiret, fingeret fallacias,
Vnde esset adolescenti, amicæ quod daret,
Atque hunc difficilem inuitum seruaret senem.
SY. Garris. CH. hæc facta ab illo oportebat Syre.
SY. Eho quæso laudas qui heros fallunt? CH. in loco,
Ego uero laudo. SY. recte sane. CH. quippe quia
Magnarum sæpe id remedium ægritudinum est:
Iam huic mansisset unicus gnatus domi:
SY. Ioco ne an serio illæc dicat, nescio;

Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.

CH. At nunc quid expectat Syre? an, dum hinc denuo
Abeat, cum tolerare huius sumptus non queat?
Non ne ad senem aliquam fabricam fingit? SY. stolidus est.

CH. At te adiutare oportet adolescentuli
Caussa. SY. equidem facile facere possum, si iubes:
Etenim, quo pacto id fieri soleat, calleo.

CH. Tanto hercle melior. SY. non est mentiri meum.

CH. Face ergo. SY. at heus tu, facito dum eadem hæc memineris,
Si quid huius simile forte aliquando euenerit,
Vt sunt humana, tuus ut faciat filius.

CH Non usus eueniet, spero. S. spero hercle ego quoque:
Neque eo nunc dico, quod quidquam illum senserim:
Sed si quid, ne quid. quæ sit eius ætas, uides:
Et næ ego te, si usus ueniat magnifice, Chreme,
Tractare possim. CH. de istoc, cum usus uenerit,
Videbimus quid opus sit: nunc istuc age.

SY. Numquam commodius umquam herum audiui loqui,
Nec, cum malefacere crederem mi impunius
Licere. quisnam a nobis egreditur foras?

ACTVS TERTII SCENA III.

CHREMES, CLITIPHO, SYRVS.

CH. QVID istuc, quæso? qui istic mos est Clitipho, ita ne fieri
Oportet? CLIT. Quid ego feci? CH. uidin' ego te modo manum in sinum huic
Meretrici inserere? SY. acta est res, perij. CLI. me ne? CH. hisce oculis, ne nega.

Facis adeo indigne iniuriam illi, qui non abstineas manũ:
Nam istæc quidem contumelia est, hominem amicum ad te recipere,
Atque eius amicam subagitare: uel heri in uino, quam immodestus
Fuisti? S. factum est. CH. quam molestus? ut equidem,
Ita me dij ament, metui quid futurum denique esset. noui ego
Animos amantium: grauiter aduortunt, quæ non censeas.
CH. At mihi fides apud hũc est, nihil me istius facturũ pater.
C. Esto: at certe concedas ab eorum ore aliquantisper aliquo.
Libido multa fert: ea prohibet facere tua præsentia.
Ego de me facio coniecturam. nemo est meorum amicorũ hodie,
Apud quem expromere omnia mea occulte Clitipho, audeã.
Apud alium prohibet dignitas: apud alium ipsius facti piget,
Ne ineptus, ne proteruos uidear. quod illum facere credito.
Sed nostrum est intellegere, utcumque, atque ubicumque opus sit, obsequi.
SY. Quid istic narrat? CLIT. perij. SY. Clitipho, hæc ego præcipio tibi:
Hominis es frugi, et temperantis functus officium. CLIT. tace
Sodes. SY. recte sane. CH. Syre pudet me. SY. credo: neque id iniuria.
Quin mihi molestum est. CLIT. pergin'? SY. hercle uerũ, dico quod uidetur.
CLI. Non ne accedam ad illos? CH. eho quæso, una accedundi uia est?

SY. Actum est: hic se prius indicarit, quam ego argentum effero. Chreme,
Vin' tu homini stulto mihi auscultare? CH. quid faciam? SY. iube hunc:
Abire hinc aliquo. CLIT. quo ego hinc abeam? SY. quo? quo lubet: da illis locum:
Abi deambulatum. CLIT. deambulatum, quo? SY. uah, quasi desit locus.
Abi sane istac, istorsum, quo uis. CH. recte dicit: censeo.
CLI. Dij te eradicent Syre, qui me istinc extrudis. SY. at tu pol tibi
Posthac comprimito istas manus.
Censen' uero? quid illum porro credis facturum Chreme,
Nisi eum, quantum dij dant tibi opis, seruas, castigas, mones?
CH. Ego istuc curabo. SY. atqui nunc here hic tibi asseruandus est.
CH. Fiet. SY. si sapias: nam mihi iam minus minusq; obtemperat.
CH. Quid tu? ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egisti Syre? aut
Repperisti quod placeat, an nondum etiam? SY. de fallacia?
Inuenta est, inueni quamdam nuper. CH. frugi es: cedo, quid id est?
SY. Dicam: uerum, ut aliud ex alio incidit. CH. quidnã Syre?
SY. Pessuma hæc est meretrix. CH. ita uidetur. SY. immo, si scias.
Hoc uide; quod inceptet facinus. Fuit quædam anus Corinthia

Hic: huic drachmarum argenti hæc mille dederat mutuũ.
CH. Quid tum? SY. ea mortua est: reliquit filiam adolescentulam:
Ea relicta huic arrhaboni est pro illo argento. CH. intellego.
SY. Hanc secum huc adduxit, eaq́; est nunc ad uxorem tuã.
CH. Quid tum? SY. Clinia orat, sibi uti nunc det illam. illi tamen
Post daturum mille nummum, poscit. CH. & poscit quidem? SY. hui
Dubium id est? CH. ego sic putaui. quid nunc facere cogitas?
SY. Ego ne? ad Menedemum ibo: dicam hanc esse captam e Caria,
Ditem, & nobilem: si redimat, magnum inesse in ea lucrum.
CH. Erras. SY. quid ita? CH. pro Menedemo nunc tibi ego respondeo:
Non emo. quid ais? SY. optata loquere. CH. atqui non est opus.
SY. Non opus est? CH. non hercle uero. SY. quid istuc. S. miror. CH. iam scies.
Mane mane, quid est, quod tam a nobis grauiter crepuere fores?

ACTVS QVARTI SCENA I.

SOSTRATA, CHREMES, NVTRIX, SYRVS.

SO. NISI me animus fallit, hic profecto est anulus, quem ego suspicor,
Is, qui cum exposita est gnata. CH. quid uolt sibi Syre hæc oratio?

SO. Quid est? is ne tibi uidetur? NV. dixi equidem, ubi ostẽ disti, illico,

Eum esse. SO. at ut sati' contemplata modo sis mea nutrix. NV. satis.

SO. Abi nunc iam intro: atque, illa si iam lauerit, mihi nuncia.

Hic ego uirum interea opperibor. SY. te uolt: uideas quid uelit.

Nescio quid tristis est: non temere est: metuo, quid sit. CH. quid siet?

Næ ista hercle magno iam conatu magnas nugas dixerit.

SO. Ehem mi uir. CH. ehem mea uxor. SO. te ipsum quæro. CH. loquere, quid uelis.

SO. Primum te hoc oro, ne quid credas me aduorsum edictũ tuum

Facere ausam. CH. uis tibi me istuc, etsi incredibile est, cre dere?

Credo. SY. nescio, quid peccati portet hæc purgatio.

SO. Meministin' me esse grauidam, & mihi te magnopere in terminatum,

Si puellam parerem, nolle tolli? C. scio quid feceris:

Sustulisti. SY. si sic factum est domina, ergo heru' damno auctus est.

SO. Minime: sed erat hic anus Corinthia haud impura: ei dedi

Exponendam. CH. o Iuppiter, tantam esse in animo in-scitiam?

SO. Perij, quid ego feci? CH. at rogitas? SO. si peccaui mi Chreme,

Insciens feci. C. id quidem ego, etsi tu neges, certe scio,

Te insciente̅, atque imprudentem dicere, ac facere omnia:
Tot peccata in hac re ostendis. nam iam primum, si meum
Imperium exsequi uoluisses, interemptam oportuit,
Non simulare mortem uerbis, re ipsa spem uitæ dare.
Ad id omitto: misericordia, animus maternus: sino.
Qua̅ bene uero abs te prospectum est: quid uoluisti? cogita:
Nempe anui illi prodita abs te filia est planissume,
Per te uel uti quæstum faceret, uel uti ueniret palam.
Credo id cogitasti: quiduis satiu' est, dum uiuat modo.
Quid cum illis agas, qui neque ius, neque bonum, atque æquom sciunt,
Melius, peius, prosit, obsit, nil uident, nisi quod lubet?
SO. Mi Chreme, peccaui fateor: uincor: nunc hoc te obsecro,
Quanto tuus est animus natu grauior, ignoscentior,
Vt meæ stultitiæ iustitia tua sit aliquid præsidi.
CH. Scilicet equidem istuc factum ignoscam: ueru̅ Sostrata,
Male docet te mea facilitas multa. sed istuc quidquid est,
Qua hoc occeptum est caussa, loquere. SO. ut stulte, & misere omnes sumus
Relligiosæ; cum exponendam do illi, de digito anulum
Detraho; & eum dico ut una cum puella exponeret;
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.
CH. Istuc recte: conseruasti te, atque illam. SO. hic is est anulus.
CH. Vnde habes? SO. quam Bacchis secum adduxit adolescentulam. SY. hem.
CH. Quid ea narrat? SO. ea lauatum dum it, seruandum mihi dedit
Anulum. non aduorti primo: at postquam adspexi, illico

Cognoui: ad te exsilij. C. quid nunc suspicare, aut inuenis
De illa? SO. nescio, nisi ut ex ipsa quæras, unde hunc habuerit.
Si potis est reperiri. SY. interij: plus spei uideo, quã uolo:
Nostra est, ita si est. C. uiuit ne illa, cui tu dederas? SO. nescio.
CH. Quid renunciauit olim fecisse? SO. id, quod iusseram.
CH. Nomen mulieris cedo quod sit, ut quæratur. SO. Philtere.
SY. Ipsa est. mirũ, ni illa salua est, & ego perij. CH. Sostrata
Sequere me intro hac. SO. ut præter spem euenit; quam timui male,
Ne nunc animo ita esses duro, ut olim in tollenda, Chreme.
CH. Non licet hominem esse sæpe ita ut uolt, si res non sinit.
Nunc ita tempus est mi, ut cupiam filiam: olim nil minus.

ACTVS QVARTI SCENA II.

SYRVS.

SY. NISI fallit me animus, haud multum a me aberit infortunium:
Ita hercle in angustum opido nunc meæ coguntur copiæ:
Nisi aliquid uideo, ne esse amicã hanc gnati resciscat senex.
Nã quod sperem de argento, aut posse postulem me fallere,
Nihil est: triumpho, si licet me latere tecto, abscedere.
Crucior, bolum tantum mihi ereptum tã subito e faucibus.
Quid agam? aut quid comminiscar? ratio de integro ineunda est mihi.
Nil tam difficile est, quin quærendo inuestigari possiet,
Quid, si hoc sic incipiam nunc? nihil est. si sic? tantundem egero.

Ac ſic opinor: non poteſt: immo optume. euge optumam habeo.

Retraham hercle, opinor, ad me illud idem fugitiuum argentum tamen.

ACTVS QVARTI SCENA III.

CLINIA, SYRVS.

C. NVLLA mihi res poſthac poteſt iam interueni re tanta,

Quæ mihi ægritudinem afferat: tanta hæc lætitia oborta eſt.

Dedo patri me nunc iam, ut frugalior ſim quam uolt.

SY. Nil me fefellit: cognita eſt, quantum audio huius uerba.

Iſtuc tibi ex ſententia tua iam obtigiſſe lætor.

C. O mi Syre, audiſtin' obſecro? S. quid ni? qui uſque una affuerim.

C. Cui æque audiſti commodi quidquam eueniſſe? S. nulli.

C. Atque, ita me dij ament, ut ego nunc non tam meapte cauſſa

Lætor, quam illius: quam ego ſcio eſſe honore quouis dignam.

SY. Ita credo: ſed nunc Clinia age, da te mihi uiciſſim:

Nam amici quoque res eſt uidenda, in tuto ut collocetur,

Ne quid de amica nunc ſenex. CLIN. o Iuppiter. S. quieſce.

CLIN. Antiphila mea nubet mihi. S. ſiccine me interloquere?

CLIN. Quid faciam Syre mi? gaudeo: fer me. S. fero hercle uero.

CLIN. Deorum uitam adepti ſumus. S. fruſtra operam hanc opinor ſumo.

CLIN.

CLIN. Loquere, audio. S. at iam hoc non ages. CLIN. agam. S. uidendum est, inquam,
Amici quoque res Clinia, tui in tuto ut collocetur:
Nam si nunc a nobis abis, & Bacchidem hic relinquis,
Noster resciscet illico esse amicam hanc Clitiphonis:
Si abduxeris, celabitur itidem, ut celata adhuc est.
CLIN. At enim istoc nihil est magis Syre, meis nuptijs aduorsum:
Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam? SY. quid ni?
CLIN. Quid dicam? quam caussam afferam? SY. quin nolo mentiare:
Aperte, ita ut res sese habet, narrato. CLIN. quid ais? SY. iubeo
Illam te amare, & uelle uxorem hanc esse Clitiphonis.
CH. Bonam atque iustam rem oppido imperas, & factu facilem.
Et scilicet iam me hoc uoles patrem exorare, ut celet
Senem uostrum. SY. immo ut recta uia rem narret ordine omnem. CH. hem,
Satin' sanus es, & sobrius? tu quidem illũ plane prodis:
Nam qui ille poterit esse in tuto, dic mihi?
SY. Huic equidẽ consilio palmam do: hic me magnifice effero,
Qui uim tantam in me, & potestatem habeam tantæ astutiæ,
Vera dicendo ut eos ambos fallam; ut, cum narret senex
Voster nostro, istam esse amicam gnati, non credat tamen.
CL. At enim spem istoc pacto rursum nuptiarum omnem eripis:

Nam dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam.

Tu fortasse, quid me fiet, parui cures, dum illi consulas.

SY. Quid, malum, me ætatem censet uelle id assimularier?

Vnus est dies, dum argentum eripio, pax, nihil amplius.

CL. Tantum sat habes? quid tum quæso, si hoc pater resciuerit?

SY. Quid, si redeo ad illos, qui aiunt, QVID SI NVNC cœlum ruat?

CL. Metuo, quid agam. S. metuis? quasi non ea potestas sit tua.

Quo uelis in tempore ut te exsoluas, rem facias palam.

CL. Age, age, traducatur Bacchis. S. optume, ipsa exit foras.

ACTVS QVARTI SCENA IV.

BACCHIS, CLINIA, SYRVS, DROMO, PHRYGIA.

A. S. AT l' pol proterue me Syri promissa huc induxerunt,

Decem minas quas mihi dare pollicitus est. quod si is nunc me

Deceperit; sæpe obsecrans me, ut ueniam, frustra ueniet:

Aut, cum uenturam dixero, & constituero; cum is certe

Renunciauerit; Clitipho cum spe pendebit animi;

Decipiam, ac non ueniam; Syrus mihi tergo pœnas pendet.

CL. Sati' scite promittit tibi. S. atqui tu hanc iocari credis?

Faciet, nisi caueo. B. dormiunt: pol ego istos commouebo.

Mea Phrygia audisti, homo iste modo quam uillam demonstrauit

Charini? P. audiui. B. proxumam esse huic fundo ad dexte-

ram?P.memini.
B. Curriculo percurres:apud eum miles Dionysia agitat.
SY. Quid inceptat?B.dic me hic opido esse inuitam, atque as seuerari:
Verum aliquo pacto uerba me his daturam esse, & uentu ram.
SY. Perij hercle:Bacchis mane, mane: quo mittis istanc quæso?
Iube,maneat.B.abi.S.quin paratum est argẽtum. B.quin maneo.
S. Atqui iam dabitur: B. ut lubet, num ego insto? S.at scin' quid sodes?
B. Quid? S. transeundum nunc tibi est ad Menedemum, & tua pompa
Eo traducenda est.B.quam rem agi' scelus?S.ego ne? argen tum cudo,
Quod tibi dem.B.dignam me putas, quam illudas? S. non est temere.
B. Etiam ne tecum hic res mihi est? S. minime:tuum tibi reddo.
B. Eatur.S.sequere hac.heus Dromo.D.quis me uolt?S.Syrus.
D.quid est rei?
S. Ancillas omnes Bacchidis traduce huc ad uos propere.
B. Quam ob rem?S.ne quæras.& ferant,quæ secum huc attulerunt.
Sperabat sumptum sibi senex esse harum abitu leuatum.
Næ ille haud scit, hoc paullum lucri quantum ei damni apportet.
Tu nescis id quod scis Dromo,si sapies.D.mutum dices.

ACTVS QVARTI SCENA V.

CHREMES, SYRVS.

C. ITA me dij amabunt, ut nunc Menedemi uicem,
Miseret me, tantum deuenisse ad eum mali.
Illanccine mulierem alere cum illa familia?
Etsi scio, hosce aliquot dies non sentiet:
Ita magno desiderio fuit ei filius.
Verum ubi uidebit tantos sibi sumptus domi
Quotidianos fieri, nec modum:
Optabit rursum, ut abeat ab se filius.
Syrum optume, eccum. S. cesso hunc adoriri? C. Syre. S. hem.
C. Quid est? S. te mihi ipsum iamdudum optabam dari.
C. Videre egisse iam nescio quid cum sene.
S. De illo, quod dictum dudum? ac factum reddidi.
C. Bonan' fide? S. bona hercle. C. non possum pati,
Quin tibi caput demulceam. accede huc Syre:
Faciam boni tibi aliquid pro ista re, ac lubens.
S. At si scias, quam scite in mentem uenerit.
C. Vah. gloriare euenisse ex sententia?
S. Non hercle uero: uerum dico. C. dic, quid est?
S. Tui Clitiphonis esse amicam hanc Bacchidem
Menedemo dixit Clinia, & ea gratia
Secum adduxisse, ne tu id persentisceres.
C. Probe. S. dic sodes. C. nimium inquam. S. immo sic satis.
Sed porro ausculta quod superest fallaciæ.
Sese ipse dicet tuam uidisse filiam:
Sibi complacitam eius formam, postquam adspexerit:
Hanc spe cupere uxorem. C. modo quæ inuenta est? S. eam:

Et quidem iubebit posci. C. quamobrem istuc Syre?
Nam prorsus nihil intellego. S. hui, tardus es.
C. Fortasse. S. argentum dabitur ei ad nuptias.
Aurum, atque uestem, qui, tenes ne? CH. comparet?
SY. Id ipsum. C. at illi ego nec do, nec despondeo.
SY. Non? quamobrem? C. quamobrem, me rogas? homini.
S. ut lubet.
Non ego perpetuo dicebam illam illi ut dares,
Verum ut simulares. C. non mea est simulatio:
Ita tu istæc tua misceto, ne me admisceas.
Egon', cui daturus non sim, ut ei despondeam?
SY. Credebam. C. minime. S. scite poterat fieri:
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere iusseras,
Eo cœpi. C. credo. S. cæterum equidem istuc Chreme,
Aequi boniq; facio. C. atqui tum maxume
Volo te dare operam ut fiat, uerum alia uia.
SY. Fiat: quæratur aliud. sed illud quod tibi
Dixi de argento, quod ista debet Bacchidi,
Id nunc reddendum est illi: neque tu scilicet
Eo nunc confugies: quid mea? num mihi datum est?
Num iussi? num illa oppignerare filiam
Meam me inuito potuit? uerum illud Chreme,
Dicunt: IVS SVMMVM sæpe summa malitia est.
C. Haud faciam. S. immo alijs si licet, tibi non licet.
Omnes in lauta te & bene parte aucta putant.
CH. Quin egomet iam ad eam deferam. S. immo filium
Iube potius. CH. quam ob rem? S. quia enim in eum suspi
cio est
Translata amoris. CH. quid tum? S. quia uidebitur
Magis uerisimile id esse, cum hic illi dabit:

Et simul conficiam facilius ego, quod uolo.
Ipse adeo adest: abi: effer argentum. CH. effero.

ACTVS QVARTI SCENA VI.

CLITIPHO, SYRVS.

CL. NVLLA est tam facilis res, quin difficilis siet,
Quam inuitus facias. uel me hæc deambulatio,
Quam non laboriosa, ad languorem dedit:
Nec quidquam magis nunc metuo, quam ne denuo
Miser aliquo extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.
Vt te omnes equidem dij, deæ, quantum est, Syre
Cum tuo isto inuento, cumq; incepto perduint.
Huiusmodi mi res semper comminiscere,
Vbi me excarnufices. S. is hinc quo dignus es?
Quam pæne tua me perdidit proteruitas.
CL. Vellem hercle factum: ita meritu. SY. meritu'? quo modo?
Næ me istuc ex te prius audisse gaudeo,
Quam argentum haberes, quod daturus iam fui.
CL. Quid igitur dicam tibi uis? abijsti: mihi
Amicam adduxti, quam non liceat tangere.
SY. Iam non sum iratus: sed scin' ubi nunc sit tibi
Bacchis. CL. apud nos. SY. non. CL. ubi igitur? SY. apud Cliniam.
CL. Perij. SY. bono animo es: iam argentum ad eam deferes,
Quod ei es pollicitus. CL. garris. unde id? S. à patre.
CL. Ludis fortasse me. S. ipsa re experibere.
CL. Næ ego fortunatus homo sum. deamo te Syre.
SY. Sed pater egreditur. caue, quidquam admiratu' sis,

Qua caussa id fiat; obsecundato in loco:
Quod imperabit, facito. loquitor paucula.

ACTVS QVARTI SCENA VII.

CHREMES, CLITIPHO, SYRVS.

CH. VBI Clitipho nunc est? S. eccum me inque. CL. eccum hic tibi.
CH. Quid rei esset, dixti huic? S. dixi pleraque omnia.
CH. Cape hoc argentum, ac defer. S. hei, quid stas lapis?
Quin accipis? CL. cedo sane. S, sequere hac me ocyus:
Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere:
Nam nihil est illic, quod moremur diutius.
CH. Minas quidem iam decem habet a me filia:
Quas pro alimentis esse nunc duco datas.
Hasce ornamentis consequentur alteræ.
Porro hæc talenta dotis apposcent duo.
Quam multa iniusta, ac praua fiunt moribus?
Mihi nunc, relictis rebus, inueniendus est
Aliquis, labore inuenta mea cui dem bona.

ACTVS QVARTI SCENA VIII.

MENEDEMVS, CHREMES.

ME. MVLTO omnium nunc me fortunatissimum
Factum puto esse gnate, cum te intellego
Resipisse. CH. ut errat. ME. te ipsum quærebam Chreme:
Serua, quod in te est, filium, & me, & familiam.
CH. Cedo, quid uis faciam? ME. inuenisti hodie filiam.
CH. Quid tum? ME. hanc uxorem sibi dari uolt Clinia.
CH. Quæso, quid hominis es? ME. quid? CH. iam ne oblitus es,

Inter nos quid sit dictum de fallacia,
Vt ea uia abs te argentum auferretur? ME. scio.
CH. Ea res nunc agitur ipsa. ME. quid dixti Chreme?
Erraui. res acta est. quanta spe decidi?
CH. Et quidem istæc, quæ est apud te, Clitiphonis est Amica.
ME. ita aiunt. CH. & tu credis? ME. omnia.
CH. Et illum aiunt uelle uxorem, ut, cum desponderim,
Des qui aurũ, ac uestẽ, atque alia, quæ opus sunt, cõparet.
ME. Id est profecto: id amicæ dabitur. CH. scilicet
Daturum. M. ah, frustra igitur gauisus miser.
Quiduis tamen iam malo, quam hunc amittere.
Quid nunc renunciem abs te responsum Chreme,
Ne sentiat me sensisse, atque ægre ferat?
CH. Aegre? nimium illi Menedeme indulges. M. sine:
CH. Inceptum est: perfice hoc mihi perpetuom Chreme.
CH. Dic conuenisse, egisse te de nuptijs.
ME. Dicam, quid deinde? CH. me facturum esse omnia,
Generum placere: postremo etiam, si uoles,
Desponsam quoque esse dicito. M. hem, istuc uolueram,
CH. Tanto ocyus te ut poscat, & tu id, quod cupis,
Quam ocyssime ut des. M. cupio. CH. næ tu propediem,
Vt istam rem uideo, istius obsaturabere.
Sed hæc ita ut sunt, cautim, & paullatim dabis,
Si sapies. M. faciam. C. abi intro: uide, quid postulem:
Ego domi ero, si quid me uoles. ME. sane uolo:
Nam te scientem faciam, quidquid egero.

ACTVS QVINCTI SCENA I.

MENEDEMVS, CHREMES.

ME. EGO me non tam astutum, neque ita perspicacem esse id scio:

Sed hic adiutor meus, & monitor, & præmonstrator Chremes
Hoc mihi præstat. in me quiduis harũ rerum conuenit,
Quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus:
In illum nil potest: nam exsuperat eius stultitia omnia hæc.
CH. Ohe, iam desine deos uxor gratulando obtundere,
Tuam esse inuentam gnatam; nisi illos tuo ex ingenio iudicas,
Vt nil credas intellegere, nisi idem dictum est centies.
Sed quid iamdudum interim illic gnatus cessat cũ Syro?
ME. Quos ais homines Chreme, cessare? CH. hem, Menedeme aduenis?
Dic mihi, Cliniæ, quæ dixi, nunciastin'? ME. omnia.
CH. Quid ait? ME. gaudere adeo occepit, quasi qui cupiunt nuptias.
CH. ha, ha, hæ. ME. quid risisti? CH. serui uenere in mentem Syri
Calliditates. ME. ita ne? CH. uoltus quoque hominum fingit scelus.
ME. Gnatus quod se aßimulat lætum, id dicis? CH. id. M. idem istuc mihi
Venit in mentem. CH. ueterator. ME. magi', si magi' noris, putes,
Ita rem esse. CH. ain' tu? ME. quin tu ausculta. C. mane: priu' hoc scire expeto.
Quid perdideris: nam ubi desponsam nunciasti filio,
Continuo iniecisse uerba tibi Dromonem scilicet,
Sponsæ uestem, aurum, atque ancillas opus esse argen-

tum dares.

ME. Non. CH. quid non? ME. non inquam. CH. neque ipse gnatus? ME. nil prorsus Chreme.

Magis unum etiam instare, ut hodie conficerentur nuptiæ.

CH. Mira narras. quid Syrus meus? ne is quidem quidquam? ME. nihil.

CH. Quamobrem? M. nescio equidem: sed te miror, qui alia tam plane scias.

Sed tuum ille quoque Syrus idem mire finxit filium,

Vt ne paullulum quidem suboleat amicã esse hanc Cliniæ.

CH. Quid ais? M. mitto iam osculari, atque amplexari; id nil puto.

CH. Quid est, quod amplius simuletur? M. uah. CH. quid est? ME. audi modo.

Est mihi ultimis conclaue in ædibus quoddam retro:

Huc est intro latus lectus, uestimentis stratus est.

CH. Quid postquam hoc est factum? ME. dictum factum, huc abijt Clitipho.

CH. Solus? ME. solus. CH. timeo. ME. Bacchis consecuta est illico.

CH. Sola? ME. sola. CH. perij. NE. ubi abiere intro, operuere ostium. CH. hem,

Clinia hæc fieri uidebat? ME. quid ni? una mecum simul.

CH. Filij est amica Bacchis Menedeme: occidi.

ME. Quamobrem? CH. decem dierũ uix mi est familia.

ME. Quid? istuc times, quod operam amico ille dat suo?

CM. Immo quod amicæ. ME. si dat. CH. an dubiũ id tibi est?

Quemquam ne animo tam comi esse, aut leni putas,

Qui se uidente amicam patiatur suam? M. ha, ha, hæ.

Quidni? quo uerba facilius dentur mihi.

CH. Derides? merito mihi nunc ego ſuccenſeo.
Quot res dedere, ubi poſſem perſentiſcere,
Ni eſſem lapis? quæ uidi? uæ miſero mihi.
At næ illud haud inultum, ſi uiuo, ferent:
Nam iam. ME. non tu te cohibes? non te reſpicis?
Non tibi ego exempli ſatis ſum? CH. præ iracundia
Menedeme, non ſum apud me. ME. te ne iſtuc loqui?
Non ne id flagitium eſt, te alijs conſilium dare,
Foris ſapere, tibi non poſſe auxiliarier?
CH. Quid faciam? ME. id, quod me feciſſe aiebas parum:
Fac, te eſſe patrem ſentiat: fac, ut audeat
Tibi credere omnia, abs te petere, & poſcere,
Ne quam aliam quærat copiam, ac te deſerat.
CH. Immo abeat potius multo quouis gentium,
Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem:
Nam ſi illi pergo ſuppeditare ſumptibus
Menedeme, mihi illæc uere ad raſtros res redit.
M. Quot incommoda tibi in hac re capies, niſi caues?
Difficilem oſtendis te eſſe, & ignoſces tamen
Poſt, & id ingratum. CH. ah neſcis, quam doleam. ME. ut lubet.
Quid hoc, quod uolo, ut illa nubat noſtro? niſi quid eſt,
Quod malis. CH. immo & gener, & affines placent.
ME. Quid dotis dicam te dixiſſe filio?
Quid obticuiſti? CH. dotis? M. ita dico. CH. ah. ME. Chreme,
Ne quid uereare, ſi eſt minu': nil dos nos mouet.
CH. Duo talenta pro re noſtra ego eſſe decreui ſatis:
Sed ita dictu opu' eſt, ſi me uis ſaluom eſſe, & rem, & filium,
Me mea omnia bona doti dixiſſe illi. M. quam rem agis?

CH. Id mirari te simulato, & illum rogitato simul,
Quamobrem id faciam. ME. quin ego uero, quamobrem id facias, nescio.
CH. Ego ne? ut illius animum, qui nunc luxuria, & lasciuia
Diffluit, retundam, redigam, ut, quo se uortat, nesciat.
ME. Quid agis? CH. mitte, ac sine me in hac re gerere mihi morem. ME. sino:
Ita ne uis? CH. ita. ME. fiat. CH, age iam, ut uxorem accersat, paret.
ME. hic ita, ut liberos est æquom, dictis confutabitur.
Sed Syrum. ME. quid eum? CH. ego ne? si uiuo, adeo exornatum dabo,
Adeo depexum, ut, dum uiuat, meminerit semper mei:
Qui sibi me pro ridiculo, ac delectamento putat.
Non (ita me dij ament) auderet facere hæc uiduæ mulieri.
Quæ in me fecit.

ACTVS QVINCTI SCENA II.

CLITIPHO, MENEDEMVS, CHREMES, SYRVS.

CL. ITA ne tandem quæso est Menedeme, ut pater
Tam in breui spatio omnem de me eiecerit animum patris?
Quodnam ob facinus? quid ego tantum sceleris admisi miser?
Volgo id faciunt. ME. scito tibi esse grauius multo, ac durius.
Cui fit. uerum ego haud minus ægre patior id, qui nescio,
Nec rationem capio, nisi quod tibi bene ex animo uolo.

Patrem adſtare aiebas? ME. eccum. CH. quid me incuſas
Clitipho?
Quidquid ego huius feci, tibi proſpexi, & ſtultitiæ tuæ.
Vbi te uidi animo eſſe omiſſo, &, ſuauia in præſentia
Quæ eſſent, prima habere, neque conſulere in longitu
dinem:
Cepi rationem, ut neque egeres, neque ut hæc poſſes per
dere.
Vbi, cui decuit primo, tibi non licuit: per te mihi dare,
Abij ad proxumos, tibi qui erant, eis commiſi, & credidi.
Ibi tuæ ſtultitiæ ſemper erit præſidium Clitipho,
Victus, ueſtitus, quo in tectum te receptes. CL. hei mihi.
CH. Satius eſt, quam te ipſo herede hæc poßidere Bacchidem.
SY. Diſperij: ſceleſtus quantas turbas conciui inſciens?
CL. Emori cupio. CH. prius quæſo diſce, quid ſit uiuere.
Vbi ſcies, ſi diſplicebit uita, tum iſtoc utitor.
SY. Here licet ne. CH. loquere. SY. at tuto. CH. loquere. SY.
quæ iſta eſt prauitas,
Quæ ue eſt amentia, quod peccaui ego, id obeſſe huic? CH.
ilicet,
Ne te admiſce: nemo accuſat Syre te: nec tu aram tibi,
Neque precatorem pararis. SY. quid agis? CH. nil ſuc-
cenſeo,
Nec tibi, nec huic, nec uos eſt æquum, quod facio, mihi.
SY. Abijt. rogaſſe uellem. CL. quid Syre? SY. unde mihi pe-
terem cibum.
Ita nos abalienauit. tibi iam eſſe ad ſororem intellego.
CL. Adeon' rem redijſſe, ut periclũ etiam famæ mihi ſit Syre?
SY. Modo liceat uiuere, ſpes eſt. CL. quæ? SY. nos eſurituros
ſatis.

CL. Irrides in re tanta, neque me quidquã consilio adiuuas?
SY. Immo & ibi nunc sum, & usque dudum id egi, dum loquitur pater:
Et, quantum ego intellegere possum. CL. quid? S. non abierit longius.
CL. Quid id ergo? SY. sic est, non esse horum te arbitror. CL. quid istuc Syre?
Satin' sanus es? SY. ego dicam, quod mi in mentem: tu dijudica.
Dum istis fuisti solus, dum nulla alia delectatio,
Quæ propior esset, te indulgebant, tibi dabant: nunc, filia
Postquam est inuenta uera, inuenta est caussa, qua te expellerent.
CL. Est uerisimile. SY. an tu ob peccatum hoc esse illum iratum putas?
C. Non arbitror. S. nunc aliud specta: MATRES omnes filijs
In peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria
Solent esse: id non fit. CL. uerum. quid ergo nunc faciam Syre?
SY. Suspicionem quære ex illis istam: rem profer palam.
Si non est uerum, ad misericordiam ambos adduces cito, aut,
Scibis cuius sis. CL. recte suades: faciam. SY. sat recte hoc mihi in
Mentem uenit: namque adolescens, quam minima in spe situs erit,
Tam facillime patris pacem in leges conficiet suas.
Etiam haud scio, an ne uxorem ducat, ac Syro nil gratiæ.
Quid autem hoc? senex exit foras: ego fugio. adhuc quod factum est,

Miror non iußisse illico me arripi. ad Menedemum hinc pergam. eum
Precatorem mihi paro: seni nostro fidei nihil habeo.

ACTVS QVINCTI SCENA III.

SOSTRATA, CHREMES.

S. PROFECTO, nisi caues tu homo, aliquid gnato conficies mali:
Idq; adeo miror, qui tam ineptum quidquam potuerit tibi
Venire in mentem mi uir. C. oh, pergin' mulier esse? ullã ne ego
Rem umquam uolui, quin tu in ea mihi aduersatrix fueris Sostrata? at
Si rogitem iam, quid est quod peccem, aut quamobrem id faciam, nescias.
In qua re nunc tam confidenter restas stulta? S. ego nescio.
C. Immo scis potius, quam quidem redeat ad integrum eadẽ oratio.
S. Oh, iniquos es, qui me tacere de re tanta postules.
C. Non postulo: iam loquere. nihilo minus ego hoc faciam tamen.
S. Facies? C. uerum. S. non uides, quantũ mali ex ea re excites?
Subditum se suspicatur. C. ain' tu? subditum? S. certe inquam mi uir. C. confitere tu
Tuum non esse. S. ah, obsecro istuc nostris inimicis siet.
Egon' confitear meum non esse filium, qui sit meus?
C. Quid metuis? ne non, cum uelis, conuincas esse illum tuũ?
S. Quod filia est inuenta? C. non, sed, quod magis credendum siet,
Quod est consimilis moribus,

Facile conuinces ex te natum: nam tui similis est probe:
Nam illi nihil uitij est relictum, quin id itidem sit tibi:
Tum præterea talem, nisi tu, nulla pareret filium.
Sed ipse egreditur, quam seuerus. rem cum uideas, censeas.

ACTVS QVINCTI SCENA IV.

CLITIPHO, SOSTRATA, CHREMES.

CL. SI umquam ullum fuit tempus mater, cum ego uoluptati tibi
Fuerim, dictus filius tuus tua uoluntate, obsecro
Eius ut memineris, atque inopis nunc te miserescat mei;
Quod peto, & uolo, parentes meos ut commonstres mihi.
S. Obsecro mi gnate, ne istuc in animum inducas tuum,
Alienum esse te. CL. sum. S. miseram me, hoccine quæsisti obsecro?
Ita mihi, atque huic sis superstes, ut ex me, atque hoc natus es:
Et caue posthac, si me amas, unquam istuc uerbum ex te audiam. CH. at
Ego, si me metuis mores caue in te esse istos sentiam.
CL. Quos? CH. si scire uis, ego dicam: gerro, iners, fraus, helluo,
Ganeo, damnosus. crede, & nostrum te esse credito.
CL. Non sunt hæc iam dicta parentis. CH. non, si ex capite sis meo
Natus, item ut aiunt Mineruam esse ex Ioue, ea caussa magis
Patiar Clitipho flagitijs tuis me infamem fieri.
SO. Di istæc. CH. nescio Deos: ego, quod potero enitar sedulo.

Quæris id, quod habes, parentes: quod abest, non quæris, patri
Quo modo obsequare, & serues quod labore inuenerit.
Non mihi per fallacias adducere ante oculos. pudet
Dicere hac præsente uerbum turpe: at te id nullo modo
Facere piguit. CL. eheu quam ego nunc totus displiceo mihi,
Quam pudet: neque, quod principium incipiam ad placandum, scio.

ACTVS QVINTI SCENA V.

MENEDEMVS, CHREMES, CLITIPHO, SOSTRATA.

M. NIMVERO Chremes nimi' grauiter crucias adolescentulum,
Nimi'q; inhumane. exeo ergo, ut pacem conciliem. optume.
Ipsos uideo. CH. ehem, Menedeme cur non accersi iubes
Filiam, & quod dotis dixi, firmas? SO. mi uir, te obsecro
Ne facias. CL. pater, obsecro ut mi ignoscas. A. da ueniam Chreme:
Sine te exorem. CH. egon' mea bona ut dem Bacchidi dono sciens?
Non faciam. M. at id nos non sinemus. CL. si me uiuom uis pater,
Ignosce. S. age, Chreme mi. M. age quæso, ne tam obfirma te Chreme.
CH. Quid istuc? uideo non licere, ut cœperam, hoc pertendere.
M. Facis, ut te decet. CH. ea lege hoc adeo faciam, si faciat id,
Quod ego hunc æquom censeo. CL. pater, omnia faciam: impera.

CH. Vxorem ut ducas. CL. pater. CH. nihil audio. ME. ad me recipio.

Faciet. CH. nil etiam audio ipsum. CL. perij. SO. an dubitas Clitipho?

CH. Immo utrum uult? ME. faciet omnia. SO. hæc, dum incipias, grauia sunt,

Dumq; ignores: ubi cognoris, facilia. CL. faciam pater.

S. Nate mi, ego pol dabo puellam lepidam, quã tu facile ames,

Filiam Phanocratæ nostri. CL. rufam ne illam uirginem.

Cæsiam, sparso ore, adunco naso? non possum pater.

CH. Eia, ut elegans est, credas animum ibi esse? S. aliam dabo.

CL. Quid istuc? quandoquidem ducenda est, egomet habeo propemodum,

Quam uolo. S. nunc laudo te gnate. CL. Archonidis filiam.

S. Perplacet. CL. pater hoc nunc restat. CH. quid? CL. Syro ignoscas uolo,

Quæ mea caussa fecit. C. fiat. Vos ualete, & plaudite.

FABVLAE INTERLOCVTORES.

Mitio	senex,
Demea	senex,
Sannio	leno,
Aeschinus	adolescens,
Syrus	seruus,
Ctesipho	adolescens,
Sostrata	matrona,
Canthara	nutrix,
Geta	seruus,
Hegio	senex,
Dromo	seruus.

ADELPHI TERENTII.

Acta ludis funebrib. L. Aimilii Paulli. Q. Fabio Maximo, P. Cornelio Africano* Aed. Cur. egere L. Atilius Prænestinus, Minucius Protimus. Modos fecit Flaccus Claudii. Tibiis Sarranis. Facta è Græca Menandru, L. Anicio M. Cornelio Cos.

C. SVLPITII APOLLINARIS PERIOCHA.

D VOS cum haberet Demea adolescentulos,
Dat Mitioni fratri adoptandum Aeschinum,
Sed Ctesiphonem retinet. hunc citharistriæ
Lepore captum, sub duro ac tristi patre,
Frater celabat Aeschinus; famam quoque
Amoris in se transferebat: denique
Fidicinam lenoni eripuit. uitiauerat
Idem Aeschinus ciuem Atticam pauperculam;
Fidemq; dederat, hanc sibi uxorem fore.
Demea iurgare, & grauiter ferre: mox tamen,
Vt ueritas patefacta est, ducit Aeschinus
Vitiatam, potitur Ctesipho citharistriam,
Exorato suo patre duro Demea.

PROLOGVS.

P OSTQVAM poeta sensit scripturam suam
Ab iniquis obseruari, & aduersarios
Rapere in peiorem partē, quam acturi sumus:

Indicio de se ipse erit: uos eritis iudices,
Laudi ne, an uitio duci factum oporteat.
Synapothnescontes Diphili comœdia est.
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.
In græca adolescens est, qui lenoni eripit
Meretricem in prima fabula. eum Plautus locum
Reliquit integrum. eum hic locum sumpsit sibi
In Adelphos, uerbum de uerbo expressum extulit.
Eam nos acturi sumus nouam: pernoscite,
Furtum ne factum existumetis, an locum
Reprehensum, qui præteritus negligentia est.
Nam quod isti dicunt maleuoli, homines nobiles
Eum ~~Num~~ adiutare, assidueq; una scribere:
Quod illi maledictum uehemens existumant,
Eam laudem hic ducit maxumam, cum illis placet,
Qui uobis uniuersis, & populo placent;
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usu' est sine superbia.
Dehinc ne exspectetis argumentum fabulæ:
Senes qui primi uenient, hi partem aperient,
In agendo partem ostendent. facite, æquanimitas
Poetæ ad scribendum augeat industriam.

ACTVS PRIMI SCENA I.

MITIO.

M. STORAX, non rediit hac nocte a cœna Aeschinus,
Neque seruulorum quisquam, qui aduorsum ierant?
Profecto hoc uere dicunt: si absis uspiam,
Aut ubi si cesses, euenire ea satius est,

Quæ in te uxor dicit, & quæ in animo cogitat
Irata, quam illa, quæ parentes propitij.
Vxor, si cesses, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, aut potare, aut animo obsequi,
Et tibi bene esse soli, cum sibi sit male.
Ego, quia non redijt filius, quæ cogito?
Quibu' nunc sollicitor rebus? ne aut ille alserit,
Aut uspiam ceciderit, aut perfregerit
Aliquid. uah, quemquam ne hominem in animo institue-
re, aut
Parare, quod sit charius, quam ipse est sibi?
Atqui ex me hic non natus est, sed ex fratre. is adeo
Dissimili studio est. iam inde ab adolescentia,
Ego hanc clementem uitam urbanam, atque otium
Secutus sum: &, quod fortunatum isti putant,
Vxorem numquam habui. ille contra, hæc omnia,
Ruri agere uitam, semper parce, ac duriter
Se habere: uxorem duxit: nati filij
Duo. inde ego hunc maiorem adoptaui mihi:
Eduxi a paruulo, habui, amaui pro meo:
In eo me oblecto: solum id est charum mihi.
Ille ut item contra me habeat, facio sedulo:
Do, prætermitto, non necesse habeo omnia
Pro meo iure agere: postremo, alij clanculum
Patres quæ faciunt, quæ fert adolescentia
Ea ne me cœlet, consuefeci filium:
Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem, aut
Audebit, tanto magis audebit ceteros.
Pudore, & liberalitate liberos
Retinere, satius esse credo, quam metu.

Hæc fratri mecum non conueniunt, neque placent.
Venit sæpe ad me clamans, quid agis Mitio?
Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus sumptus suggeris?
Vestitu nimium indulges: nimium ineptus es.
Nimium ipse durus est, præter æquomq́;, & bonum:
Et errat longe, mea quidem sententia,
Qui imperium credat grauius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adiungitur.
Mea est sic ratio, & sic animum induco meum.
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cauet:
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.
Quem beneficio adiungas, ille ex animo facit,
Studet par referre, præsens, absensq́; idem erit.
Hoc patrium est, potius consuefacere filium,
Sua sponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater, ac dominus interest. hoc qui nequit,
Fateatur nescire imperare liberis.
Sed est ne hic ipsus, de quo agebam? & certe is est.
Nescio quid tristem uideo. credo iam, ut solet,
Iurgabit saluum te aduenire Demea,
Gaudemus.

ACTVS PRIMI SCENA II.

DEMEA, MITIO.

DE. EM, opportune: te ipsum quærito.
MI. H Quid tristis es? DE. rogas me, ubi nobis Aeschinus
Siet; quid tristis ego sim? MI. dixin' hoc fore?
Quid is fecit? DE. quid ille fecerit? quem neque pudet

Quidquam: neque metuit quemquam : neque legem putat
Tenere se ullam. nam illa, quæ antehac facta sunt,
Omitto: modo quid designauit? MI. quidnam id est?
DE. Fores effregit, atque in ædes irruit
Alienas: ipsum dominum, atque omnem familiam
Multauit usque ad mortem: eripuit mulierem,
Quam amabat: clamant omnes indignissume
Factum esse. hoc aduenienti quot mihi Mitio,
Dixere? in ore est omni populo. denique,
Si conferendum exemplum est, non fratrem uidet
Rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium?
Nullum huius simile factum? hæc cum illi Mitio,
Dico, tibi dico. tu illum corrumpi sinis.
MI. HOMINE imperito numquam quidquam iniustius,
Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.
DE. Quorsum istuc? M. quia tu Demea hæc male iudicas.
Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum
Scortari, neque potare, non est, neque fores
Effringere. hæc si neque ego, neque tu fecimus,
Non siuit egestas facere nos. tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum fecisti inopia.
Iniurium est: nam si esset unde id fieret,
Faceremus: & tu illum tuum, si esses homo,
Sineres nunc facere, dum per ætatem licet,
Potius quam, ubi te exspectatum eiecisset foras,
Alieniori ætate post faceret tamen.
DE. Pro Iuppiter, rediges tu homo me ad insaniam.
Non est flagitium facere hæc adolescentulum? MI. ah,
Ausculta, ne me obtundas de hac re sæpius.
Tuum filium dedisti adoptandum mihi:

Is meus est factus: si quid peccat Demea,
Mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.
Obsonat, potat, olet unguenta de meo.
Amat? dabitur a me argentum, ubi erit commodum;
Vbi non erit, fortasse excludetur foras.
Fores effregit? restituentur. discidit
Vestem? resarcietur. est, dijs gratia,
Et unde hæc fiant, & adhuc non molesta sunt.
Postremo aut desine, aut cedo quemuis arbitrum:
Te plura in hac re peccare ostendam. DE. hei mihi.
Pater esse disce ab alijs, qui uere sciunt.
MI. Natura tu illi pater es, consilijs ego.
DE. Tun' consulis quidquam? MI. ah, si pergis, abiero.
DE. Siccine agis? MI. an ego toties de eadem re audiam?
DE. Curæ est mihi. MI. & mihi curæ est: uerum Demea
Curemus æquam uterque partem, tu alterum,
Ego item alterum: nam ambos curare, propemodum
Reposcere illum est, quem dedisti. DE. ah Mitio.
MI. Mihi sic uidetur. DE. quid istuc? tibi si istuc placet,
Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet.
Iam si uerbum unum posthac. MI. rursum Demea
Irascere? DE. an non credis? repeton' quem dedi?
Aegre est. alienus non sum. si obsto: hem desino.
Vnum uis curem: curo: & est dijs gratia,
Cum ita, ut uolo, est: iste tuus ipse sentiet
Posterius: nolo in illum grauius dicere.
MI. Nec nihil, neque omnia hæc sunt, quæ dicit: tamen
Non nihil molesta hæc sunt mihi: sed ostendere,
Me ægre pati, illi nolui: nam ita est homo:
Cum placo, aduorsor sedulo, & deterreo,

Tamen humane uix patitur: uerum si augeam,
Aut etiam adiutor sim eius iracundiæ,
Insaniam profecto cum illo. etsi Aeschinus
Nonnullam in hac re nobis facit iniuriam.
Quam hic non amauit meretricem? aut cui non dedit
Aliquid? postremo nuper (credo iam omnium
Tædebat) dixit uelle uxorem ducere.
Sperabam iam deferuisse adolescentiam:
Gaudebam. ecce autem deintegro; nisi, quidquid est,
Volo scire, atque hominem conuenire, si apud forum est.

ACTVS SECVNDI SCENA I.

SANNIO, AESCHINVS.

S. OBSECRO, populares ferte misero, atque innocenti auxilium:
Subuenite inopi. AE. otiose, nunc iam illico hic consiste:
Quid respectas? nihil pericli est: numquam, dum ego adero, hic te
Tanget. SA. ego istam inuitis omnibus.
AE. Quamquam est scelestus, non committet hodie umquam iterum ut uapulet.
SA. Aeschine audi, ne te dicas fuisse ignarum meorũ morũ,
Ego leno sum. AE. scio. SA. at ita, ut usquam fuit fide quisquam optuma.
Tu quod te posterius purges, nolle hanc iniuriam mihi
Factam esse, huius non faciam. crede hoc, ego meum ius persequar:
Neque tu uerbis solues umquã, quod re mihi maleficeris.
Noui ego uestra hæc; nollem factum: dabitur iusiurandum, esse te

Indignum iniuria hac, indignis cum egomet ſim acceptus modis.

AE. Abi præ ſtrenue, ac fores aperi. SA. ceterum hoc nihil facis,

AE. Intro nunc iam. SA. at enim non ſuam. AE. accede illuc Parmeno,

Nimium abijſti iſtoc, hic propter hunc aßiſte. hem, ſic uolo,
Caue nunc iam oculos a meis oculis quoquã dimoueas tuos,
Ne mora ſit, ſi inuenerim, cui pugnus continuo in mala hæreat.

SA. Iſtuc uolo ergo ipſum experiri. AE. hem ſerua. omitte mulierem.

SA. O facinu' indignum. AE. geminabit, niſi caues. SA. hei miſero mihi.

AE. Non innueram: uerum in iſtam partem potius peccato tamen:

I nunc iam. SA. quid hoc rei eſt? regnum ne Aeſchine, hic tu poßides?

AE. Si poßiderem, ornatus eſſes ex tuis uirtutibus.

SA. Quid tibi rei mecum eſt? AE. nihil. SA. quid? noſtin' qui ſim? AE. non deſidero.

SA. Tetigin' tui quidquam? AE. ſi attigiſſes, ferres infortuniũ.

SA. Qui tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi?

Reſponde. AE. ante ædes non feciſſe erit meliu' hic conuicium:

Nam ſi moleſtus pergis eſſe, iam intro arripiere, atque ibi
Vſque ad necem opperiere loris. SA. loris liber? AE. ſic erit.

SA. O hominem impurum, hiccine libertatem aiunt æquam eſſe omnibus?

AE. Si satis iam debacchatus es leno, audi si uis nunc iam.
SA. Egon' debacchatus sum in te, an tu in me? AE. omitte ista, atque ad rem redi.
SA. Quam rem? quo redeam? AE. iam ne me uis dicere, quod ad te attinet?
SA. Cupio, modo æqui aliquid. AE. uah, leno iniqua me non uolt loqui.
SA. Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium,
Periurus, pestis: tamen tibi a me nulla est orta iniuria.
AE. Nam hercle etiam id restat. SA. illuc quæso redi, quo cœpisti, Aeschine.
AE. Minis uiginti tu illam emisti, quæ res tibi uortat male:
Argenti tantum tibi dabitur. SA. quid, si ego illam nolo uendere?
Coges me? AE. minime. SA. namque id metui. AE. neque uendundam censeo,
Quæ libera est; nam ego illam liberali assero caussa manu.
Nunc uide utrum uis, argentum accipere, an caussam meditari tuam.
Delibera hoc, dum ego redeo, leno. SA. pro supreme me Iuppiter:
Minime miror, qui insanire occipiunt ex iniuria.
Domo me eripuit, uerberauit: me inuito abduxit meam:
Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.
Ob malefacta hæc tantidem emptam postulat sibi tradier.
Verũ enim, quando bene promeruit, fiat: suũ ius postulat.
Age iam cupio, modo si argentum reddat. sed ego hæc hariolor.
Vbi me dixero dare tanti, testes faciet illico,
Vendidisse me: de argento somnium: mox, cras redi.

Id quoque possum ferre, si modo reddat: quamquam iniurium est.
Verum cogito id, quod res est. quando eum quæstum occeperis,
Accipiunda, & mussitanda iniuria adolescentium est.
Sed nemo dabit: frustra egomet mecũ has rationes deputo.

ACTVS SECVNDI SCENA II.

SYRVS, SANNIO.

SY. AGE, egomet conueniam iam ipsum: cupide accipiat faxo, atque etiam
Bene dicat secum esse actum. quid istuc Sannio est, quod te audio
Cum hero nescio quid concertasse? S. numquam uidi iniquius
Concertationem comparatam, quam quæ hodie inter nos fuit.
Ego uapulando, ille uerberando, usque ambo defessi sumus.
SY. Tua culpa. SA. quid agerem? SY. adolescenti morem gestum oportuit.
SA. Qui potui melius? quin hodie usque os præbui. SY. age, scis quid loquar?
Pecuniam in loco neglegere, maxumum interdum est lucrum. SA. hui.
SY. Metuisti, si nunc de tuo iure concessisses paullulum,
Atque adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime,
Ne non tibi istuc fœneraret? SA. ego spem pretio non emo.
SY. Numquã rem facies: abi, nescis inescare homines Sannio.
SA. Credo istuc melius esse: uerum ego numquam adeo astutus fui,

Quin, quidquid possem, mallem auferre potius in praesentia.

SY. Age, noui tuum animum: quasi quidquam tibi sint uiginti minae,
Dum huic obsequare: praeterea autem te aiunt proficisci Cyprum. SA. hem.

SY. Coemisse hinc, quae illuc ueheres, multa; nauem conductam: hoc scio,
Animus tibi pendet: ubi illinc, spero, redieris, tamen hoc ages.

SA. Nusquam pedem. perij hercle: hac illi spe hoc inceperũt. SY. timet:
Inieci scrupulum homini. SA. o scelera. illuc uide,
Vt in ipso articulo oppreßit. emptae mulieres
Complures, & item hinc alia, quae porto Cyprum.
Ni eo ad mercatum uenio, damnum maxumum est.
Nunc si hoc omittam ubi illinc rediero, actum agam;
Nihil est, refrixerit res. nunc demum uenis?
Cur passus? ubi eras? ut sit satius perdere,
Quam aut hic nunc manere, tam diu, aut tum persequi.

SY. Iam ne enumerasti, quod ad te rediturum putes?

SA. Hoccine illo dignum est? hoccine incipere Aeschinum?
Per oppreßionem ut hanc mi eripere postulet?

SY. Labascit. unum hoc habeo: uide si satis placet:
Potius, quam uenias in periclum Sannio,
Serues ne, an perdas totum, diuiduum face.
Minas decem corradet alicunde. SA. hei mihi,
Etiam de sorte nunc uenio in dubium miser.
Pudet nihil: omnes dentes labefecit mihi:
Praeterea colaphis tuber est totum caput.

Etiam insuper defraudet? nusquam abeo. SY. ut lubet.
Numquid uis, quin abeam? SA. immo hercle hoc quæso Syre,
Vt ut hæc sunt facta, potius, quam lites sequar,
Meum mihi reddat, saltem quanti empta est. Syre,
Scio te non usum ante hac amicitia mea:
Memorem me dices esse, & gratum. SY. sedulo
Faciam. sed Ctesiphonem uideo. lætus est
De amica. SA. quid, quod te oro? SY. paullisper mane.

ACTVS SECVNDI SCENA III.

CTESIPHO, SYRVS.

C. ABS quiuis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas:
Verum enimuero id demum iuuat, si, quem æquom est benefacere, is facit.
O frater, quid ego nunc te laudem? satis certo scio,
Numquam ita magnifice quidquam dicam, id uirtus quin superet tua:
Itaque unam hanc rem me habere præter alios præcipuam arbitror,
Fratrẽ homini nemini esse primarũ artiũ magis principẽ.
S. O Ctesipho. C. o Syre, Aeschinus ubi est? S. ellum, te exspectat domi. C. hem.
S. Quid est? C. quid sit? illius opera Syre, nunc uiuo: festiuũ caput:
Omnia sibi qui post putarit esse præ meo commodo;
Maledicta, famam, meum amorem, & peccatum in se transtulit,
Nil pote supra. sed quisnam? foris crepuit. S. mane, ipse exit foras.

ACTVS SECVNDI SCENA IV.

AESCHINVS, SANNIO, CTESIPHO, SYRVS.

AE. VBI ille est sacrilegus? SA. men' quærit? num quidnam effert? occidi:
Nil uideo. AE. ehem, opportune, te ipsum quærito: quid fit Ctesipho?
In tuto est omnis res: omitte uero tristitiam tuam.
C. Ego illam facile uero omitto, qui quidem te habeã fratrem.
O mi germane, ah uereor coram in os te laudare amplius,
Ne id assentandi magis, quam quod habeam gratum, facere existumes.
AE. Age inepte, quasi nũc non norimus nos inter nos Ctesipho.
Sed hoc mihi dolet, nos pæne sero scisse, & pæne in eum locum
Rediisse, ut, si omnes cuperẽt, nihil tibi possent auxiliarier.
CT. Pudebat. AE. ah, stultitia est istæc, non pudor, tam ob paruolam
Rem pæne ex patria. turpe dictu. deos quæso ut istæc prohibeant.
CT. Peccaui. AE. quid ait tandem nobis Sannio? S. iam mitis est.
AE. Ego ad forum ibo, ut hunc absoluam: tu intro ad illam Ctesipho.
SA. Syre insta. S. eamus: namque hic properat in Cyprum. SA. ne tam quidem,
Quamuis etiam maneo otiosus hic. SA. reddetur, ne time.
SA. At ut omne reddat. S. omne reddet, tace modo, ac sequere hac. SA. sequor.
CT. Heus heus Syre. S. hem quid est? CT. obsecro hercle

hominem istum impurissimum

Quam primum absoluitote, ne, si magis irritatus siet,
Aliqua ad patrem hoc permanet, atque ego tunc perpetuo
perierim.

S. Non fiet: bono animo esto. tu cum illa te intus oblecta interim:
Et lectulos iube sterni nobis, & parari cetera.
Ego iam transacta re conuortam me domum cum obsonio.

CL. Ita quæso: quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem.

ACTVS TERTII SCENA I.

SOSTRATA, CANTHARA.

S. OBSECRO mea tu nutrix, quid nunc fiet? CA. quid fiet, rogas?
Recte ædepol spero. S. modo dolores mea tu, occipiunt primulum.

C. Iam nunc times, quasi numquam affueris, numquam tute pepereris.

S. Miseram me, neminem habeo, solæ sumus: Geta autem hic non adest;
Nec habeo quem ad obstetricem mittam, nec qui accersat Aeschinum.

C. Pol is quidem iam hic aderit: nam numquam unum intermittit diem,
Quin semper ueniat. S. solus mearum miseriarum est remedium.

C. E re natæ melius fieri haud potuit, quam factum est hera:
Oblatū quādo uitium est, quod ad illum attinet potissimū,
Talem, tali genere, tali animo, natum ex tanta familia.

S. Ita pol est, ut dicis: saluus nobis, deos quæso, ut siet.

ACTVS

ACTVS TERTII SCENA II.

GETA, SOSTRATA, CANTHARA.

G. NVNC illud est, quod, si omnes omnia sua consilia conferant,
Atque hic malo salutem quærant, auxilij nihil afferant,
Quod mihiq;, heræq;, filiæq; herili est. uæ misero mihi.
Tot res repente circumuallant, unde emergi non potest,
Vis, egestas, iniustitia, solicitudo, infamia.
Hoccine seclum? o scelera, o genera sacrilega, o hominem impium.
S. Me miseram, quidnam est, quod sic uideo timidum & properantem Getam?
G. Quem neque fides, neque iusiurandum, neque ulla misericordia
Repreßit, neque reflexit, neq; quod partus instabat prope,
Cui miseræ indigne per uim uitium obtulerat. S. non intellego
Satis, quæ loquatur. C. propius obsecro accedamus Sostrata. G. ah,
Me miserum, uix sum cōpos animi: ita ardeo iracundia.
Nihil est, quod malim, quam illam totam familiam mihi obuiam
Dari, ut iram hanc in eos euomam omnem, dum ægritudo hæc est recens:
Satis mihi id habeam supplicij, dum illos ulciscar modo.
Seni animam primum exstinguerem ipsi, qui illud produxit scelus:
Tum autem Syrum impulsorem, uah, quibus illum lacerarem modis.

Sublimem medium arriperem, & capite primum in terram statuerem,
Vt cerebro dispergat uiam:
Adolescenti ipsi oculos eriperẽ, post hæc præcipitem darem:
Ceteros ruerem, agerẽ, raperem, tunderẽ, & prosternerem.
Sed cesso hoc malo heram impertiri propere? S. reuocemus. Geta. G. hem,
Quisquis es, sine me. S. ego sum Sostrata. G. ubi ea est? te ipsam quærito:
Te exspecto: oppido opportune te obtulisti mi obuiam
Hera. S. quid est? quid trepidas? G. hei mihi. S. quid festinas mi Geta?
Animum recipe. G. prorsu'. S. quid istuc prorsus ergo est? G. perijmus?
Actum est. S. eloquere obsecro, quid siet. GE. iam. SO. quid iam Geta?
G. Aeschinus. S. quid ergo is? G. alienu' est a nostra familia. SO. hem,
Perij; quare? G. amare occepit aliam. S. uæ miseræ mihi.
G. Neque id occulte fert: a lenone ipsus eripuit palam.
S. Satin' hoc certo? G. certe, hisce oculis egomet uidi, Sostrata. S. ah,
Me miseram, quid credas iam? aut cui credas? nostrum ne Aeschinum,
Nostram uitam omnium, in quo nostræ spes, opesq; omnes sitæ erant,
Qui sine hac iurabat se unum numquam uicturum diẽ,
Qui in suo gremio positurum puerum dicebat, patrem ita
Obsecraturum, ut liceret hanc uxorem ducere.
G. Hera, lacrumas mitte, ac potius, quod ad hanc rem opu'

porro est, prospice.
Patiamur ne, an narremus cuipiam? C. au, au mi homo, sanu'n' es?
An hoc proferendum tibi usquam esse uidetur? G. mihi quidem non placet.
Iam primũ, illũ alieno animo a nobis esse, res ipsa indicat.
Nunc si hoc palam proferemus, ille inficias ibit, sat scio;
Tua fama, et gnatæ uita in dubium ueniet. tũ si maxume
Fateatur, cum amet aliam, non est utile hanc illi dari.
Quapropter quoquo pacto tacito est opus. S. ah minime gentium:
Non faciam. G. quid agis? S. proferam. G. hem, mea So strata uide quam rem agas.
S. Peiore res loco esse non potest, quam in hoc, quo nunc sita est.
Primum indotata est: tum præterea, quæ secunda ei dos erat,
Perijt: pro uirgine dari nuptum non potest: hoc reliquom est,
Si inficias ibit, testis mecum est anulus, quem amiserat.
Postremo, quando ego conscia mi sum, a me culpam hanc procul esse, nec
Pretium, neque rem ullam intercesse, illa aut me, indignam; experiar Geta.
G. Quid istuc? accedo, ut melius dicas. S. tu, quantum potes, abi,
Atque Hegioni cognato huius rem omnẽ narrato ordine.
Nam is nostro Simulo fuit summus, et nos coluit maxume.
GE. Nam hercle alius nemo respicit nos. SO. propera tu, mea Canthara,

Curre, obstetricem accerse, ut, cum opus sit, ne in mora nobis siet.

ACTVS TERTII SCENA III.

DEMEA.

DE. DISPERII: Ctesiphonem audiui filium
Vna affuisse in raptione cum Aeschino.
Id misero restat mihi mali, si illum potest,
Qui alicuius rei est, etiam eum ad nequitiam abducere.
Vbi ego illum quæram? credo abductum in ganeum
Aliquo. persuasit ille impurus, sat scio.
Sed eccum ire Syrum uideo: hinc scibo iam, ubi siet.
Atque hercle hic de grege illo est: si me senserit
Eum quæritare, numquam dicet carnufex.
Non ostendam me id uelle.

ACTVS TERTII, SCENA IV.

SYRVS, DEMEA.

SY. OMNEM rem modo seni,
Quo pacto haberet, enarramus ordine.
Nil quidquam uidi lætius. DE. pro Iuppiter.
Hominis stultitiam. SY. collaudauit filium:
Mihi, qui dedissem consilium, egit gratias.
DE. Disrumpor. SY. argentum annumerauit illico:
Dedit præterea in sumptum dimidium minæ:
Id distributum sane est ex sententia. DE. hem,
Huic mandes, si quid recte curatum uelis.
SY. Hem Demea, haud adspexeram te: quid agitur?
DE. Qui agatur? uostram nequeo mirari satis
Rationem. SY. est hercle inepta, ne dicam dolo, atque
Absurda. pisces ceteros purga Dromo:
Congrum istum maxumum in aqua sinito ludere

Paulisper : ubi ego uenero, exossabitur :
Prius nolo. DE. hæccine flagitia? SY. mihi quidem non placent :
Et clamo sæpe. salsamenta hæc, Stephanio
Fac macerentur pulchre. DE. dij uostram fidem;
Vtrum studio ne id sibi habet, an laudi putat
Fore, si perdiderit gnatum? uæ misero mihi,
Videre uideor iam diem illum, cum hinc egens
Profugiet aliquo militatum. SY. o Demea,
Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est;
Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt,
Prospicere. DE. quid? istæc iam penes uos psaltria est?
SY. Ellam intus. DE. eho, an domi est habiturus? SY. credo, ut est
Dementia. DE. hæccine fieri flagitia? SY. inepta lenitas
Patris, & facilitas praua. DE. fratris me quidem
Pudet, pigetque. SY. nimium inter uos Demea, ac
Non, quia ades præsens, dico hoc, pernimium interest.
Tu, quantus quantus, nihil nisi sapientia es:
Ille futili', somnium. sineres uero illum tuum
Facere hæc? DE. sinerem illum? aut non sex totis mensibus
Prius olfecissem, quam ille quidquam cœperit?
SY. Vigilantiam tuam tu mihi narras? DE. sic siet
Modo, ut nunc est. S. ut quisque suum uolt esse, ita est.
DE. Quid eum? uidistin' hodie? S. tuum ne filium?
(Abigã hunc rus) iamdudum aliquid ruri agere arbitror
DE. Sati' scis ibi eum esse? S. oh, qui egomet produxi. DE. optume est.
Metui, ne hæreret hic. S. atque iratum admodum.

DE. Quid autem? S. adortus iurgio fratrem apud forum
De psaltria istac. D. ain' uero? S. uah, nil reticuit:
Nam, ut numerabatur forte argentum, interuenit
Homo de improuiso, cœpit clamare, Aeschine
Hæccine flagitia facere te? hæc te admittere
Indigna genere nostro? DE. oh, lacrumo gaudio.
SY. Non tu hoc argentum perdis, sed uitam tuam.
DE. Saluos sit: spero, est similis maiorum suum. S. hui.
DE. Syre, præceptorum plenus istorum ille. S. phi,
Domi habuit, unde disceret. DE. fit sedulo:
Nil prætermitto: consuefacio: denique
Inspicere, tamquam in speculum, in uitas omnium
Iubeo, atque ex alijs sumere exemplum sibi.
Hoc facito. S. recte sane. DE. hoc fugito. S. callide.
DE. Hoc laudi est. S. istæc res est. DE. hoc uitio datur.
SY. Probissume. DE. porro autem. S. non hercle otium est
Nunc mihi auscultandi: pisces ex sententia
Nactus sum: hi mihi ne corrumpantur, cautio est:
Nam id nobis tam flagitium est, quam illa, Demea
Non facere uobis, quæ modo dixti: &, quod queo,
Conseruis ad eundem istunc præcipio modum:
Hoc salsum est, hoc adustum est, hoc lautum est parum:
Illud recte, iterum sic memento: sedulo
Moneo, quæ possum pro mea sapientia:
Postremo, tamquam in speculum, in patinas Demea
Inspicere iubeo, & moneo quid facto usu' sit.
Inepta hæc esse, nos quæ facimus, sentio:
Verum quid facias? ut homo est, ita morem geras.
Numquid uis? DE. mentem uobis meliorem dari.
SY, Tu rus abis hinc? D. recte. S. nam quid tu hic agas,

Vbi, si quid bene præcipias, nemo obtemperat?
DE. Ego uero hinc abeo, quando is, quamobrem huc uenerã,
Rus abijt: illum curo unum: ille ad me attinet:
Quando ita uolt frater, de istoc ipse uiderit.
Sed quis illic est, procul quem uideo? est ne hic Hegio
Tribulis noster? si satis cerno, hercle is est,
Vah, homo amicu' nobis iam inde a puero. dij boni,
Næ illiusmodi iam magna nobis ciuium
Penuria est. antiqua homo uirtute, ac fide.
Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.
Quam gaudeo, ubi etiam huius generis relliquias
Restare uideo. uah, uiuere etiam nunc lubet.
Opperiar hominem hic, ut salutem, & colloquar.

ACTVS TERTII SCENA V.

HEGIO, GETA, DEMEA, PAMPHILA.

HE. PRO dij immortales, facinus indignum Geta,
Quid narras? GE. sic est factum. HE. ex illan' familia
Tam illiberale facinus esse ortum? o Aeschine
Pol haud paternum istuc dedisti. DE. uidelicet
De psaltria hac audiuit: id illi nunc dolet
Alieno: pater is nihili pendit: hei mihi,
Vtinam hic prope adesset alicubi, atque audiret hæc.
HE. Ni facient quæ illos æquom est, haud sic auferent.
GE. In te spes omnis Hegio nobis sita est:
Te solum habemus: tu es patronus, tu parens.
Ille tibi moriens nos commendauit senex.
Si deseris tu, perijmus. HE. caue dixeris:
Nec faciam, neque me satis pie posse arbitror.
DE. Adibo. saluere Hegionem plurimum

Iubeo. HE. te quærebam ipsum, salue Demea.
DE. Quid autem? HE. maior filius tuus Aeschinus,
Quem fratri adoptandum dedisti, neque boni,
Neque liberalis functus officium uiri est.
DE. Quid istuc? HE. nostrum amicũ noras Simulũ, atque
Aequalem? DE. quid ni? HE. filiam eius uirginem
Vitiauit. DE. hem. HE. mane, nondum audisti Demea,
Quod est grauissimum. D. an quidquam est etiã amplius?
H. Vero amplius: nam hoc quidem ferendum aliquo modo est:
Persuasit nox, amor, uinum, adolescentia:
Humanum est. ubi scit factum, ad matrem uirginis
Venit ipsus ultro, lacrumans, orans, obsecrans,
Fidem dans, iurans, se illam ducturum domum.
Ignotum est, tacitum est, creditum est. uirgo ex eo
Compressu grauida facta est: mensis hic decimus est:
Ille bonus uir nobis psaltriam, si dijs placet,
Parauit, quicum uiuat, illam deserat.
DE. Pro certon' tu istæc dicis? HE. mater uirginis
In medio est, ipsa uirgo, res ipsa: hic Geta
Præterea, ut captus est seruolorum, non malus,
Neque iners, alit illas, solus omnem familiam
Sustentat: hunc abduce, uinci: quære rem.
GE. Immo hercle extorque, nisi ita factum est Demea:
Postremo non negabit. coram ipsum cedo.
DE. Pudet: nec, quid agam; neque, quid huic respondeam,
Scio. PAM. miseram me, differor doloribus.
Iuno Lucina fer opem, serua me obsecro. HE. hem.
Numnam illa quæso parturit? G. certe Hegio. H. hem,
Illæc fidem nunc uostram implorat Demea:
Quod uos ius cogit, id uoluntate impetret:

Hæc primum ut fiant, deos quæso, ut uobis decet.
Sin aliter animus uoster est, ego Demea,
Summa ui defendam hanc, atque illum mortuum.
Cognatus mihi erat: una a pueris paruoli
Sumus educti: una semper militiæ, & domi
Fuimus: paupertatem una pertulimus grauem.
Quapropter nitar, faciam, experiar, denique
Animam relinquam potius, quam illas deseram.
Quid mihi respondes? D. fratrem conueniam Hegio:
Is quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar.
HE. Sed Demea hoc tu facito cum animo cogites,
Quam uos facillime agitis, quam estis maxume
Potentes, dites, fortunati, nobiles,
Tam maxume uos æquo animo æqua noscere
Oportet, si uos uoltis perhiberi probos.
DE. Redito: fient, quæ fieri æquom est, omnia.
HE. Decet te facere. Geta duc me intro ad Sostratam.
DE. Non me indicente hæc fiunt: utinam hoc sit modo
Defunctum: uerum nimia illæc licentia
Profecto euadet in aliquod magnum malum.
Ibo, ac requiram fratrem, ut in eum hæc euomam.
H. Bono animo fac sis Sostrata, & istam quod potes
Fac consolere. ego Mitionem, si apud forum est,
Conueniam, atq; ut res gesta est, narrabo ordine.
Si est, ut facturus officium siet suum,
Faciat: sin aliter de hac re eius sententia est;
Respondeat mi, ut, quid agam, quam primum sciam.

ACTVS QVARTI SCENA I.

CTESIPHO, SYRVS.

CT. AIN' patrem hinc abiisse rus? S. iamdudum

CT. dic sodes. S. apud
Villam est. nunc cum maxume operis aliquid facere credo. CT. utinam quidem.
Quod cum salute eiu' fiat, ita se defatigarit uelim,
Vt triduo hoc perpetuo e lecto prorsus nequeat surgere.
SY. Ita fiat, et istoc si quid potis est rectius. CT. ita. nam hunc diem
Misere nimis perpetuum, ut cœpi, cupio in lætitia degere:
Et illud rus nulla alia caussa tam male odi, nisi quia
Prope est: quod si abesset longius,
Prius nox oppressisset illic, quam huc reuorti posset iterũ.
Nunc, ubi me illic non uidebit, iam huc recurret, sat scio:
Rogabit me, ubi fuerim: quẽ ego hodie toto non uidi die.
Quid dicam? S. nihil ne in mente est? CT. numquam quidquam. S. tanto nequior.
Cliens, amicus, hospes nemo est uobis? CT. sunt: quid postea?
SY. Hisce opera ut data sit. CT. quæ non data sit? non potest fieri. S. potest.
CT. Interdiu: sed si hic pernocto, caussæ quid dicam Syre?
SY. Vah, quam uellem etiam noctu amicis operam mos esset dari.
Quin tu otiosus es: ego illius sensum pulchre calleo.
Cum feruit maxume, tam placidum, quam ouem reddo. CT. quo modo?
SY. Laudarier te audit libenter: facio te apud illum deum:
Virtutes narro. CT. meas? S. tuas. homini illico lacrumæ cadunt,
Quasi puero, gaudio. hem tibi autem. CT. quidnam est?
S. LVPVS IN FABVLA.
CT. Pater ne est? S. ipsus. CT. Syre quid agimus? S. fuge mo-

do intro : ego uidero.

CT. Si quid rogabit, nuſquam tu me : audiſtin' ? S. potin' ut deſinas ?

ACTVS QVARTI SCENA II.

DEMEA, CTESIPHO, SYRVS.

DE. N AE ego homo ſum infelix. primum fratrem nuſquam inuenio gentium:
Præterea autem, dum illum quæro, à uilla mercenarium
Vidi: is filium negat eſſe ruri : nec, quid agam, ſcio.

C. Syre. S. quid ais? C. men' quærit? S. uerum. C. perij. S. quin tu animo bono es ?

D. Quid hoc, malum, infelicitatis? nequeo ſatis decernere:
Niſi me credo huic eſſe natum rei, ferundis miſerijs.
Primus ſentio mala noſtra : primus reſciſco omnia.
Primus porro obnuncio: ægre ſolus, ſi quid fit, fero.

S. Rideo hunc : primum ait ſe ſcire: is ſolus neſcit omnia.
D. Nunc redeo : ſi forte frater redierit, uiſo. C. Syre
Obſecro, uide ne ille huc prorſus ſe irruat. S. etiam taces?
Ego cauebo. C. numquam hercle hodie ego iſtuc committam tibi.
Nam me iam in cellam aliquam cum illa concludam: id tutiſsimum eſt.

S. Age, tamen ego hunc amouebo. D. ſed eccum ſceleratum Syrum.

S. Non hercle hic quidem durare quiſquam, ſi ſic fit, poteſt.
Scire equidem uolo, quot mihi ſint domini. quæ hæc eſt miſeria? D. quid
Ille gannit ? quid uolt? quid ais bone uir ? hem, eſt frater domi ?

S. Quid, malum, bone uir mihi narras? equidem perij. D. quid tibi est?

S. Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum, & istā psaltriam
Vsque occidit. D. hem, quid narras? S. hem, uide ut discidit labrum.

D. Quam ob rem? S. me impulsore hanc emptam esse ait.
D. non tu eum rus hinc modo
Produxe aiebas? S. factum. uerum post uenit insaniens.
Nil pepercit. non puduisse uerberare hominem senem,
Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestaui meis?

D. Laudo Ctesipho: patrissas: abi, uirum te iudico.

S. Laudas? næ ille continebit posthac, si sapiet, manus.

D. Fortiter. S. perquam, quia miseram mulierem & me seruolum,
Qui referire non audebam, uicit, hui perfortiter.

D. Non potuit melius: idem sensit quod ego, te esse huic rei caput.
Sed est ne frater intus? S. non est. D. ubi illum quæram, cogito.

S. Scio ubi sit, uerum hodie numquam monstrabo. D. hem quid ais? S. ita.

D. Diminuetur tibi quidem iam cerebrum. S. at nomē nescio
Illius hominis, sed locū noui ubi sit. D. dic ergo locum.

S. Nostin' porticum apud macellum hanc deorsum? D. quid ni nouerim?

S. Præterito hac recta platea sursum: ubi eo ueneris,
Cliuos deorsum uorsum est, hac te præcipitato: postea
Est ad hanc manum sacellum; ibi angiportum propter est.

D. Quonam? S. illic, ubi etiam caprificu' magna est: nostin'?

D. noui. S. hac pergito.
D. Id quidem angiportum non est peruium. S. uerum hercle. uah,
Censen' hominem me esse; erraui, in porticũ rursum, redi.
Sane hac multo propius ibis, & minor est erratio.
Scin' Cratini huius ditis ædes? D. scio. S. ubi eas præterieris,
Ad sinistram hac recta platea; ubi ad Dianæ ueneris,
Ito ad dexteram: prius, quam ad portam uenias, apud ipsum lacum
Est pistrilla. & exaduorsum est fabrica: ibi est. D. quid ibi facit?
S. Lectulos in sole illigneis pedibus faciundos dedit,
Vbi potetis uos. D. sane bene. sed cesso ad eũ pergere?
S. I sane: ego te exercebo hodie, ut dignus es silicernium.
Aeschinus odiose cessat; prandium corrumpitur:
Ctesipho autem in amore est totus. ego iam prospiciam mihi:
Nam iam adibo, atque unumquodque, quod quidem erit bellissimum,
Carpam, &, cyathos sorbillans, paullatim hunc producam diem.

ACTVS QVARTI SCENA III.

MITIO, HEGIO.

M. EGO in hac re nihil reperio, quam ob rem lauder tantopere, Hegio.
Meum officium facio: quod peccatum a nobis ortum est, corrigo:
Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant

Sibi fieri iniuriam, ſi quam fecere ipſi, ultro expoſtulant,
Et ultro accuſant: id quia non eſt a me factũ, agiˀ gratias?
H. Ah, minime: numquam te aliter, atque es, in animum indu
xi meum.
Sed quæſo, ut una mecũ ad matrem uirginis eas Mitio,
Atque iſtæc eadem, quæ mihi dixti, tute dicas mulieri
Suſpicionem hanc propter fratrem eius eſſe, & illam
pſaltriam.
M. Si ita æquom cenſes, aut ſi ita opus eſt facto, eamus. H. be
ne facis:
Nam & illi animum iam relleuabis, quæ dolore, ac mi-
ſeria
Tabeſcit; & tu officio fueris functus. ſed ſi aliter putas,
Egomet narrabo quæ mihi dixti. M. immo ego ibo. H. be-
ne facis:
OMNES, quibuˀ res ſunt minuˀ ſecundæ, magiˀ ſunt
neſcio quo modo
Suſpicioſi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:
Propter ſuam impotentiam, ſe ſemper credunt neglegi.
Quapropter te ipſum purgare ipſis coram, placabilius eſt.
M. Et recte, & uerum dicis. H. ſequere me ergo hac intro.
M. maxume.

ACTVS QVARTI SCENA IV.

AESCHINVS.

AE. ISCRVCIOR animi. hoccine de impro-
uiſo mali mihi obijci
Tantum, ut neque quid de me faciam, neque
quid agam, certum ſiet?
Membra metu debilia ſunt: animus timore obſtupuit: pe
ctore

Consistere nihil consilij quidquam potest. Vah quo modo
Me ex hac turba expediam? tanta nunc suspicio de me incidit,
Neque ea immerito. Sostrata credit, mihi me emisse hanc psaltriam:
Anus indicium id fecit mihi.
Nam ut hinc forte ea ad obstetricem missa erat, ubi eam uidi, illico
Accedo, rogito, Pamphila quid agat, iam partus adsiet:
Eo ne obstetricem accersat. illa exclamat, abi, abi, iam Aeschine
Sati' diu uerba dedisti: satis ad hoc tua nos frustrata est fides.
Hem, quid istuc obsecro inquam est? ualeas, habeas illam quæ placet.
Sensi illico id illas suspicari: sed me repreßit tamen,
Ne quid de fratre garrulæ illi dicerem, ac fieret palam.
Nunc quid faciam? dicam ne fratris esse hanc? quod minime est opus
Vsquam efferri. age, omitto: fieri potis est, uti ne qua exeat:
Ipsum id metuo uti credant: tot concurrunt uerisimilia:
Egomet rapui: ipse egomet solui argentum: ad me abducta est domum.
Hæc adeo mea culpa fateor fieri. non me hanc rem patri, ut ut
Erat gesta, indicasse: exorassem ut eam ducerem domum.
Cessatum est usque adhuc: nunc iam porro Aeschine expergiscere:
Nunc hoc primum est: ad illas ibo, ut purgem me: accedam ad fores:

Perij, horresco semper, ubi pultare hasce occipio fores miser.

Heus, heus: Aeschinus ego sum, aperite aliquis actutum ostium.

Prodit nescio quis, concedam huc.

ACTVS QVARTI SCENA V.

MITIO, AESCHINVS.

M. ITA uti dixi, Sostrata Facite: ego Aeschinum conueniam, ut, quomodo acta hæc sint, sciat.

Sed quis ostium hoc pultauit? AE. pater hercle est: perij.

M. Aeschine.

AE. Quid hic huic negoti est? M. tu ne has pepulisti fores? tacet.

Cur hunc aliquantisper non ludo? melius est:

Quandoquidem hoc numquam mihi ipse uoluit credere.

Nil mihi respondes? AE. non equidem istas, quod sciam.

M. Ita? nam mirabar quid hic negoti esset tibi.

Erubuit: salua res est. AE. dic sodes pater,

Tibi uero quid istic est rei? M. nihil mihi quidem.

Amicus quidam me a foro abduxit modo

Huc aduocatum sibi. AE. quid? M. ego dicam tibi.

Habitant hic quædam mulieres pauperculæ:

Opinor eas non nosse te, & certe scio:

Neque enim diu huc commigrarunt. AE. quid tum postea?

M. Virgo est cum matre. AE. perge. M. hæc uirgo orba est patre:

Hic meus amicus illi genere est proxumus:

Huic leges cogunt nubere hanc. AE. perij. M. quid est?

AE. Nil: recte: perge. M. is uenit, ut secum auehat:

Nam habitat Mileti. AE. hem, uirginem ut secum auehat?
M. Sic est. AE. Miletum usque obsecro? M. ita. AE. animo male est.
Quid ipsæ? quid aiunt? M. quid istas censes? nihil enim
Commenta mater est, esse ex alio uiro
Nescio quo puerum natum, neque eum nominat:
Priorem esse illum, non oportere huic dari.
AE. Eho non ne hæc iusta tibi uidentur postea?
M. Non. AE. obsecro non? an illam hinc abducet pater?
M. Quid ni illam abducat? AE. factum a uobis duriter,
Immisericorditerq;, atque etiam, si est, pater,
Dicendum magis aperte, illiberaliter.
M. Quam ob rem? AE. rogas me? quid illi tandem creditis
Fore animi misero, qui illi consueuit prius,
(Qui infelix, haud scio, an illam misere nunc amat)
Cum hanc sibi uidebit præsens præsenti eripi,
Abduci ab oculis? facinus indignum pater.
M. Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit?
Cui, quando nupsit? actor his rebus quis est?
Cur duxit alienam? AE. an sedere oportuit
Domi uirginem tam grandem, dum cognatus hic
Illinc ueniret exspectantem? hæc mi pater
Te dicere æquom fuit, & id defendere.
M. Ridicule, aduorsum ne illum caussam dicerem,
Cui ueneram aduocatus? sed quid Aeschine
Nostra? aut quid nobis cum illis? abeamus. quid est?
Quid lacrumas? AE. pater obsecro, ausculta. M. Aeschine audi omnia,
Et scio: nam te: quo magis, quæ, agis, curæ sunt mihi.

AE. Ita uelim me promerentem ames, dum uiuas, mi pater,
Vt me hoc delictum admisisse in me id mihi uehementer dolet,
Et me tui pudet. M. credo hercle: nam ingenium noui tuũ
Liberale: sed uereor ne indiligens nimium sies.
In qua ciuitate tandem te arbitrare uiuere?
Virginem uitiasti, quam te ius non fuerat tangere.
Iam id peccatum primum magnum, at humanum tamen.
Fecere alij saepe, item boni. at postquam euenit, cedo.
Numquid circumspexti? aut numquid tute prospexti tibi,
Quid fieret? qua fieret? si te ipsum mihi puduit dicere:
Qua resciscerem? haec dum dubitas, menses abierunt decem.
Prodidisti & te, & illam miseram, & gnatum, quod quidem in te fuit.
Quid? credebas, dormienti haec tibi confecturos deos?
Et sine tua opera illam in cubiculum iri deductum domũ?
Nolim ceterarum rerum te socordem eodem modo.
Bono animo es, duces uxorem hanc. AE. hem. M. bono animo es, inquam. AE. pater
Obsecro num ludis tu nunc me? M. ego te? quam ob rem? AE. nescio.
Nisi, quia tam misere hoc esse cupio uerum, eo uereor magis.
MI. Abi domum, ac deos comprecare, ut uxorem accersas: abi.
AE. Quid? iam ne uxorem? M. iam. AE. iam? M. iam quantum pote'. AE. di me, pater.
Omnes oderint, ni magis te, quam oculos nunc amo meos.

MI. Quid? quam illam? AE. æque. MI. perbenigne. AE. quid? ille ubi est Milesius?

MI. Abijt, perijt, nauem adscendit: sed cur cessas? AE. abi pater:

Tu potius deos comprecare, nam tibi eos certe scio,
Quo uir melior multo es, quam ego sum, obtemperaturos magis.

MI. Ego eo intro, ut quæ opu' sunt, parentur: fac tu, ut dixi, si sapis.

AE. Quid hoc negoti? hoc est patrem esse, aut hoc est filium esse?
Si frater, aut sodalis esset, qui magi' morem gereret?
Hic non amandus? hiccine non gestandus in sinu est? hem,
Itaque adeo magnam mi iniecit sua commoditate curam,
Ne forte imprudens faciam, quod nolit, sciens cauebo.
Sed cesso ire intro, ne mora meis nuptijs egomet sim?

ACTVS QVARTI SCENA VI.

DEMEA, MITIO.

DE. DEFESSVS sum ambulando. ut Syre, te cum tua
Monstratione magnus perdat Iuppiter.
Perreptaui usque omne opidum ad portam, ad lacum,
Quo non? neque fabrica ulla erat, neque fratrem homo
Vidisse aiebat quisquam. nunc uero domi
Certum est usque, donec redierit.

MI. Ibo, illis dicam nullam esse in nobis moram.

DE. Sed eccum ipsum. te iamdudum quæro Mitio.

MI. Quidnam? DE. fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adolescentis. M. ecce autem. DE. noua,
Capitalia. M. ohe, iam. D. nescis, qui uir sit. M. scio.

DE. Ah stulte, tu de psaltria me somnias
Agere? hoc peccatum est in uirginem ciuem. M. scio,
DE. Eho, scis, & patere? M. quid ni patiar? D. dic mihi,
Non clamas? non insanis? M. non. malim quidem.
DE. Puer natus est. M. dij bene uortant. DE. uirgo nihil habet.
M. Audiui. DE. & ducenda indotata est? M. scilicet.
DE. Quid nunc futurum est? M. id enim, quod res ipsa fert:
Illinc huc transferetur uirgo. D. Iuppiter,
Istoccine pacto oportet? M. quid faciam amplius?
DE. Quid facias, rogitas? si non re ipsa tibi dolet,
Simulare certe est hominis. M. quin iam uirginem
Despondi res composita est: fiunt nuptiæ.
Dempsi metum omnem: hæc magis sunt hominis.
DE. ceterum
Placet tibi factum Mitio: M. non, si queam
Mutare: nunc, cum non queo, æquo animo fero.
Ita uita est hominum, quasi, cum ludas tesseris,
Si illud, quod est maxume opus iactu, non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.
DE. Corrector: nempe tua arte uiginti minæ
Pro psaltria periere: quæ, quantum potest,
Aliquo abijcienda est, si non pretio, at gratijs.
M. Neque est, neque illam sane studeo uendere.
DE. Quid igitur facies? M. domi erit. D. pro diuum fidem,
Meretrix, & mater familias una in domo?
M. Cur non? DE. sanum ne te credis esse? M. equidem arbitror.
DE. Ita me dij ament, ut uideo ego tuam ineptiam,

Facturum credo, ut habeas quicum cantites.
M. Cur non? D. & noua nupta eadem hæc discet? M. scilicet.
DE. Tu inter eas restim ductans saltabis. M. probe:
Et tu nobiscum una, si opus sit. DE. hei mihi,
Non te hæc pudent? M. iam uero omitte Demea
Tuam istanc iracundiam, atque ita, uti decet,
Hilarum, ac lubentem fac te in nati nuptijs.
Ego hos conueniam, post huc redeo. DE. o Iuppiter.
Hanccine uitam? hoscine mores? hanc dementiam?
Vxor sine dote ueniet: intus psaltria est:
Domu' sumptuosa: adolescens luxu perditus:
Senex delirans: ipsa, si cupiat, Salus,
Seruare prorsus non potest hanc familiam.

ACTVS QVINCTI SCENA I.

SYRVS, DEMEA.

SY. DEPOL Syrisce te curasti molliter,
AE Lauteq; munus administrasti tuum:
Abi. sed postquam intus sum omnium rerum satur,
Prodeambulare huc libitum est. DE. illud sis uide
Exemplum disciplinæ. SY. ecce autem hic adest senex
Noster. qui fit? quid tu es tristis? DE. ohe scelus.
SY. Eho iam tu uerba fundis hic, sapientia?
DE. Tun'? si meus esses. SY. dis quidem esses Demea,
Ac tuam rem constabilisses. DE. exemplum omnibus,
Curarem, ut esses. S. quamobrem? quid feci? DE. rogas?
In ipsa turba, atque in peccato maxumo,
Quod uix sedatum satis est, potasti scelus,
Quasi re bene gesta. SY. sane nollem huc exitum.

ACTVS QVINCTI SCENA II.

DROMO, SYRVS, DEMEA.

DR. HEVS Syre, rogat te Cthesipho ut redeas. SY. abi.

DE. Quid Ctesiphontem hic narrat? SY. nihil. DR. eho carnufex,

Est Ctesipho intus? SY. non est. DE. cur hic nominat?

SY. Est alius quidam parasitaster paruolus,

Nostin'? DE. iam scibo. SY. quid agis? quo abis? DE. mitte me.

SY. Noli inquam. DE. non manum abstines mastigia?

An tibi mauis cerebrum dispergi hic? SY. abijt.

Aedepol comessatorem haud sane commodum,

Præsertim Ctesiphoni. quid ego nunc agam?

Nisi, dum hæ silescunt turbæ, interea in angulum

Aliquo abeam, atque edormiscam hoc uilli. sic agam.

ACTVS QVINCTI SCENA III.

MITIO, DEMEA.

MI. PARATA a nobis sunt, ut dixi, Sostrata,

Vbi uis. quisnam a me pepulit tam grauiter fores?

DE. Hei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem, aut quærar?

O cælum, o terra, o maria Neptuni. M. hem tibi,

Resciuit omnem rem: id nunc clamat: ilicet:

Paratæ lites: succurrendum est. DE. eccum adest

Communis corruptela nostrum liberum.

M. Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.

D. Repreßi, redij, mitto maledicta omnia.

Rem ipsam putemus, dictum inter nos hoc fuit,

Ex te adeo est ortum, ne tu curares meum,
Ne ue ego tuum: responde. M. factum est, non nego.
D. Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis amicam Mitio? nam qui minus
Mihi idem ius æquom est esse, quod mecum est tibi?
Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
M. Non æquom dicis, non: nam uetus uerbum hoc quidem est,
COMMVNIA esse amicorum inter se omnia.
D. Facete: nunc demom istæc nata oratio est.
M. Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea.
Principio, si id te mordet, sumptum filij
Quem faciunt, quæso facito hæc tecum cogites,
Tu illos duos olim pro re tollebas tua,
Quod satis putabas tua bona ambobus fore,
Et me tum uxorem credidisti scilicet
Ducturum: eandem illam rationem antiquam obtine:
Conserua, quære, parce, fac quamplurimum
Illis relinquas: gloriam tu istam obtine:
Mea, quæ præter spem euenere, utantur sine.
De summa nihil decedet: quod hinc accesserit,
Id de lucro putato esse. omnia si hæc uoles
In animo uero cogitare Demea,
Et mihi, & tibi, & illis dempseris molestiam.
D. Mitto rem consuetudine ipsorum. M. mane.
Scio: istuc ibam. multa in homine Demea,
Signa insunt, ex quibu' coniectura facile fit,
Duo cum idem faciunt, sæpe ut possis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
Non quod dissimilis res sit, sed quod, qui facit.

Quæ ego esse in illis uideo, ut confidam fore ita,
Vt uolumus. uideo eos sapere, intellegere, in loco
Vereri, inter se amare: scire est liberum
Ingenium atque animum: quouis illos tu die
Reducas. at enim metuas, ne ab re sint tamen.
Omißiores paullo, o noster Demea,
Ad omnia alia ætate sapimus rectius:
Solum unum hoc uitium affert senectus hominibus;
Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est:
Quod illos sat ætas acuet. D. ne nimium modo
Bonæ tuæ istæ nos rationes Mitio,
Et tuus iste animus æquus subuortat. MI. tace,
Non fiet: mitte iam istæc: da te hodie mihi:
Exporge frontem. D. scilicet, ita tempus fert,
Faciundum est: ceterum rus cras cum filio
Cum primo lucu. M. immo de nocte censeo:
Hodie modo hilarum fac te. D. & istam psaltriam
Vna illuc mecum hinc abstraham. MI. pugnaueris,
Eo prorsus pacto illic alligaris filium.
Modo facito, ut illam seruet. D. ego istuc uidero: atque
Illi fauillæ plena, fumi, ac pollinis
Coquendo sit faxo, & molendo: præter hæc,
Meridie ipso, faciam, ut stipulam colligat:
Tã excoctã reddã, atq; atram, quam carbo est. MI. placet.
Nunc mihi uidere sapere. atque equidem filium,
Tum etiam si nolit, cogas, cum illa una cubet.
DE. Derides? fortunatus, qui isto animo sies:
Ego sentio. MI. ah pergis ne? D. iam iam desino.
MI. I ergo intro, & cui opus rei est, hilarem hunc sumamus diem.

ACTVS QVINCTI SCENA IV.

DEMEA.

DE. NVMQVAM ita quisquam bene subducta ratione ad uitam fuit,
Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet noui,
Aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias,
Et, quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.
Quod mi euenit nunc: nam ego uitam duram, quam uixi usque adhuc,
Prope iam excurso spatio mitto: id quamobrem? re ipsa repperi
FACILITATE nihil homini esse melius, neque clemētia. id
Esse uerum, ex me, atque ex fratre cuiuis facile est noscere.
Vitam ille suam semper egit in otio, in conuiuijs:
Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus:
Sibi uixit: sibi sumptum fecit: omnes bene dicunt, amant.
Ego ille agrestis, sæuus, tristis, parcus, truculentus, tenax,
Duxi uxorem: quam ibi miseriam uidi. nati filij,
Alia cura: porro autem, illis dum studeo ut quamplurimū
Facerem, contriui in quærundo uitam, atque ætatem meam:
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab ijs fero,
Odium. ille alter sine labore patria potitur commoda:
Illum amant, me fugitant: illi credunt consilia omnia:
Illum diligunt: apud illum sunt ambo, ego desertus sum:
Illum, ut uiuat, optant, meam autem mortem exspectant scilicet:

Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit suos
Paullo sumptu: miseriam omnem ego capio, hic potitur gaudia.
Age age, nunc experiamur contra hæc ecquid ego possiem
Blande dicere, aut benigne facere, quando eo prouocat.
Ego quoque a meis me amari, & magnipendi postulo.
Si id fit dando, atque obsequendo, non posteriores feram.
Deerit: id mea minime refert, qui sum natu maxumus.

ACTVS QVINCTI SCENA V.

SYRVS, DEMEA.

S. HEUS Demea, rogat frater, ne abeas longius.
D. Quis homo? o Syre noster, salue, quid fit? quid agitur?
S. Recte. D. optume est. iam nunc hæc tria primum addidi
Præter naturam: o noster, quid fit? quid agitur?
Seruom haud illiberalem præbes te, & tibi
Lubens bene faxim. S. gratiam habeo. D. atqui Syre
Hoc uerum est, ipsa re experiere propediem.

ACTVS QVINCTI SCENA VI.

GETA, DEMEA.

G. HERA, ego hinc ad hos prouisam, quam mox uirginem
Accersant, sed eccum Demeam. saluos sies.
D. O, qui uocare? G. Geta. D. Geta, hominem maxumi
Pretij esse hodie te indicaui animo meo:
Nam is mihi est profecto seruus spectatus satis,
Cui dominus curæ est, ita ut tibi sensi Geta:
Et tibi ob eam rem, si quid usus uenerit,
Lubens bene faxim. meditor esse affabilis,

Et bene procedit. G. bonus es, cum hæc existumas.
D. Paullatim plebem primulum facio meam.

ACTVS QVINCTI SCENA VII.

AESCHINVS, DEMEA, SYRVS, GETA.

AE. O CCIDVNT me, qui dum nimi' sanctas nuptias
Student facere, in apparando consumunt diem.
D. Quid agitur Aeschine? AE. hem pater mi, tu hic eras?
D. Tuus hercle uero & animo, & natura pater,
Qui te plus, quam oculos hosce: sed cur non domum
Vxorem accersis? AE. cupio: uerum hoc mihi mora est,
Tibicina, & hymenæum qui cantent. D. eho,
Vin' tu huic seni auscultare? AE. quid? D. missa hæc face,
Hymenæum, turbam, lampadas, tibicinas:
Atque hanc in horto maceriam iube dirui
Quantum potest, hac transfer, unam fac domum:
Transduc & matrem, et familiã omnẽ ad nos. AE. placet,
Pater lepidissime. D. euge, iam lepidus uocor.
Fratri ædes fient peruiæ: turbam domum
Adducet, sumptum admittet: multa: quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam: iube nunc iam
Dinumeret illi Babylo uiginti minas.
Syre, cessas ire, ac facere? S. quid ago? D. dirue:
Tu, illas, abi, & traduce. G. dij tibi Demea
Bene faxint, cum te uideo nostræ familiæ
Tam ex animo factum uelle. D. dignos arbitror.
Tu quid ais? AE. sic opinor. multo rectiu' est,
Quam illam puerperam nunc duci huc per uiam
Aegrotam. AE. nihil enim uidi melius, mi pater.

D. Sic soleo: sed eccum Mitio egreditur foras.

ACTVS QVINCTI SCENA VIII.

MITIO, DEMEA, AESCHINVS.

MI. IVBET frater? ubi is est? tu iubes hoc Demea?

D. Ego uero iubeo, & in hac re, & alijs omnibus

Quam maxume unam facere nos hanc familiam,

Colere, adiuuare, adiungere. AE. ita quæso pater.

M. Haud aliter censeo. DE. immo hercle ita nobis decet.

Primum huius uxoris est mater. M. est: quid postea?

D. Proba, & modesta. M. ita aiunt. D. natu grandior.

M. Scio. D. parere iam diu hæc per annos non potest:

Nec, qui eam respiciat, quisquam est: sola est. M. quam hic rem agit?

D. Hanc te æquom est ducere, & te operam, ut fiat, dare.

M. Me ducere autem? D. te. M. me? D. te, inquam. M. ineptis. D. si tu sis homo,

Hic faciat. AE. mi pater. M. quid? tu asine huic auscultas? D. nihil agis.

Fieri aliter non pote. M. deliras. AE. sine te exorem, mi pater.

M. Insanis? aufer te. D. age, da ueniam filio. M. sati' sanus es?

Ego nouus maritus anno demum quincto & sexagesimo

Fiam, atque anum decrepitam ducam? id ne estis auctores mihi?

AE. Fac: promisi ego illis. M. promisti autem? de te largitor puer.

D. Age, si quid te maius oret? M. quasi non hoc sit maxumũ.

D. Age, da ueniam. AE. ne grauare. D. fac, promitte. M. non omittis? AE. non,

Nisi exorem. M. uis hæc quidem est. D. age, age, prolixe Mitio.

M. Etsi hoc mihi prauom, ineptum, absurdum, atque alienum a uita mea

Videtur, si uos tantopere istuc uoltis, fiat. AE. bene facis:

Merito te amo. D. uerum quid? quid ego dicam? hoc confit quod uolo.

Quid nunc quod restat? Hegio cognatus his est proxumus

Affinis nobis pauper: bene nos aliquid facere illi decet.

M. Quid facere? D. agelli hic est sub urbe paullum, quod locitas foras:

Huic demus, qui fruatur. M. paullum id autem? D. si multum, tamen

Faciundum est: pro patre huic est, bonus est, noster est, recte datur.

Postremo non meum illud uerbum facio, quod tu Mitio

Bene, & sapienter dixti dudum: VITIVM commune omnium est,

Quod nimium ad rem in senecta attenti sumus. hanc maculam nos decet

Effugere. dictum est uere, & re ipsa fieri oportet, Mitio.

M. Quid istuc est? dabitur quidem, quando hic uolt, Aeschine. AE. mi pater.

D. Nunc tu mihi es germanus pariter corpore, & animo. M. gaudeo.

D. Suo sibi hunc gladio iugulo.

ACTVS QVINCTI SCENA IX.

SYRVS, DEMEA, MITIO, AESCHINVS.

S. ACTVM est, quod iusti Demea.

D. Frugi homo es. ædepol hodie mea quidem sententia

Iudico, Syrum fieri æquom liberũ. M. istunc liberum?

Quodnam ob factum? M. multa. S. o noster Demea, ædepol uir bonu' es:

Ego istos uobis usque a pueris curaui ambos sedulo,

Docui, monui, bene præcepi semper quæ potui omnia.

D. Res apparet, & quidem hæc porro, obsonare, cum fide

Scortum adducere, apparare de die conuiuium:

Non mediocris hominis hæc sunt officia. S. o lepidũ caput.

D. Postremo hodie in psaltria ista emunda hic adiutor fuit,

Hic curauit: prodesse æquom est: alij meliores erunt.

Denique hic uolt fieri. M. uin' tu hoc fieri? AE. cupio. M. si quidem

Tu uis, Syre eho accede huc ad me, liber esto. S. bene facis:

Omnibu' gratiam habeo, & seorsum tibi præterea Demea.

M. Gaudeo. AE. & ego. S. credo: utinam hoc perpetuum fiat gaudium, ut

Phrygiam uxorem meam una mecum uideam liberam. M. optumam

Mulierem quidem. S. & quidem nepoti tuo, huius filio,

Hodie prima mammam dedit hæc. D. hercle uero serio,

Siquidem prima dedit, haud dubium quin emitti æquom siet.

M. Ob eam rem? D. ob eam: postremo a me argentum, quanti est, sumito.

S. Dij tibi Demea, omnes semper omnia optata afferant.
M. Syre, processisti hodie pulchre. D. siquidem porro Mitio,
Tu tuum officium facies, atque huic aliquid paullum præ manu
Dederis, unde utatur. reddet tibi cito. M. istoc uilius.
AE. Frugi homo est. S. reddam hercle. da modo. AE. age pater. M. post consulam.
D. Faciet. S. o uir optime. AE. o pater mi festiuissime.
M. Quid istuc? quæ res tam repente mores mutauit tuos?
Quod proluuium? quæ istæc subita est largitas? D. dicam tibi;
Vt id ostenderem, quod me isti facilem, et festiuum putant,
Id non fieri ex uera uita, neque adeo ex æquo & bono,
Sed ex assentando, indulgendo, & largiendo Mitio.
Nunc adeo si ob eam rem uobis mea uita inuisa est Aeschine,
Quia non iusta iniusta prorsus omnia omnino obsequor:
Missa facio, effundite, emite, facite quod uobis lubet.
Sed si id uoltis potius, quæ uos propter adolescentiam
Minu' uidetis, magis impense cupitis, consulitis parum,
Hæc reprehendere, & corrigere me; obsecundare in loco:
Ecce, qui id faciam uobis. AE. tibi pater permittimus:
Plus scis, quid facto opus est. sed de fratre quid fiet? D. sino
Habeat. finem in istac faciat. M. istuc recte. Plaudite.

ADMONITIO.

Hecyram in suum, idest, in ultimum locum reiecimus.

FABVLAE INTERLOCVTORES.

Phormio	parasitus.
Demipho	senex.
Antipho	adolescens.
Geta	seruus.
Dorio	leno.
Chremes	senex.
Phædria	adolescens.
Dauus	seruus.
Sophronia	nutrix.
Nausistrata	matrona.
Hegio,	aduocatus.
Cratinus,	aduocatus,
Crito,	aduocatus.

TERENTII PHORMIO.

Acta ludis Romanis, L. Postumio Albino, L. Cornelio Merula ædil. cur. egere L. Ambiuius Turpio, L. Atilius Prænestinus. Modos fecit Flaccus Claudii. Tibiis imparib. tota Græca Apollodoru. Epidicazomenos. Facta IIII. C. Fannio. M. Valerio Coss.

C. SVLPITII APOLLINARIS PERIOCHA.

C HREMETIS frater aberat peregre Demipho
Relicto Athenis Antiphone filio,

Chremes clam habebat Lemni uxorem, & filiam,
Athenis aliam coniugem, & amantem unice
Gnatum fidicinam. mater e Lemno aduenit
Athenas: moritur: uirgo sola (aberat Chremes)
Funus procurat. ibi eam uisam Antipho
Cum amaret, opera parasiti uxorem accipit.
Pater, & Chremes reuersi fremere: dein minas
Triginta dant parasito, ut illam coniugem
Haberet ipse. argento hoc emitur fidicina.
Vxorem retinet Antipho a patruo agnitam.

PROLOGVS.

POSTQVAM poeta uetus poetam nó potest
Retrahere a studio, & transdere hominem in otium;
Maledictis deterrere, ne scribat, parat:
Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,
Tenui esse oratione, & scriptura leui,
Quia nusquam scripsit insanum adolescentulum
Ceruam uidere, fugere, & sectari canes,
Et eam plorare, orare ut subueniat sibi.
Quod si intellegeret, cum stetit olim noua,
Actoris opera magis stetisse, quam sua:
Minu' multo audaciter, quam lædit, læderet;
Et magi' placerent, quas fecisset fabulas.
Nunc si quis est, qui hoc dicat, aut sic cogitet;
Vetu' si poeta non lacessisset prior,
Nullum inuenire prologum potuisset nouus
Quem diceret, nisi haberet, cui malediceret:

P

Is sibi responsum hoc habeat; in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.
Ille ad famem hunc ab studio studuit reijcere:
Hic respondere uoluit, non lacessere.
Benedictis si certasset, audisset bene:
Quod ab ipso allatum est, sibi esse in rellatum putet.
De illo iam finem faciam dicundi mihi,
Peccandi cum ipse de se finem non facit.
Nunc quid uelim, animum attendite. apporto nouam
Epidicazomenon quam uocant comœdiam
Græci, Latini Phormionem nominant;
Quia primas partes qui aget, is erit Phormio
Parasitus, per quem res agetur maxume,
Voluntas nostra si ad poetam accesserit,
Date operam, adeste æquo animo per silentium;
Ne simili utamur fortuna, atque usi sumus,
Cum per tumultum noster grex motus loco est:
Quem actoris uirtus nobis restituit locum,
Bonitasq; uostra adiutans, atque æquanimitas.

ACTVS PRIMI SCENA I.

DAVVS.

D. AMICVS summus meus, & popularis Geta
Heri ad me uenit: erat ei de ratiuncula
Iampridem apud me relliquum pauxillulum
Nummorum: id ut conficerem; confeci: affero.
Nam herilem filium eius duxisse audio
Vxorem: ei credo munus hoc conraditur.
Quam inique comparatum est, ij, qui minus habent,
Vt semper aliquid addant diuitioribus.
Quod ille unciatim uix demenso de suo,

Suum defrudans genium, comparsit miser,
Id illa uniuersum abripiet, haud existumans
Quanto labore partum. porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
Porro alio autem, ubi erit puero natalis dies,
Vbi initiabunt: omne hoc mater auferet:
Puer caussa erit mittundi. sed uideon' Getam?

ACTVS PRIMI SCENA II.

GETA, DAVVS.

G. SI QVIS me quæret rufus. D. præsto est, desino. G. oh,
At ego obuiam conabar tibi Daue. D. accipe hem:
Lectum est, conueniet numerus, quantum debui.
G. Amo te, & non neglexisse habeo gratiam.
D. Præsertim ut nunc sunt mores: adeo res redit:
Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.
Sed quid tu es tristis? G. ego ne? nescis quo in metu, &
Quanto in periculo sim. D. quid istuc est? G. scies,
Modo ut tacere posis. D. abi sis insciens:
Cuius tu fidem in pecunia perspexeris,
Verere ei uerba credere? ubi quid mihi lucri est
Te fallere? G. ergo ausculta. D. hanc operã tibi dico.
G. Senis nostri Daue, fratrem maiorem Chremem
Nostin'? DA. quid ni? GE. quid? eius gnatum Phædriam?
D. Tamquam te. G. euenit, senibus ambobus simul,
Iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam
Ad hospitem antiquom: is senem per epistolas
Pellexit, modo non montes auri pollicens.

D. Cui tanta erat res, & supererat? G. desinas:
Sic est ingenium. D. oh, regem me esse oportuit.
G. Abeuntes ambo hinc tum seruis me filijs
Relinquunt quasi magistrum. D. o Geta, prouinciam
Cepisti duram. G. mihi usu uenit hoc, scio.
Memini relinqui me deo irato meo.
Cœpi aduorsari primo: quis uerbis opu'st?
Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi.
D. Venere in mentem istæc mihi: nam quæ inscitia est,
ADVORSVM stimulum calces? G. cœpi his omnia
Facere, obsequi quæ uellent. D. scisti VTI FORO.
G. Noster mali nil quidquam primo: hic Phædria
Continuo quandam nactus est puellulam
Citharistriam: hanc amare cœpit perdite.
Ea seruiebat lenoni impurißimo:
Neque, quod daretur quidquam, id curarant patres.
Restabat aliud nihil, nisi oculos pascere,
Sectari, in ludum ducere, & reducere:
Nos otiosi operam dabamus Phædriæ.
In quo hæc discebat ludo, exaduorsum ei loco
Tonstrina erat quædam: hic solebamus fere
Plerunque eam opperiri, dum inde iret domum.
Interea dum sedemus, illi interuenit
Adolescens quidam lacrumans, nos mirarier.
Rogamus, quid sit: numquam æque (inquit) ac modo
Paupertas mihi onus uisum est & miserum, & graue.
Modo quandam uidi uirginem hic uiciniæ
Miseram, suam matrem lamentari mortuam.
Ea sita erat ex aduorso: neque illi beneuolens,
Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam.

Quiſquam aderat, qui adiutaret funus. miſeritum eſt.
Virgo ipſa facie egregia. quid uerbis opu'ſt?
Commorat omnes nos: ibi continuo Antipho,
Voltis ne eamus uiſere? alius, cenſeo,
Eamus, duc nos ſodes: imus, uenimus,
Videmus: uirgo pulchra: & quo magi' diceres,
Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem:
Capillus paſſus, nudus pes, ipſa horrida:
Lacrumæ, ueſtitus turpis, ut, ni uis boni
In ipſa ineſſet forma, hæc formam exſtinguerent.
Ille, qui illam amabat fidicinam, tantummodo,
Satis, inquit, ſcita eſt: noſter uero. DA. iamſcio:
Amare cœpit. G. ſcin quam? quo euadat, uide:
Poſtridie ad anum recta pergit: obſecrat,
Vt ſibi eius faciat copiam. illa enim ſe negat:
Neque eum æquom ait facere: illam ciuem eſſe Atticam,
Bonam, bonis pognatam: ſi uxorem uelit,
Lege id licere facere; ſin aliter, negat:
Noſter, quid ageret, neſcire: & illam ducere,
Cupiebat, & metuebat abſentem patrem.
DA. Non, ſi rediiſſet, ei pater ueniam daret?
GE. Ille ne indotatam uirginem, atque ignobilem
Daret illi? numquam faceret. D. quid fit denique?
GE. Quid fiat? eſt paraſitus quidam Phormio,
Homo confidens: qui illum dii omnes perduint.
DA. Quid is fecit? GE. hoc conſilium, quod dicam, dedit:
Lex eſt, ut orbæ, qui ſint genere proxumi,
Is nubant: & illos ducere eadem hæc lex iubet.
Ego te cognatum dicam, & tibi ſcribam dicam:
Paternum amicum me aſſimilabo uirginis:

Ad iudices ueniemus: qui fuerit pater,
Quæ mater, qui cognata tibi sit, omnia hæc
Confingam: quod erit mihi bonum, atque commodum.
Cum tu horum nihil refelles, uincam scilicet.
Pater aderit: mihi paratæ lites: quid mea?
Illa quidem nostra erit. D. iocularem audaciam.
GE. Persuasit homini: factum est: uentum est: uincimur:
Duxit. D. quid narras? G. hoc, quod audis. D. o Geta,
Quid te futurum est? G. nescio hercle: unum hoc scio:
Quod fors feret, feremus æquo animo. D. placet:
Hem istuc uiri est officium. G. in me omnis spes mihi est.
DA. Laudo. GE. ad precatorem abeam credo, qui mihi
Sic oret: nunc amitte quæso hunc: ceterum
Posthac si quidquam, nihil precor. tantummodo
Non addas ubi ego hinc abero, uel occidito.
DA. Quid ille pædagogus, qui citharistriam?
Quid rei gerit? G. sic, tenuiter. D. non multum habet
Quod det fortasse. G. immo nihil, nisi spem meram.
DA. Pater eius redijt, an non? GE. nondum. DA. quid? senem
Quoad exspectatis uostrum? GE. non certum scio:
Sed epistolam ab eo allatam esse audiui modo,
Ad portitores esse delatam: hanc petam.
DA. Numquid Geta aliud me uis? GE. ut bene sit tibi.
Puer heus. nemon' huc prodit? cape, da hoc Dorcio.

ACTVS PRIMI SCENA III.

ANTIPHO, PHAEDRIA.

AN. DEON' rem redijsse, ut, qui mihi consultum esse optume uelit,
Phædria, patrem extimescam, ubi in mentem

eius aduenti uenit?
Quod ni fuissem incogitans, ita eum exspectarem, ut par fuit.
PH. Quid istuc est? AN. rogitas? qui tam audacis facinoris mihi conscius
Sis? quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset,
Neu me cupidum eo impulisset, quod mihi principium est mali.
Non potitus essem: fuisset tum mihi illos ægre aliquot dies:
At non quotidiana cura hæc angeret animum. PH. audio.
AN. Dum exspecto quam mox ueniat, qui adimat hanc mihi consuetudinem.
PH. Alijs, quia desit quod amant, ægre est, tibi; quia superest, dolet.
Amore abundas Antipho.
Nam tua quidem hercle certe uita hæc repetenda, optandáq; est,
Ita me dij bene ament; ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui,
Iam depacisci mortem cupio. tu conijcito cetera,
Quid ego ex hac inopia nunc capiam, & quid tu ex istac copia.
Vt ne addam, quod sine sumptu, ingenuam, liberalem nactus es:
Quod habes, ita ut uoluisti, uxorem, sine mala fama: palã
Beatus, ni unum hoc desit, animus qui modeste istæc ferat.
Et si tibi res sit cũ eo lenone, quocum mihi est, tum sentias.
Ita plerique ingenio sumus omnes; nostri nosmet pœnitet.

AN. An tu mihi contra nunc uidere fortunatus Phædria,
Cui de integro est potestas etiam consulendi, quid uelis,
Retinere, amare, amittere: ego in eum incidi infœlix locũ,
Vt neque mihi eius sit amittendi, nec retinendi copia.
Sed hoc quid est? uideon' ego aduenire huc currentem Getam?
Is ipsus est. timeo miser, quam nunc mihi hic rem nũciet.

ACTVS PRIMI SCENA IV.

GETA, ANTIPHO, PHAEDRIA.

GE. NVLLVS es, Geta, nisi aliquod iam tibi consilium celere repereris?
Ita subito nunc imparatum tanta te impendent mala:
Quæ neque uti deuitem scio, neque quo modo me inde extraham:
Nam non potest celari nostra diutius iam audacia.
AN. Quidnam ille commotus uenit? GE. tum, temporis punctum mihi
Ad hanc rem est: herus adest. AN. quid istuc est mali?
GE. Quod cum audierit, quod eius remedium inueniam iracundiæ?
Loquar ne? incendam. taceam? instigem. purgem me? laterem lauem.
Eheu me miserum: cum mihi paueo, tum Antipho me excruciat animi:
Eius me miseret: ei nunc timeo: is nunc me retinet: nam absque eo
Esset: recte ego mihi uidissem, & senes essem ultus iracundiam:
Aliquid conuasassem, atque hinc me coniicerem pro-

tinu' in pedes.

AN. Quam hic fugam, aut furtum parat?

GE. Sed ubi Antiphonem reperiam? aut qua quærere insistam uia?

PH. Te nominat. AN. nescio quod magnum hoc nuncio exspecto malum.

PH. Ah, sanu' ne es?

GE. Domum ire pergam: ibi plurimum est. PH. reuocemus hominem. AN. sta illico. GE. hem,

Satis pro imperio, quisquis es. AN. Geta. GE. ipse est, quem uolui obuiam.

AN. Cedo, quid portas, obsecro? atque id, si potes, uerbo expedi.

GE. Faciam. AN. eloquere. GE. modo apud portum.
AN. meum ne? GE. intellexi. AN. occidi. PH. hem.

AN. Quid agam? PH. quid ais? GE. huiu' patrem uidisse me, patruum tuum

AN. Nam quod ego huic nunc subito exitio remedium inueniam miser?

Quod si eo meæ fortunæ redeunt, Phanium abs te ut distrahar;

Nulla est mihi uita expetenda. GE. ergo istæc cum ita sint Antipho,

Tanto magi' te aduigilare æquom est. FORTES fortuna adiuuat.

AN. Non sum apud me. GE. atqui opus est nunc, cum maxume, ut sis Antipho:

Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur

Commeruisse culpam. PH. hoc uerum est. AN. non possum immutarier.

GE. Quid si aliquid grauius tibi nunc faciundum foret?
AN. Cum hoc non possum, illud minu' possem. G. hoc nihil est Phædria: ilicet:
Quid conterimus operam frustra, quin abeam? PH. et equidem ego. AN. obsecro,
Quid si aßimulabo? satin' est? GE. garris. AN. uoltum contemplamini, hem,
Satin' sic est? GE. non. AN. quid si sic? GE. propemodũ. AN. quid si sic. GE. sat est:
Hem istuc serua, et uerbum uerbo, par pari ut respondeas,
Ne suis te iratus sæuidictis protelet. AN. scio.
GE. Vi coactum te esse inuitum, lege, iudicio: tenes?
Sed quis hic est senex, quem uideo in ultima platea? AN. ipsus est.
Non possem adesse. GE. ah quid agis? quo abis Antipho? mane,
Mane inquam. AN. egomet me noui, & peccatum meum:
Vobis commendo Phanium, & uitam meam.
PH. Geta, quid nunc fiet? GE. tu iam lites audies:
Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit.
Sed quod modo hic nos Antiphonem monuimus,
Id nosmet ipsos facere oportet Phædria.
PH. Aufer mihi oportet: quin tu, quod faciam, impera.
GE. Meministin' olim ut fuerit uostra oratio
In re incipiunda ad defendendam noxiam?
Iustam illam caussam, facilem, uincibilem, optumam.
PH. Memini. G. hem nunc ipsa est opus, aut, si quid potest
Meliore, & callidiore. PH. fiet sedulo.
GE. Nunc prior adito tu: ego in insidijs hic ero
Succenturiatus, si quid deficies. PH. age.

ACTVS PRIMI SCENA V.

DEMIPHO, GETA, PHAEDRIA.

DE. ITA ne tandem uxorem duxit Antipho iniussu meo?

Nec meum imperium: age, mitto imperium: nō simultatem meam

Reuereri? saltem non pudere? o facinus audax, o Geta

Monitor. GE. uix tandem. DE. quid mihi dicent? aut quam caussam reperient?

Demiror. GE. atqui repperi iam: aliud cura. DE. an ne hoc dicent mihi?

Intuitus feci: lex coegit. audio, & fateor. G. placet.

DE. Verum scientem, tacitum caussam tradere aduersarijs,

Etiam ne id lex coegit? PH. illud durum. GE. ego expediā: sine.

DE. Incertum est, quid agam, quia præter spem, atque incredibile hoc mihi accidit.

Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere.

QVAMOBREM omnes, cum secundæ res sunt maxume, tum maxume

Meditari secum oportet, quo pacto aduorsam ærumnam ferant:

Pericla, damna, exsilia peregre rediens semper cogitet,

Aut fili peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ:

Communia esse hæc, fieri posse: ut ne quid animo sit nouū:

Quidquid præter spem eueniat, omne id deputare esse in lucro.

GE. O Phædria, incredibile est, quanto herum ante eo sapientia,

Meditata mihi sunt omnia mea incommoda: herus si redierit,
Molendum usque in pistrino: uapulandum: habendæ compedes:
Opus ruri faciundum: horum nil quidquam accidet animo nouum.
Quidquid præter spem eueniet, omne id deputabo esse in lucro.
Sed quid hominem cessas adire, & blande in principio alloqui?
DE. Mei fratris uideo filium ire mihi obuiam.
PH. Mi patrue salue. DE. salue: sed ubi est Antipho?
PH. Saluom aduenire. DE. credo: hoc responde mihi.
PH. Valet: hic est: sed satin' omnia ex sententia?
DE. Vellem quidem. PH. quid istuc? DE. rogitas Phædria?
Bonas me absente hic confecistis nuptias.
PH. Eho, an id succenses nunc illi? Ge. artificem probum.
DE. Ego ne illi non succenseam? ipsum gestio
Dari mi in conspectum, nunc sua culpa ut sciat
Lenem patrem illum factum me esse acerrimum.
PH. Atqui nil fecit patrue, quod succenseas.
DE. Ecce autem similia omnia: omnes congruunt:
Vnum cognoris, omnes noris. PH. haud ita est.
DE. Hic in noxa est, ille ad defendendam caussam adest.
Cum ille est, hic præsto est: tradunt operas mutuas.
GE. Probe eorum facta imprudens depinxit senex:
DE. Nam ni hæc ita essent, cum illo haud stares Phædria.
PH. Si est patrue, culpam ut Antipho in se admiserit,
Ex qua re minus rei foret, aut famæ temperans:
Non caussam dico, quin, quod meritus est, ferat.

Sed si quis forte malitia fretus sua,
Insidias nostræ fecit adolescentiæ,
Ac uicit: nostra ne ea culpa est, an iudicum,
Qui sæpe propter inuidiam adimunt diuiti,
Aut propter misericordiam addunt pauperi?
GE. Ni nossem caussam, crederem uera hunc loqui.
DE. An quisquam iudex est, qui possit noscere
Tua iusta, ubi tute uerbum non respondeas,
Ita ut ille fecit? PH. functus adolescentuli est
Officium liberalis: postquam ad iudices
Ventum est, non potuit cogitata proloqui:
Ita eum tum timidum obstupefecit pudor.
GE. Laudo hunc: sed cesso adire quam primum senem?
Here salue: saluom te aduenisse gaudeo. DE. oh,
Bone custos salue, columen uero familiæ,
Cui commendaui filium hinc abiens meum.
GE. Iamdudum te omnes nos accusare audio,
Immerito, & horum me omnium immeritissimo:
Nam quid me in hac facere uoluisti tibi?
Seruom hominem caussam orare leges non sinunt:
Neque testimonij dictio est. DE. mitto omnia: adde
Istuc: imprudens timuit adolescens: sino:
Tu seruus: uerum si cognata est maxume,
Non fuit necesse habere; sed, id quod lex iubet,
Dotem daretis; quæreret alium uirum.
Qua ratione inopem potius ducebat domum?
GE. Non ratio, uerum argentum deerat. DE. sumeret
Alicunde. GE. alicunde? nihil est dictu facilius.
DE. Postremo, si nullo alio pacto, uel fœnore.
GE. Hui, dixti pulchre, si quidem quisquam credet

Te uiuo. DE. non, non sic futurum est, non potest.
Ego ne illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?
Nihil suaue meritum est hominem commonstrarier,
Mihi istum uolo, aut, ubi habitet, demonstrarier.
GE. Nempe Phormionem. DE. istum patronum mulieris.
G. Iam faxo hic aderit. D. Antipho ubi nunc est? PH. foris.
DE. Abi Phaedria, eum require, atque adduce huc. PH. eo
Recta uia equidem illuc. GE. nempe ad Pamphilam. DE. at ego
Deos Penates hinc salutatum domum
Diuortor: inde ibo ad forum, atque aliquot mihi
Amicos aduocabo, ad hanc rem qui assient,
Vt ne imparatus sim, cum adueniet Phormio.

ACTVS SECVNDI SCENA I.

PHORMIO, GETA.

PH. ITA ne patris ais conspectũ ueritum hinc abiisse? GE. admodum.
PH. Phanium relictam solam? G. sic. PH. & iratum senem?
G. Opido. PH. ad te summa solum Phormio rerum redit:
Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum: accingere.
G. Obsecro te. P. si rogitabit. G. in te spes est. PH. ecce rem.
Quid si reddet? G. tu impulisti. PH. sic opinor. G. subueni.
PH. Cedo senem: iam instructa sunt mihi corde consilia omnia.
G. Quid ages? PH. quid uis? nisi ut maneat Phanium, atque ex crimine hoc
Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram deriuem senis?
G. O uir fortis, atque amicus: uerum hoc saepe Phormio

Vereor, ne istæc fortitudo in neruum erumpat denique.
P. ah,
Nō ita est: FACTVM est periclū, iā PEDVM uisa est uia.
Quot me censes homines iā deuerberasse usque ad necem
Hospites? tum ciues? quo magi' noui, tanto sæpius.
Cedo dum, en umquam iniuriam, audisti mi scriptam dicam?
G. Qui istuc? PH. quia NON RETE accipitri tenditur, neque miluio,
Qui male faciunt nobis: illis, qui nil faciunt, tenditur:
Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur.
Alijs aliunde est periclum, unde aliquid abradi potest:
Mihi sciunt nihil esse. dices, ducent damnatum domum:
Alere nolunt hominem edacem: & sapiunt mea quidem sententia,
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.
G. Non pote sati' pro merito ab illo tibi referri gratia.
P. Immo enim nemo sati' pro merito gratiam regi refert,
Tene asymbolum uenire, unctū, atque lautum e balneis,
Otiosum ab animo; cum ille & cura, & sumptu absumitur,
Dum tibi sit, quod placeat: ille ringitur, tu rideas:
Prior bibas, prior decumbas: cœna dubia apponitur?
C. Quid istuc uerbi est? PH. ubi tu dubites, quid sumas potissimum.
Hæc, quum rationem ineas, quam sint suauia, & quam cara sint;
Ea qui præbet, nō tu hūc habeas plane præsentem deum?
G. Senex adest. uide quid agas: prima coitio est acerrima:
Si eam sustinueris, post illa iam, ut lubet, ludas licet.

ACTVS SECVNDI SCENA III.

DEMIPHO, GETA, PHORMIO.

D. Numquam cuiquam contumeliosius
Audistis factam iniuriam, quā hæc est mihi?
Adeste quæso. G. iratus est. PH. quin tu hoc age:
Iam ego hunc agitabo. pro deum immortalium,
Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho?
Hanc Demipho negat esse cognatam? G. negat.
D. Ipsum esse opinor, de quo agebam. sequimini.
PH. Neque eius patrem se scire, qui fuerit? G. negat.
PH. Nec Stilphonem ipsum scire, qui fuerit? G. negat.
PH. Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,
Neglegitur ipsa: uide, AVARITIA quid facit.
G. Si herum insimulabis auaritiæ, male audies.
D. O audaciam; etiam me ultro accusatum aduenit.
PH. Nam iam adolescenti nihil est quod succenseam,
Si illum minus norat: quippe homo iam grandior,
Pauper, cui opera uita erat, ruri fere
Se continebat: ibi agrum de nostro patre
Colendum habebat: sæpe interea mihi senex
Narrabat, se hunc neglegere cognatum suum:
At quem uirum? quem ego uiderim in uita optumum.
G. Videas te, atque illum, ut narras. PH. abi in malā crucem:
Nam ni ita eum existumassem, numquam tam graues
Ob hanc inimicitias caperem in uostram familiam,
Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter.
G. Pergin' hero absenti male loqui impurissime?
PH. Dignum autem hoc illo est. G. ain' tandem carcer? D. Geta.
GE. Bonorum extortor, legum contortor. D. Geta.

PH.

PH. Responde. GE. quis homo est? ehem. D. tace. GE. absenti tibi
Te indignas seq; dignas contumelias
Numquam cessauit dicere hodie. D. ohe, desine.
Adolescens, primum abs te hoc bona uenia peto,
Si tibi placere potis est, mihi ut respondeas:
Quem amicum tuum ais fuisse istum, explana mihi,
Et qui cognatum me sibi esse diceret.
PH. Proinde expiscare, quasi non nosses. D. nossem. P. ita.
DE. Ego me nego: tu, qui ais, redige ad memoriam.
PH. Eho, tu sobrinum tuum non noras? D. enecas:
Dic nomen. PH. nomen? maxume. D. quid nunc taces?
P. Perij hercle, nomen perdidi. D. hem, quid ais? P. Geta,
Si meministi id quod olim dictum est, subijce. hem,
Non dico: quasi non noris, tentatum aduenis.
D. Egon' autem tento? G. Stilpho. PH. atque adeo, quid mea?
Stilpho est. D. quem dixti? PH. Stilphonem inquam nouerās?
D. Neque ego illum noram, neque mihi cognatus fuit
Quisquam isto nomine. PH. ita ne? non te horum pudet?
At si talentum rem reliquisset decem.
D. Dij tibi male faciant. PH. primus esses memoriter
Progeniem uostram usque ab auo atque atauo proferens.
D. Ita ut dicis. ego tum si aduenissem, qui mihi
Cognata ea esset, dicerem: itidem tu face:
Cedo, qui est cognata? G. heus noster, recte: heus tu caue.
PH. Dilucide expediui, quibus me oportuit
Iudicibus: tum, si id falsum fuerat, filius
Cur non refellit? D. filium narras mihi?

Cuius de stultitia dici, ut dignum est, non potest.
PH. At tu, qui sapiens es, magistratus adi,
Iudicium de eadem caussa iterum ut reddant tibi:
Quandoquidem solus regnas, & soli licet
Hic de eadem caussa bis iudicium adipiscier.
DE. Etsi facta mihi iniuria est, uerumtamen
Potius quam lites secter, aut quam te audiam,
Itidem ut cognata si sit, id quod lex iubet
Dotem dare, abduce hanc, minas quinque accipe.
PH. Ha, ha, hæ, homo suauis. DE. quid est? num iniquom postulo?
An ne hoc quidem ego adipiscar, quod ius publicum est?
PH. Ita ne tandem quæso, ciuem ubi abusu' sis,
Mercedem dare lex iubet ei, atque amittere; an,
Vt ne quid turpe ciuis in se admitteret
Propter egestatem, proxumo iussa est dari,
Vt cum uno ætatem degeret, quod tu uetas?
DE. Ita, proxumo quidem: at nos unde? aut quam ob rem? PH. ohe,
ACTVM, AIVNT, NE AGAS. DE. non agam? immo haud desinam,
Donec perfecero hoc. PH. ineptis. DE. sine modo.
PH. Postremo tecum nihil rei nobis Demipho est:
Tuus est damnatus gnatus, non tu: nam tua
Præterierat iam ducendi ætas. DE. omnia hæc
Illum putato, quæ ego nunc dico, dicere:
Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo domo.
GE. Iratus est. PH. tute idem melius feceris.
DE. Ita ne es paratus facere me aduorsum omnia
Infelix? PH. metuit hic nos, tametsi sedulo.

Dißimulat. GE. bene habent tibi principia. PH. quin, quod est
Ferundum, fers? tuis factis dignum feceris,
Vt amici inter nos simus. DE. egon' tum expertam
Amicitiam? aut te uisum, aut auditum uelim?
PH. Si concordabis cum illa, habebis, quæ tuam
Senectutem oblectet: respice ætatem tuam.
D. Te oblectet? tibi habe. PH. minue uero iram. D. hoc age:
Satis iam uerborum est: nisi tu properas mulierem
Abducere, ego illam eijciam: dixi Phormio.
PH: Si tu illam attigeris secus, quam dignum est liberam,
Dicam impingam tibi grandem: dixi Demipho.
Si quid opus fuerit, heus, domo me. GE. intellego.

ACTVS SECVNDI SCENA III.

DEMIPHO, GETA, HEGIO, CRATINVS, CRITO.

DE. QVANTA me cura, & solicitudine afficit
Gnatus, qui me, & se hisce impediuit nuptijs.
Neque mi conspectu prodit, ut saltem sciam.
Quid de hac re dicat, quid ue sit sententiæ.
Abi tu, uise redierit ne iam, an nondum, domum.
GE. Eo. DE. uidetis quo in loco res hæc siet:
Quid ago? dic Hegio. HE. ego Cratinum censeo,
Si tibi uidetur. DE. dic Cratine. CRA. me ne uis?
DE. Te. CRA. ego quæ in rem tuam sint, ea uelim facias. mihi
Sic hoc uidetur. quod te absente hic filius
Exit, restitui in integrum æquom est, & bonum:
Et id impetrabis. dixi. DE. dic nunc Hegio.
HE. Ego sedulo hunc dixisse credo: uerum ita est,

QVOT HOMINES, TOT SENTENTIAE: SVVS CVIQVE MOS.

Mihi non uidetur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse: & turpe inceptu est. D. dic Crito.
CRI. Ego amplius deliberandum censeo?
Res magna est. HE. numquid nos uis? DE. fecistis probe:
Incertior sum multo, quam dudum. GE. negant
Rediisse. DE. frater est exspectandus mihi: is
Quod mihi dederit de hac re consilium, id exsequar.
Percunctatum ibo ad portum, quoad se recipiat.
GE. At ego Antiphonem quæram, ut, quæ acta hic sunt, sciat.
Sed eccum ipsum uideo in tempore huc se recipere.

ACTVS TERTII SCENA I.

ANTIPHO, GETA.

AN. NIMVERO Antipho multimodis cum istoc animo uituperandus es.
Ita ne hinc abiisse, & uitam tutandam dedisse aliis tuam?
Alios tuā rem credidisti, quam te, animaduersuros magis?
Nam, ut ut erant alia, illi certe consuleres, quæ nunc tuæ est domi:
Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur mali:
Cuius nunc miseræ spes, opesq; sunt in te uno omnes sitæ.
GE. Equidem here nos iam dudum hic te absentem incusamus, qui abieris.
AN. Te ipsum quærebam. GE. sed ea caussa nihilo magis defecimus.
AN. Loquere obsecro, quonam in loco sunt res & fortunæ meæ?

Numquid patri subolet? GE. nil etiam. AN. ecquid spei
porro est? G. nescio. AN. ah.
GE. Nisi Phædria haud cessauit pro te eniti. AN. nihil fecit
noui.
GE. Tum Phormio itidem in hac re, ut in alijs, strenuum ho
minem præbuit.
AN. Quid is fecit? GE. confutauit uerbis admodum iratum
patrem.
AN. Heu Phormio. GE. ego, quod potui porro. AN. mi Ge
ta, omnes uos amo.
GE. Sic sese habent principia, ut dico: adhuc tranquilla
res est:
Mansurusq; patruum pater est, dum huc adueniat. AN.
quid eum? GE. aiebat,
De eius cõsilio uelle sese facere; quod ad hanc rem attinet.
AN. Quantus metus est mihi; uenire huc saluom nunc pa-
truum Geta:
Nam, ut audio, per unam eius aut uiuam, aut moriar
sententiam.
GE. Phædria tibi adest. AN. ubinam? GE. eccum a sua pa-
lestra exit foras.

ACTVS TERTII SCENA II.

PHAEDRIA, DORIO, ANTIPHO, GETA.

PH. DORIO, audi obsecro. DO. non audio. PH.
parumper. DO. quin omitte me.
PH. Audi, quod dicam. DO. at enim tædet iam au-
dire eadem millies.
PH. At nunc dicam, quod lubenter audias. DO. loquere,
audio.
PH. Nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc? quo nunc

abis?

DO. Mirabar, si tu mihi quidquam afferres noui.

AN. Hei, metuo lenonem, nequid suat suo capiti. GE. idem ego metuo.

PH. Non mihi credis? DO. hariolare. PH. sin fidem do. DO. fabulæ.

PH. Fœneratum istuc beneficium tibi pulchre dices. D. logi.

PH. Crede mihi, gaudebis facto: uerum hercle hoc est. DO. somnium.

PH. Experire, non est longum. DO cantilenam eandem canis.

PH. Tu mihi cognatus, tu amicus, tu parẽs. DO garris modo.

PH. Adeo ne ingenio esse duro te, atque inexorabili,
Vt neque misericordia, neque precibus molliri queas?

DO. Adeon' te esse incogitantem atque impudentem Phædria,
Vt phaleratis dictis ducas me & meam ductes gratis?

AN. Miseritum est. PH. hei ueris uincor. GE. quam similis uterque est sui?

PH. Heque, alia Amtipho cũ occupatus esset sollicitudine,
Tum esse hoc mi obiectum malum? AN. ah, quid istuc autem est Phædria?

PH. O fortunatissime Antipho. AN. ego ne? PH. qui quod amas, domi est;
Nec cum huiu' modi umquam usus uenit ut conflictares malo.

AN. Mihi domi est? immo, quod aiunt, AVRIBVS TENEO LVPVM:
Nam neque, ut amittam a me, inuenio: neque, uti retineam, scio.

DO. Ipsum istuc mihi in hoc est. A. eia, ne parum leno sies.
Nam quid hic confecit? PH. hiccine? quod homo inhu-

manißimus:
Pamphilam meam uendidit. GE. quid? uendidit? AN. ain' uendidit?
PH. Vendidit. DO. quam indignum facinus, ancillam ære emptam suo.
PH. Nequeo exorare, ut maneat, & illo cum ut mutet fidem,
Triduum hoc, dum id, quod est promissum, ab amicis argentum aufero.
Si non tum dedero, unam præterea horam ne oppertus sies.
DO. Obtundis. AN. haud longum est quod orat, Dorio: exoret, sine:
Idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicauerit.
DO. Verba istæc sunt. AN. Pamphilam ne hac urbe priuari sines?
Tum tu præterea harum amorem distrahi poterin' pati?
DO. Neque ego, neque tu. GE. dij tibi omnes id, quod est dignum, duint.
DO. Ego te complures aduorsum ingenium meum menses tuli
Pollicitantem, & nil ferentẽ, flentem: nunc contra, omnia
Repperi, qui det, neque lacrumet: da locum melioribus.
A. Certe hercle, satis si commemini, tibi quidem est olim dies,
Quam ad dares huic, præstituta. PH. factum. DO. num ego istuc nego?
AN. Iam ne ea præterijt? DO. non uerum ei hæc antecessit. AN. non pudet
Vanitatis? DO. minime, dum ob rem. GE. sterquiliniũ. PH. Dorio,
Ita ne tandem facere oportet? DO. sic sum: si placeo, utere.

AN. Siccine hunc decipis? DO. immo enimuero Antipho, hic me decipit:

Nam hic me huiusmodi scibat esse: ego hunc esse aliter credidi.

Iste me fefellit: ego isti nihilo sum aliter, ac fui.

Sed ut ut hæc sunt, tamen hoc faciam. cras mane argentum mihi

Miles se dare dixit: si mihi prior tu attuleris Phædria,

Mea lege utar, ut prior sit, qui potior ad dandũ est. Vale.

ACTVS TERTII SCENA III.

PHAEDRIA, ANTIPHO, GETA.

PH. QVID faciam? unde ego nunc tam subito huic argentum inueniam miser,

Cui minu' nihilo est? quod si hic potuisset nunc exorarier

Triduum, hoc promissum fuerat. AN. ita ne hunc patiemur Geta,

Fieri miserum, qui me dudum, ut dixti, adiuuerit comiter?

Quid, cum opus est, beneficium rursum ei experimur reddere?

GE. Scio equidem hoc esse æquom. AN. age ergo, solus seruare hunc potes.

GE. Quid faciam? AN. inuenias argentum. GE. cupio: sed, id unde, edoce.

AN. Pater adest hic. GE. scio: sed quid tum? AN. ah, dictum sapienti sat est.

GE. Ita ne? AN. ita. G. sane hercle pulchre suades: etiam tu hinc abis?

Non triumpho, ex nuptijs tuis si nil nanciscor mali,

Ni etiam nunc me huius quærere caussa in malo iubeas

crucem?
AM. Verum hic dicit. PH. quid? ego uobis Geta, alienus sum?
GE. haud puto:
Sed parum ne est, omnibu', quod nunc nobis succēset senex,
Ni instigemus etiā, ut nullus locu' relinquatur preci?
PH. Alius ab oculis meis illam ignotum abducet locum?
Hem, dum igitur licet, dum'q; adsum, loquimini mecum Antipho:
Contemplamini me. AN. quamobrem? aut quidnam facturus? cedo.
PH. Quoquo hinc asportabitur terrarū, certum est persequi,
Aut perire. GE. dij bene uortant, quod agas: pedetentim tamen.
AN. Vide, si quid opis potes afferre huic. GE. si quid? quid?
AN. quære obsecro,
Ne quid plus minus ue faxit, quod nos post pigeat, Geta.
GE. Quæro: saluos est, ut opinor: uerū enim metuo malum.
AE. Noli metuere: una tecum bona, mala tolerabimus.
GE. Quantum argenti opus est tibi? loquere. PH. solæ triginta minæ.
GE. Triginta? hui, percara est Phædria. PH. istæc uero uilis est.
GE. Age, age, inuentas reddam. PH. o lepidum caput. G. aufer te hinc. PH. iam opus est.
GE. Iam feres. sed opu' est mihi Phormionem adiutorem ad rem hanc dari,
AN. Præsto est: audacissime oneris quiduis impone, & feret:
SOLVS EST HOMO AMICO AMICVS.
G. eamus ergo ad eum ocyus.
PH. Abi uero: dic, præsto ut sit domi,

AN. Numquid est, quod mea opera uobis opu' sit? GE. nil: uerum abi domum, &

Illam miseram, quam ego nunc intus scio esse exanimatã metu,

Consolare: cessas? A. nihil est, æque quod faciam lubens.

PH. Qua uia istuc facies? GE. dicam in itinere: modo te hinc moue.

ACTVS QVARTI SCENA I.

DEMIPHO, CHREMES.

DE. QVID? qua profectus caussa hinc es Lemnum Chremes,

Adduxtin' tecum filiam? CH. non. DE. quid ita non?

CH. Postquam uidet me eius mater hic esse diutius,

Simul autem non manebat ætas uirginis

Meam neglegentiam: ipsam cum omni familia ad

Me profectam esse aiebant. DE. quid illic tam diu

Quæso igitur commorabare, ubi id audiueras?

CH. Pol me detinuit morbus. D. unde? aut qui? C. rogas?

SENECTVS IPSA EST MORBVS: sed uenisse eas

Saluas audiui ex nauta, qui illas uexerat.

DE. Quid gnato obtigerit me absente, audistin' Chreme?

CH. Quod quidem me factum consilij incertum facit:

Nam hanc condicionem si cui tulero extraneo,

Quo pacto, aut unde mihi sit, dicendum ordine est.

Te mihi fidelem esse æque, atque egomet sum mihi,

Scibam: ille si me alienus affinem uolet,

Tacebit, dum intercedet familiaritas:

Sin spreuerit me; plus, quam opus est, scito, sciet:

Vereorque, ne uxor aliqua hoc resciscat mea.

Quod si sit, ut me excutiam, atque egrediar domo,
Id restat: nam ego meorum solus sum meus.

DE. Scio ita esse, & istæc mihi res solicitudini est:
Neque defetiscar umquam adeo experirier,
Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero.

ACTVS QVARTI SCENA II.

GETA.

EGO hominem callidiorem uidi neminem,
Quam Phormionem. uenio ad hominem, ut dicerem
Argento opus esse, & id quo pacto fieret:
Vix dum dimidium dixeram, intellexerat:
Gaudebat: me laudabat: quærebat senem:
Dijs gratias agebat, tempus sibi dari,
Vbi Phædriæ se ostenderet nihilo minus
Amicum esse, quam Antiphoni. hominem ad forum
Iussi opperiri: eo me esse adducturum senem.
Sed eccum: quis est ulterior? at at at Phædriæ
Pater uenit: quid pertimui autem bellua?
An quia, quos fallam, pro uno duo sunt mihi dati?
Commodius esse opinor duplici spe utier.
Petam hinc, unde à primo institui: is si dat, sat est.
Si ab hoc nil fiat, tum hunc adoriar hospitem.

ACTVS QVARTI SCENA III.

ANTIPHO, GETA, CHREMES, DEMIPHO.

AN. EXSPECTO, quã mox recipiat sese Geta.
Sed patruum cum patre uideo adstantem. hei mihi.
Quam timeo, aduentus huius quo impellat patrem.

GE. Adibo hosce: o noster Chremes. CH. salue Geta.
GE. Venire saluom uolupe est. CH. credo. G. quid agitur?
CH. Multa aduenienti, ut fit, noua hic compluria.
GE. Ita de Antiphone audistin' quæ facta? CH. omnia.
GE. Tun' dixeras huic? facinus indignum Chreme,
Sic circumiri. D. cum hoc id agebam commodum.
GE. Nam hercle ego quoque id quidem mecum agitans sedulo,
Inueni, opinor, remedium huic rei. D. quid Geta?
Quod remedium? G. ut abij abs te, fit forte obuiam
Mihi Phormio. CH. qui Phormio? GE. is, qui istanc. CH. scio.
GE. Visum est mihi, ut eius tentarem sententiam.
Prendo hominem solum: cur non, inquam, Phormio
Vides, inter uos sic hæc potius cum bona
Vt componantur gratia, quam cum mala?
Heru' liberalis est, & fugitans litium:
Nam ceteri quidem hercle amici omnes modo
Vno ore auctores fuere, ut præcipitem hanc daret.
A. Quid hic cœptat? aut quo euadet hodie? G. an legibus
Daturum pœnas dices, si illam eiecerit?
Iam id exploratum est: eia, sudabis satis,
Si cum illo inceptas homine: ea eloquentia est.
Verum pone esse uictum eum: at tandem tamen
Non capitis eius res agitur, sed pecuniæ.
Postquam hominem his uerbis sentio mollirier,
Soli sumus nunc, inquam, hic. eho dic, quid uelis dari
Tibi in manum, ut herus his desistat litibus,
Hæc hinc facessat, tu molestus ne sies?
AN. Satin' illi dij sunt propitij? GE. nam sat scio,

Si tu aliquam partem æqui boniq; dixeris,
Vt ille est bonus uir, tria non commutabitis
Verba hodie inter uos. D. quis te istæc iußit loqui?
CH. Immo non potuit melius peruenirier
Eo, quo nos uolumus. A. occidi. CH. perge eloqui.
G. At primo homo insanibat. CH. cedo, quid postulat?
GE. Quid? nimium: quantũ libuit. CH. dic. GE. si quis daret
Talentum magnum. CH. immo malũ hercle: ut nil pudet.
G. Quod dixi adeo ei: quæso, quid si filiam
Suam unicam locaret? parui rettulit
Non suscepisse: inuenta est, quæ dotem petat.
Vt ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias:
Hæc denique eius fuit postrema oratio:
Ego, inquit, iam à principio amici filiam,
Ita ut æquom fuerat, uolui uxorem ducere:
Nam mihi ueniebat in mentem eiu' incommodum
In seruitutem pauperem ad ditem dari:
Sed mihi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler,
Aliquantulum quæ afferret, qui dissoluerem
Quæ debeo: & etiam nunc, si uolt Demipho
Dare, quantum ab hac accipio, quæ sponsa est mihi,
Nullam mihi malim, quam istanc, uxorem dari.
AN. Vtrum stultitia facere ego hunc, an malitia
Dicam, scientem, an imprudentem, incertu' sum.
D. Quid, si animam debet? G. ager opposítu'st pignori ob
Decem minas, inquit. D. age age, iam ducat: dabo.
GE. Aediculæ item sub ob decem alias. D. hoi hui,
Nimium est. CH. ne clama: petito hasce a me decem.
GE. Vxori emunda ancillula: tum autem pluscula
Supellectile opus est, opu' sumptu ad nuptias:

His rebus pone ſane, inquit, decem minas.
DE. Sexcenta proin potius ſcribito iam mihi dicas:
Nil do: impuratus me ille ut etiam irrideat?
CH. Quæſo, ego dabo, quieſce: tu modo filius
Fac ut illam ducat, nos quam uolumus. A. hei mihi
Geta, occidiſti me tuis fallacijs.
CH. Mea cauſſa eijcitur: me hoc æquom'eſt amittere.
GE. Quantum potes, me certiorem, inquit, face,
Si illam dant, hanc ut mittam, ne incertus ſiem:
Nam illi mihi dotem iam conſtituerunt dare.
CH. Iam accipiet: illis repudium renunciet:
Hanc ducat. DE. quæ quidem illi res uortat male.
CH. Opportune adeo nunc mecum argentum attuli,
Fructum, quem Lemni uxoris reddunt prædia:
Id ſumam: uxori, tibi opus eſſe, dixero.

ACTVS QVARTI SCENA IV.

ANTIPHO, GETA.

A. GETA. GE. hem. AN. quid egiſti? GE. emunxi argento ſenes.
A. Satin' eſt id? GE. neſcio hercle: tantum iuſſus ſum.
A. Eho uerbero, aliud mihi reſpondes, ac rogo?
G. Quid ergo narras? A. quid ergo narrem? opera tua ad
Reſtim mihi quidem res redijt planiſſume:
Vt te quidem omnes dij, deæque, ſuperi, inferi
Malis exemplis perdant. hem, ſi quid uelis,
Huic mandes, qui te ad ſcopulum e tranquillo inferat.
Quid minus utile fuit, quam hoc ulcus tangere,
Aut nominare uxorem? iniecta eſt ſpes patri,
Poſſe illam extrudi. cedo, nunc porro Phormio

Dotem si accipiet, uxor ducenda est domum:
Quid fiet? G. enim non ducet. AN. noui: ceterum
Cum argentum repetent, nostra caussa scilicet
In neruom potius ibit. G. nihil est Antipho,
Quin male narrando poßit deprauarier.
Tu id, quod boni est, excerpis: dicis, quod mali est.
Audi nunc contra iam. si argentum acceperit,
Ducenda est uxor, ut ais: concedo tibi:
Spatium quidem tandem apparandis nuptijs,
Vocandi, sacrificandi dabitur paullulum:
Interea amici, quod polliciti sunt, dabunt:
Id ille istis reddet. AN. quamobrem? aut quid dicet? G. rogas?
Quot res? post illa, monstra euenerunt mihi:
Introijt in aedes ater alienus canis.
Anguis per impluuium decidit de tegulis:
Gallina cecinit: interdixit hariolus,
Haruspex uetuit ante brumam aliquid noui
Negoti incipere; quae caussa est iustißima.
Haec fient. AN. ut modo fiant. G. fient: me uide.
Pater exit: abi, dic, esse argentum, Phaedriae.

ACTVS QVARTI SCENA V.

DEMIPHO, GETA, CHREMES.

D. QVIETVS esto inquam: ego curabo, ne quid uerborum duint.
Hoc temere numquam amittam ego a me, quin mihi testes adhibeam,
Cum dem: &, quamobrem dem, commemorabo. G. ut cautus est, ubi nil opu'st.
CH. Atqui ita opus est facto: at matura, dum lubido ea-

dem hæc manet:
Nam si altera illa magis instabit, forsitan nos reiciat.
D. Rem ipsam putasti. D. duc me ad eum ergo. G. non moror. CH. ubi hoc egeris,
Transito ad uxorem meam, ut conueniat hanc prius, quam hinc abit.
Dicat eam dare nos Phormioni nuptum, ne succenseat;
Et magis esse illum idoneum, qui ipsi sit familiarior;
Nos nostro officio nihil egressos esse; quantum is uoluerit,
Datum esse dotis. D. quid, malum, tua id refert? C. magni Demipho.
D. Non sat, tuum officium te fecisse, si non id fama approbat?
CH. Volo ipsius quoque uoluntate hoc fieri, ne se eiectã putet.
D. Idem ego istuc facere possum. CH. mulier mulieri magis congruet.
D. Rogabo. CH. ubi nunc illas ego reperire poßim, cogito.

ACTVS QVINCTI SCENA I.

SOPHRONA, CHREMES.

S. QVID agam? quem amicum iueniam mihi misera? aut cui consilia
Hæc referam? aut unde nunc mihi auxilium petam? nam uereor,
Hera ne ob meum suasum indigne iniuria afficiatur:
Ita patrem adolescẽtis facta hæc tolerare audio uiolenter.
CH. Nam quæ hæc est anus exanimata, a fratre quæ egressa est meo?
SO. Quod ut facerem, me egestas impulit; cum scirem infirmas
Hasce esse nuptias; ut id consulerem, interea uita
Vt in tuto foret. CH. certe ædepol, nisi me animus fallit

Aut parum oculi prospiciunt, meæ nutricem gnatæ
uideo.
SO. Neque ille inuestigatur. CH. quid agam? SO. qui est eiu'
pater. CH. adeon',
An maneo, dum ea, quæ loquitur, magis cognosco? SO.
quod si eum nunc
Reperire poßim, nihil est, quod uerear. CH. ea ipsa est.
colloquar.
SO. Quis hic loquitur? CH. Sophrona. S. & meum nomen
nominat? CH. ad me respice.
SO. Dij obsecro uos: est ne hic Stilpho? CH. non. SO. negas?
CH. Concede hinc paullulum a foribus istorsum sodes So-
phrona.
Ne me istoc posthac nomine appellaßis. SO. quid? non is
obsecro es,
Quem semper te esse dictitasti? CH. st. SO. quid has me
tuis fores?
CH. Conclusam hic habeo uxorem sæuam: uerum istoc de
nomine
Eo perperam olim dixi, ne uos forte imprudentes foris
Effutiretis, atque id porro aliqua uxor mea resciceret.
SO. Hem istoc pol nos te hic inuenire miseræ numquam po-
tuimus.
CH. Eho dic mihi, quid tibi rei est cum familia hac, unde
exis? aut ubi
Illæ sunt? SO. miseram me. CH. hem quid est? uiuunt
ne. SO. uiuit gnata.
Matrem ipsam ex ægritudine miseram mors consecuta est.
CH. Male factum. SO. ego autem, quæ essem anus deserta,
egens, ignota,

Vt potui uirginem nuptum locaui huic adolescenti,
Harum qui est dominus ædium. CH. Antiphoni ne? S. hem isti ipsi. CH. quid?
Duas ne is uxores habet? SO. au obsecro, unam ille quidem hanc solam.
CH. Quid illa altera, quæ dicitur cognata? SO. hæc ergo est. CH. quid ais?
SO. Composito est factũ, quo modo hanc amans habere posset
Sine dote. C. dij uostram fidem, quam sæpe forte temere
Eueniunt, quæ non audeas optare offendi adueniens,
Quicum uolebam, atque ut uolebam, collocatam filiam.
Quod nos ambo opere maxumo dabamus operã, ut fieret,
Sine nostra cura maxuma, sua cura hæc sola fecit.
S. Nunc quid facto est opus, uide. pater adolescentis uenit,
Eumq; animo iniquo hoc opido ferre aiunt. C. nihil periculi est.
Sed per deos atque homines, meam esse hanc, caue resciscat quisquam
S. Nemo ex me scibit. C. sequere me: intus cetera audies.

ACTVS QVINCTI SCENA II.

DEMIPHO, GETA.

D. NOSTRAPTE culpa facimus, ut malos expediat esse,
Dum nimium dici nos bonos studemus & benignos.
Ita fugias, ne præter casam, aiunt. non ne id satis erat,
Accipere ab illo iniuriam? etiam argentum est ultro obiectum ei,
Vt sit qui uiuat, dum aliquid aliud flagitij conficiat.
G. Planißume. D. his nũc præmiũ est, qui recta praua faciũt.

G. Verissime. D. ut stultissime quidem illi rem gesserimus.

G. Modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat.

D. Etiam ne id dubium est? G. haud scio hercle, ut homo est, an mutet animum.

D. Hem, mutet autem? G. nescio: uerum, si forte, dico.

D. Ita faciam, ut frater censuit; uxorem huc eiu' adducam, Cum ista ut loquatur. abi Geta: prænuncia hanc uenturam.

G. Argentum inuentum est Phædriæ: de iurgio siletur: Prouisum est, ne in præsentia hæc hinc abeat: quid nunc porro?
Quid fiet? in eodem luto hæsitas: uorsuram soluis Geta: præsens quod fuerat malum, in diem abijt: plagæ crescunt,
Nisi prospicis. nunc hinc domum ibo, ac Phanium edocebo,
Ne quid uereatur Phormionem, aut eiu' orationem.

ACTVS QVINCTI SCENA III.

DEMIPHO, NAVSISTRATA, CHREMES.

DE. AGEDVM, ut soles Nausistrata, fac illa ut placetur nobis;
Vt sua uoluntate id, quod est faciundum, faciat.
NA. faciam.

DE. Pariter nūc opera me adiuues, ac dudum re opitulata es.

NA. Factum uolo: ac pol queo minu' uiri culpa, quam me dignum est.

DE. Quid autem? NA. quia pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur: nam ex ijs prædijs talenta argenti bina

Capiebat ſtatim. hem, uir uiro quid præſtat. DE. bina quæſo?

NA. Ac rebus uilioribu' multo, tamen talenta bina. D. hui.

NA. Quid hæc uidentur? DE. ſcilicet. NA. uirum me na tam uelim:

Ego oſtenderem. DE. certe ſcio. NA. quo pacto. DE. par ce ſodes,

Vt poßis cum illa; ne te adoleſcens mulier defatiget.

NA. Faciam, ut iubes: ſed meum uirum abs te exire uideo. CH. hem Demipho,

Iam illi datum eſt argentum? DE. curaui illico. CH. nol lem datum:

Hei, uideo uxorem: pene plus, quam ſat erat. DE. cur nolles Chreme?

CH. Iam recte. D. quid tu? ecquid locutus cum iſta es, quam obrem hanc ducimus?

CH. Tranſegi. D. quid ait tandem? CH. adduci non poteſt. D. quid non poteſt?

CH. Quia uterque utrique eſt cordi. D. quid iſtuc noſtra? CH. magni. præter hæc,

Cognatam comperi eſſe nobis. DE. quid? deliras? CH. ſic erit:

Non temere dico: redi mecum in memoriam. CH. ſati' ne ſanus es?

NA. Au, obſecro uide, ne in cognatam pecces. DE. non eſt. CH. ne nega:

Patri' nomen aliud dictum eſt: hoc tu errasti. D. non no- rat patrem?

CH. Norat. D. cur aliud dixit? CH. numquam hodie conce- des mihi, neque

Intelliges? D. si tu nil narres. CH. pergis? NA. miror quid hoc siet.
DE. Equidem hercle nescio. CH. uin' scire? at ita me seruet Iuppiter,
Vt propior illi, quam ego sum, ac tu, nemo est homo. D. dij uostram fidem:
Eamus ad ipsam una omnes nos: aut scire, aut nescire hoc uolo. CH. ah.
D. Quid est? CH. ita ne paruam mihi fidem esse apud te? D. uin' me credere?
Vin' satis quæsitum mihi istuc esse? age fiat. quid illa filia
Amici nostri, quid futurum est? CH. recte. D. hanc igitur mittimus?
CH. Quid ni? D. illa maneat? CH. sic. D. ire igitur tibi licet Nausistrata.
NA. Sic pol commodius esse in omnes arbitror, quam ut cœperas,
Manere hanc: nam perliberalis uisa est, cum uidi, mihi.
D. Quid istuc negotij est? CH. iam ne operuit ostium? D. iam. CH. o Iuppiter.
Dij nos respiciunt: gnatam inueni nuptam cum tuo filio. D. hem,
Quo pacto id potuit? CH. non satis tutus est ad narrandum hic locus.
DE. At tu intro abi. CH. heus, ne filij nostri quidem hoc rescifcant, uolo.

ACTVS QVINCTI SCENA IV.

ANTIPHO.

AN. L AETVS sum, ut ut meæ res sese habent, fratri obtigisse quod uolt.

Quam ſcitum eſt, eiuſmodi parare in animo cupiditates,
Quas, cum res aduerſæ fient, paullo mederi poßis.
Hic ſimul argentum repperit, cura ſeſe expediuit:
Ego nullo poſſum remedio me euoluere ex his turbis,
Quin, ſi hoc celetur, in metu; ſin patefit, in probro ſim.
Neque me domum nunc reciperem, ni mihi eſſet ſpes oſtēſa
Huiuſce habendæ. ſed ubinam Getam inuenire poſſum, ut
Rogem quod tempus cōueniēdi patris me capere iubeat?

ACTVS QVINCTI SCENA V.

PHORMIO, ANTIPHO.

PH. ARGENTVM accepi, tradidi lenoni: abduxi mulierem:
Curaui, propria ea Phædria ut potiretur: nam emiſſa eſt manu:
Nunc una res mihi etiam reſtat, quæ eſt conficiunda, otiū
A ſenibus ad potandum ut habeam: nam aliquot hos ſumam dies.
AN. Sed Phormio eſt: quid ais? PH. quid? AN. quidnam nunc facturus Phædria?
Quo pacto ſatietatem amoris ait ſe uelle ſumere?
PH. Vicißim partes tuas acturus eſt. AN. quas? PH. ut fugitet patrem:
Tu ſuā rogauit rurſum ut ageres caußā, ut pro ſe diceret:
Nam potaturus eſt apud me: ego me ire ſenibus Sunium
Dicam ad mercatum, ancillulam emptam, quam dudum dixit Geta;
Ne, cum hic non uideant me, conficere credant argentum ſuum.
Sed oſtium concrepuit abs te. AN. uide, quis egreditur.
PH. Geta eſt.

ACTVS QVINCTI SCENA VI.

GETA, ANTIPHO, PHORMIO.

GE. O FORTVNA, o fors fortuna, quantis commoditatibus,
Quam subito hero meo Antiphoni ope uostra hunc onerastis diem?

AN. Quidnam hic sibi uolt? GE. nosq; amicos eiu' exonerastis metu?
Sed ego nũc mihi cesso, qui nõ humerũ hunc onero pallio;
Atque hominem propero inuenire, ut, hæc, quæ contigerint, sciat?

AN. Num tu intellegi', quid hic narret? PH. num tu? AN. nil. PH. tantundem ego.

GE. Ad lenonem hinc ire pergam: ibi nunc sunt. AN. heus Geta. GE. hem tibi.
Num mirum, aut nouum est, reuocari, cursum cum institueris? AN. Geta.

GE. Pergit: hercle numquam tu tuo odio uinces me. AN. non manes?

GE. Vapulabis. curialis uernula est, qui me uocat.

AN. Id tibi quidem iam fiet, nisi resistis, uerbero.

GE. Familiariorem oportet esse hunc, qui minitat malum:
Sed is ne est, quem quæro, an non? ipsu' est. PH. congredere actutum. AN. quid est?

GE. O omnium, quantum est, qui uiuant, hominum homo honoratissime:
Nam sine controuersia a dijs solus diligere Antipho.

AN. Ita uelim: sed qui istuc credam ita esse, mihi dici uelim.

GE. Satin' est, si te delibutum gaudio reddo? AN. enecas.

PH. Quin tu hinc pollicitationes aufer, &, quod fers, ce-

do. GE. oh,

Tu quoque hic aderas Phormio? PH. aderam: sed cessas? GE. accipe, hem.

Vt modo argentum dedimus tibi apud forum, recta domũ

Sumu' profecti: interea mittit herus me ad uxorem tuam.

AN. Quamobrem? GE. omitto proloqui: nam nihil ad hanc rem est, Antipho.

Vbi in gynæceum ire occipio, puer ad me accurrit Mida:

Pone apprehendit pallio, resupinat: respicio: rogo.

Quamobrem retineat me: ait esse uetitum intro ad heram accedere:

Sophrona modo fratrem huc, inquit, senis introduxit Chremem,

Eumq; nunc esse intus cũ illis. hoc ubi ego audiui, ad fores

Suspenso gradu placide ire perrexi: accessi: astiti:

Animam compressi: aurem admoui: ita animum cœpi attendere,

Hoc modo sermonem captans. AN. euge Geta. GE. hic pulcherrimum

Facinus audiui: itaq; pene hercle exclamaui gaudio.

PH. Quod? GE. quodnam arbitrare? AN. nescio. GE. atqui mirificissimum:

Patruus tuus est pater inuentus Phanio uxori tuæ. AN. hem,

Quid ais? GE. cum eiu' olim consueuit matre in Lemno clanculum.

PH. Somnium: utin' hæc ignoraret suum patrem? GE. aliquid credito.

Phormio esse caussæ: sed me censen' potuisse omnia

Intellegere extra ostium, intus quæ inter sese ipsi egerint?

PH. Atque hercle ego quoque illam audiui fabulam. GE. immo etiam dabo,
Quo magi' credas. patruus interea inde huc egreditur foras:
Haud multo post cum patre idem recipit se intro denuo:
Ait uterque tibi potestatem eius habendæ se dare:
Denique ego sum missus, te ut requirerem, atque adducerem.
AN. Hem, quin ergo? rape me: cessas? GE. fecero. AM. o mi Phormio
Vale. PH. uale Antipho: bene, ita me dij ament, factum: & gaudeo.
PH. Tantam fortunam de improuiso esse his datam?
Summa eludendi occasio est mihi nunc senes,
Et Phædriæ curam adimere argentariam,
Ne cuiquam suorum æqualium supplex siet:
Nam idem hoc argentum ita ut datum est ingratijs,
His datum erit: hoc qui cogam, re ipsa repperi.
Nunc gestus mihi, uoltus'q; est capiundus nouus.
Sed hinc concedam in angiportum hunc proxumum:
Inde hisce ostendam me, ubi erunt egressi foras:
Quo me assimularam ire ad mercatum, non eo.

ACTVS QVINCTI SCENA VII.

DEMIPHO, PHORMIO, CHREMES.

DE. DIIS magnas merito gratias habeo, atque ago,
Quando euenere hæc nobis frater prospere.
Quantum potest, nunc conueniendus Phormio est,
Priusquam dilapidet nostras triginta minas,
Vt auferamus. PH. Demiphonem, si domi est,

Visam: ut quod. DE. at nos ad te ibamus Phormio.

PH. De eadem hac fortasse caussa? DE. ita hercle. PH. credidi.

Quid ad me ibatis? ridiculum: an ueremini,
Ne non id facerem, quod recepissem semel?
Heus, quanta quanta hæc mea paupertas est, tamen
Adhuc curaui unum hoc quidem, ut mi esset fides.

CH. Est ne ea ita, ut dixi, liberalis? DE. opido.

PH. Itaque ad uos uenio nunciatum Demipho,
Paratum me esse: ubi uoltis, uxorem date.
Nam omnes posthabui mihi res, ita uti par fuit,
Postquam, tantopere id uos uelle, animum aduorteram.

DE. At hic dehortatus est me, ne illam tibi darem:
Nam qui rumore & populi, inquit; sed id feceris?
Olim cum honeste potuit, tum non est data:
Nunc uiduam extrudi, turpe est: ferme eadem omnia:
Quæ tute dudum coram me incusaueras.

PH. Satin' superbe illuditis me? DE. qui? PH. rogas?
Quia ne alteram quidem illam potero ducere.
Nam quo redibo ore ad eam, quam contempserim?

CH. Tum autem Antiphonem uideo ab sese amittere
Inuitum eam, inque. DE. tum autem uideo filium
Inuitum sane mulierem ab se amittere.
Sed transi sodes ad forum, atque illud mihi
Argentum iube rursum rescribi Phormio.

PH. Quod? næ ego perscripsi porro illis, quibu' debui.

DE. Quid igitur fiet? PH. si uis mihi uxorem dare,
Quam despondisti, ducam: sin est, ut uelis
Manere apud te illam, hic dos maneat Demipho:
Nam non est æquom me propter uos decipi;

Cum ego uostri honoris caussa repudium alteri
Remiserim, quæ tantundem dotis dabat.
DE. I hinc in malam rem cum istac magnificentia
Fugitiue: etiam credis te ignorarier,
Aut tua facta adeo? P. irritor. D. tu ne hanc duceres,
Si tibi data esset? PH. fac periclum. DE. ut filius
Cum illa habitet apud te, hoc uostrum consilium fuit.
PH. Quæso, quid narras? D. quin tu mihi argentum cedo.
PH. Immo uero tu uxorem cedo. DE. in ius ambula.
PH. In ius? enimuero si porro esse odiosi pergitis.
DE. Quid facies? PH. ego ne? uos me indotatis modo
Patrocinari fortasse arbitramini:
Etiam dotatis soleo. CH. quid id nostra? PH. nihil.
Hic quandam moram, cuius uir uxorem. CH. hem. DE. quid est?
PH. Lemni habuit aliam. CH. nullus sum. PH. ex qua filiam
Suscepit: & eam clam educat. CH. sepultu' sum.
PH. Hæc adeo ego illi iam denarrabo. CH. obsecro,
Ne facias. PH. oh, tun' is eras? DE. ut ludos facit.
CH. Missum te facimus. PH. fabulæ. CH. quid uis tibi?
Argentum quod habes, condonamus te. PH. audio:
Quid uos, malum, ergo me sic ludificamini
Inepti uostra puerili sententia?
Nolo, uolo: uolo, nolo rursum: cedo, cape:
Quod dictum, indictum est: quod modo erat ratum, irritum est.
CH. Quod pacto, aut unde hæc hic resciuit? DE. nescio,
Nisi, me dixisse memini, id certo scio.
CH. Monstri, ita me dij ament, simile. PH. inieci scrupulum.
DE. hem,

Hiccine ut à nobis hoc tantum argenti auferat,
Tam aperte irridens? emori hercle satius est:
Animo uirili, præsentiq; ut sis, para.
Vides tuum peccatum esse elatum foras,
Neque iam id celare posse te uxorem tuam:
Nunc quod ipsa ex alijs auditura sit Chreme,
Id nosmet indicare placabilius est.
Tum hunc impuratum poterimus nostro modo
Vlcisci. PH. at at, nisi mihi prospicio, hæreo:
Hi gladiatorio animo ad me affectant uiam.
CH. At uereor, ut placari poßit. DE. bono animo es:
Ego redigam uos in gratiam, hoc fretus Chreme,
Cum e medio exceßit, unde hæc suscepta est tibi.
PH. Ita ne mecum agitis? satis astute aggredimini:
Non hercle ex re istiu' me instigasti Demipho.
An tu, ubi peregre, tibi quod lubitum fuit, feceris,
Neque huius sis ueritus feminæ primariæ,
Nouo modo ei quin faceres contumelias;
Venias nunc precibus lautum peccatum tuum?
Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo,
Vt ne restinguas, lacrumis si exstillaueris.
DE. Malum, quod isti dij, deæq; omnes duint.
Tanta ne affectum hominem quemquam esse audacia?
Non ne hoc publicitus scelus hinc deportarier
In solas terras? CH. in id redactus sum loci,
Vt nesciam prorsus, quid agam cum illo. DE. ego scio:
In ius eamus. PH. in ius? huc, si quid lubet.
DE. Assequere, ac retine, dum huc ego seruos euoco.
CH. Enim solu' nequeo: accurre huc. P. una iniuria est
Tecum. CH. lege agito ergo. PH. altera est tecum Chreme.

DE. Rape hunc. PH. ita ne agitis? enimuero uoce est opus.
Nausistrata exi. CH. os opprime. DE. impurum uide,
Quantum ualet. PH. Nausistrata inquam. CH. non taces.
PH. Taceam? DE. ni sequitur, pugnos in uentrem ingere.
PH. Vel oculum exculpe: est, ubi uos ulciscar probe.

ACTVS QVINCTI SCENA VIII.

NAVSISTRATA, CHREMES, PHORMIO, DEMIPHO.

NA. QVI nominat me? CH. hem. NA. quid istuc turbæ est obsecro
Mi uir? PH. hem quid nunc obticuisti? NA. quis hic homo est?
Non mihi respondes? PH. hiccine ut respondeat?
Qui hercle, ubi sit, nescit. CH. caue isti quidquam credas.
PH. Abi: tange: si non totus friget, me eneca.
CH. Nihil est. NA. quid ergo est? quid istic narrat? PH. iam scies:
Ausculta. CH. pergin' credere? NA. quid ego obsecro,
Huic credam, qui nil dixit? PH. delirat miser
Timore. NA. non pol temere est, quod tu tam times.
CH. Ego timeo? PH. recte sane: quando nihil times,
Et hoc nihil est, quod dico ego, tu narra. DE. scelus,
Tibi narret? PH. eho tu, factum est abs te sedulo
Pro fratre. NA. mi uir non mihi narras? CH. at. NA. quid at?
C. Non opus est dicto. P. tibi quidem: at scito huic opu'st.
In Lemno. CH. hem quid ais? DE. non taces? PH. clam te. CH. hei mihi.
PH. Vxorem duxit. NA. mi homo, dij melius duint.
PH. Sic factum est. NA. perij misera. PH. & inde filiam

Suſcepit iam unam, dum tu dormis. CH. quid agimus?
NA. Pro dij immortales, facinus indignum, & malum.
PH. Hoc actum eſt. NA. an quidquam hodie eſt factum indignius?
Qui mi, ubi ad uxores uentum eſt, tum fiunt ſenes.
Demipho, te appello: nam me cum hoc ipſo diſtædet loqui.
Hæccine erant itiones crebræ, & manſiones diutinæ
Lemni? hæccine erat, quæ noſtros fructus minuebat, uilitas?
DE. Ego Nauſiſtrata eſſe in hac re culpam meritam non nego,
Sed eam, quæ ſit ignoſcenda. PH. uerba fiunt mortuo.
DE. Nam neque neglegentia tua, neque odio id fecit tuo.
Vinolentus fere ab hinc annos quindecim mulierculam
Eam compreſſit, unde hæc nata eſt, neque poſt illa umquam attigit.
Ea mortem obijt: e medio abijt: qui fit in re hac ſcrupulus?
Quam ob rem te oro, ut alia facta tua ſunt, æquo animo hoc feras.
NA. Quid ego æquo animo? cupio miſera in hac re iam defungier.
Sed quid ſperem? ætate porro minus peccaturum putem?
Iam tum erat ſenex, ſenectus ſi uerecundos facit.
An mea forma, atque ætas nunc magis expetenda eſt Demipho?
Quid mihi affers, quam ob rem exſpectem, aut ſperem porro non fore?
P. Exſequias Chremeti, quibus commodum ire, hem tempus eſt.
Sic dabo: age age nunc, Phormionem, qui uolet, laceſſito:

Faxo tali eum mactatum, atque hic est, infortunio.
Redeat sane in gratiam: iam supplicij satis est mihi.
Habet hæc, ei quod, dum uiuat, usque ad aurem obganniat.
NA. At meo merito credo. quid ego nunc commemorem Demipho
Singillatim, malis in istum fuerim? DE. noui æque omnia
Tecum. NA. meriton' meo hoc uidetur factum? DE. minime gentium:
Verũ, quando iam accusando fieri infectum non potest,
Ignosce: orat, confitetur, purgat: quod uis amplius?
PH. Enimuero, prius quam hæc dat ueniam, mihi prospiciam, & Phædriæ.
Heus Nausistrata, prius quam huic respondes temere, audi. NA. quid est?
PH. Ego minas triginta ab isto per fallaciam abstuli.
Eas dedi tuo gnato. is pro sua amica lenoni dedit.
C. Hem quid ais? NA. adeon' indignum tibi uidetur, filius
Homo adolescens unã si habet amicum? tu uxores duas.
Nil pudere? quo ore illum obiurgabis? responde mihi.
DE. Faciet, ut uoles. NA. immo, ut iam scias meam sententiam,
Neque ego ignosco, neque promitto quidquam, neque respondeo,
Prius quam gnatum uideo: eius iudicio permitto omnia: is
Quod iubebit, faciam. PH. mulier sapiens es Nausistrata.
NA. Satin' est id tibi? PH. immo uero pulchre discedo, & probe,

Et præter spem? NA. tu tuum nomen dic quod est. PH. min'? Phormio,
Vestræ familiæ hercle amicus, & tuo summus Phædriæ.
NA. Phormio, at ego æcastor posthac tibi, quod potero, & quæ uoles,
Faciamq́;, & dicam. PH. benigne dicis. NA. pol meritũ est tuum.
PH. Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam Nausistrata,
Et quod tuo uiro oculi doleant? NA. cupio. PH. me ad cœnam uoca.
NA. Pol uero uoco. DE. eamus intro hinc. NA. fiat: sed ubi est Phædria,
Iudex noster? PH. iam hic faxo aderit. Vos ualete, & plaudite.

FABVLAE INTERLOCVTORES.

Philotis	meretrix,
Syra	anus,
Parmeno	seruus,
Laches	senex,
Sostrata	mulier,
Phidippus	senex,
Pamphilus	adolescens,
Myrrhina	mulier,
Sosia	seruus
Bacchis	meretrix.

TERENTII HECYRA.

Acta ludis Romanis Sex. Iulio Cæs. Cn. Cornelio Dolabella Aedil. Cur. non est peracta tota. Modos fecit Flaccus Claudii. Tibiis parilib. Cn. Octauio, T. Manlio Coss. Relata est iterũ ludis Funebribus. Relata est Tertio Q. Fuluio, L. Marcio ædilibus Curulibus.

C. SVLPITII APOLLINARIS PERIOCHA.

VXOREM duxit Pamphilus Philumenam,
Cui quondam ignorans uirgini uitium obtulit:
Eiusq́;, per uim quem detraxit, annulum
Dederat amicæ Bacchidi meretriculæ:
Dein profectus in Imbrum est: nuptam haud attigit.
Hanc mater utero grauidam, ne id sciat socrus,
Vt ægram ad se transfert: reuertit Pamphilus:
Deprehendit partum: celat: uxorem tamen
Recipere non uolt. pater incusat Bacchidis
Amorem. dum se purgat Bacchis, annulum
Mater uitiatæ forte agnoscit Myrrhina.
Vxorem recipit Pamphilus cum filio.

PROLOGVS.

HECYRA est huic nomen fabulæ. hæc cum data
Est noua, nouum interuenit uitium, & calamitas,
Vt neque spectari, neque cognosci potuerit:

Ita populus studio stupidus in funambulo
Animum occuparat. nunc hæc plane est pro noua:
Et is, qui scripsit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum poßit uendere.
Alias cognostis eius: quæso hanc noscite.
Orator ad uos uenio ornatu prologi.
Sinite exorator sim, eodem ut iure uti senem
Liceat, quo iure sum usus adolescentior,
Nouas qui exactas feci, ut inueterascerent,
Ne cum poeta scriptura euanesceret.
In his, quas primum Cæcilij didici nouas,
Partim sum earum exactus, partim uix steti.
Quia scibam dubiam fortunam esse scenicam,
Spe incerta, certum mihi laborem sustuli.
Easdem agere cœpi, ut ab eodem alias discerem
Nouas studiose, ne illum ab studio abducerem.
Perfeci, ut spectarentur. ubi sunt cognitæ,
Placitæ sunt. ita poetam restitui in locum,
Prope iam remotum iniuria aduorsarium
Ab studio, atque ab labore, atque ab arte musica.
Quod si scripturam spreuissem in præsentia, &
In deterrendo uoluissem operam sumere,
Vt in otio esset, potius quam in negotio:
Deterruissem facile, ne alias scriberet.
Nunc quid petam, mea caussa, æquo animo attendite.
Hecyram ad uos refero, quam mihi per silentium
Nũquam agere licitum est, ita eam oppreßit calamitas.
Eam calamitatem uostra intellegentia
Sedabit, si erit adiutrix nostræ industriæ,
Cum primum eam agere cœpi, pugillum gloria,

Funambuli eodem acceßit exſpectatio:
Comitum conuentus, ſtudium, clamor mulierum
Fecere, ut ante tempus exirem foras.
Vetere in noua cœpi uti conſuetudine,
In experiundo ut eſſem: refero denuo;
Primo actu placeo: cum interea rumor uenit,
Datum iri gladiatores: populus conuolat:
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco:
Interea ego meum non potui tutari locum.
Nunc turba nulla eſt: otium, & ſilentium eſt:
Agendi tempus mihi datum eſt: uobis datur
Poteſtas condecorandi ludos ſcenicos.
Nolite ſinere per uos artem muſicam
Recidere ad paucos: facite, ut uoſtra auctoritas,
Meæ auctoritati fautrix, adiutrixq́; ſit.
Si numquam auare ſtatui pretium arti meæ,
Et eum eſſe quæſtum in animum induxi maxumum,
Quammaxume ſeruire uoſtris commodis:
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium ſuum, & ſe in uoſtram commiſit fidem,
Ne eum circumuentum inique iniqui irrideant.
Mea cauſſa cauſſam hanc accipite, & ſilentium
Date; ut lubeat ſcribere alijs, mihiq́; ut diſcere
Nouas expediat, poſthac pretio emptas meo.

ACTVS PRIMI SCENA I.

PHILOTIS, SYRA.

PH. ER pol quam paucos reperias meretricibus
P Fideles euenire amatores, Syra.
Vel hic Pamphilus iurabat quoties Bacchidi,
Quam ſancte, ut quiuis facile poſſet credere,

Numquam illa uiua ducturum uxorem domum:
Hem duxit. SY. ergo propterea te sedulo
Et moneo, & hortor, ne cuiusquam misereat
Quin spolies, mutiles, laceres, quemquem nacta sis.
PH. Vtin' eximium neminem habeam? SY. neminem:
Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te uenit,
Quin ita paret sese, abs te ut blanditijs suis
Quam minimo pretio suam uoluptatem expleat.
Hiscine tu amabo non contra insidiabere?
PH. Tamen eandem pol esse omnibus, iniurium est.
SY. Iniurium est autem ulcisci aduorsarios?
Aut qua uia captent te illi, eadem ipsos capi?
Eheu me miseram, cur non aut istæc mihi
Aetas & forma est, aut tibi hæc sententia?

ACTVS PRIMI SCENA II.

PARMENO, PHILOTIS, SYRA.

PA. SENEX si quæret me, modo isse dicito
Ad portum percontatum aduentũ Pamphili.
Audin', quid dicam, Scirte? si quæret me, uti
Tum dicas: si non quæret, nullus dixeris;
Alias ut uti poßim caussa hac integra.
Sed uideon' ego Philotium? unde hæc aduenit?
Philotis, salue multum. PH. o salue Parmeno.
SY. Salue mecastor Parmeno. PA. & tu ædepol Syra.
Dic mihi Philoti, ubi te oblectasti tam diu?
PH. Minime me equidem oblectaui, quæ cum milite
Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo:
Biennium ibi perpetuum misera illum tuli.
PA. Aedepol te desiderium Athenarum arbitror
Philotium cepisse sæpe, & te tuum

Consilium contempsisse. PH. non dici potest,
Quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite,
Vosq; hic uidendi, antiqua ut consuetudine
Agitarem inter uos libere conuiuium:
Nam illi haud licebat nisi præfinito loqui
Quæ illi placerent. PA. haud opinor commode
Finem statuisse orationi militem.
PH. Sed quid negoti hoc? modo quæ narrauit mihi
Hic intus Bacchis? quod ego numquam credidi
Fore, ut ille hac uiua posset animum inducere
Vxorem habere. PA. habere autem? PH. eho tu, an non habet?
PA. Habet, sed firmæ hæ uereor ut sint nuptiæ.
PH. Ita dij deæq; faxint, si in rem est Bacchidis.
Sed qui istuc credam ita esse? dic mihi Parmeno.
PA. Nunc est opus prolato: hoc percontarier
Desiste. PH. nempe ea caussa, ut ne id fiat palam.
Ita me dij bene ament haud propterea te rogo, ut
Hoc proferam, sed tacita ut mecum gaudeam.
PA. Numquam dices tam commode, ut tergum meum
Tuam in fidem committam. PH. ah noli Parmeno:
Quasi non tu multo malis narrare hoc mihi,
Quam ego, quæ perconter, scire. PA. uera hæc prædicat:
Et mi illud uitium maxumum est. si mihi fidem
Das te tacituram, dicam. PH. ad ingenium redis.
Fidem do, loquere. PA. ausculta. PH. istic sum. PA. hanc Bacchidem
Amabat, ut cum maxume, tum Pamphilus,
Cum pater, uxorem ut ducat, orare occipit:

Et hæc, communia omnium quæ sunt patrum,
Senem se dicere esse, illum autem esse unicum
Præsidium uelle se senectuti suæ.
Ille primo se negare: sed postquam acrius
Pater instat, fecit animi ut incertus foret,
Pudorin', an ne amori obsequeretur magis,
Tundendo, atque odio denique effecit senex:
Despondit gnatam ei huius uicini proxumi.
Vsque illud uisum est Pamphilo neutiquam graue,
Donec iam in ipsis nuptijs. postquam uidet
Paratas, nec moram ullam, quin ducat, dari:
Ibi demum ita ægre tulit, ut ipsam Bacchidem,
Si adesset, credo ibi eius commiseresceret.
Vbicumque datum erat spatium solitudinis,
Vt colloqui mecum una posset: Parmeno
Perij, quid ego egi? in quod me conieci malum?
Non potero hoc ferre Parmeno: perij miser.
PH. At te dij deæq; perdunt cum isto odio Laches.
PA. Ad pauca ut redeam, uxorem deducit domum:
Nocte illa prima uirginem non attigit:
Quæ consecuta est nox, eam nihilo magis.
PH. Quid ais? cum uirgine una adolescens cubuerit,
Plus potus, illa se abstinere ut potuerit?
Non uerisimile dicis: nec uerum arbitror.
PA. Credo ita uideri tibi. nam nemo ad te uenit,
Nisi cupiens tui: ille inuitus illam duxerat.
PH. Quid deinde fit? PA. diebus sane pauculis
Post Pamphilus me solum seducit foras.
Narratq; ut uirgo a se integra etiam tum siet,
Seq; ante, eam quam uxorem duxisset domum,

Sperasse eas tolerare posse nuptias.
Sed quam decrerim me non posse diutius
Habere, eam ludibri haberi Parmeno.
Quin integram itidem reddam, ut accepi a suis
Neque honestum mihi, neque utile ipsi uirgini est.
PH. Pium, ac pudicum ingenium narras Pamphili.
PA. Hoc ego proferre, incommodum esse mihi arbitror:
Reddi patri autem, cui tu nihil dicas uiti,
Superbum est: sed illam spero, ubi hoc cognouerit.
Non posse se mecum esse, abituram denique.
PH. Quid interea? ibat ne ab Bacchidem? PA. quotidie.
Sed, ut fit, postquam hunc alienum ab sese uidet,
Maligna multo, & magis procax facta illico est.
PH. Non æpol mirum. PA. atqui ea res multo maxume
Disiunxit illum ab illa, postquam, & ipse se,
Et illam, & hanc, quæ domi erat, cognouit satis,
Ad exemplum ambarum mores earum æstimans.
Hæc, ita uti liberali esse ingenio decet,
Pudens, modesta, incommoda, atque iniurias
Viri omnes ferre, & tegere contumelias.
Hic animus partim uxoris misericordia
Deuictus, partim uictus huiu' iniuria,
Paullatim elapsu'st Bacchidi, atque huic transtulit
Amorem, postquam par ingenium nactus est.
Interea in Imbro moritur cognatus senex
Horum, ea ad hos redibat lege hereditas.
Eo amantem inuitum Pamphilum extrudit pater,
Reliquit cum matre hic uxorem: nam senex
Rus abdidit se: huc raro in urbem commeat.
PH. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiæ?

PA. Nunc audies. primum dies complusculos
Bene conueniebat sane inter eas: interim
Miris modis odisse cœpit Sostratam,
Neque lites ullæ inter eas: postulatio
Numquam. PH. quid igitur? PA. si quando ad eam accesserat
Confabulatum, fugere e conspectu illico,
Videre nolle. denique, ubi non quit pati,
Simulat se a matre accersi ad rem diuinam, abit.
Vbi ibi est dies complures, accersi iubet.
Dixere caussam tunc nescio quam: iterum iubet.
Nemo remisit. postquam accersunt sæpius,
Aegram esse simulant mulierem. nostra illico
It uisere ad eam: admisit nemo. hoc ubi senex
Resciuit, heri ea caussa rure aduenit huc,
Patrem continuo conuenit Philumenæ.
Quid egerint inter se, nondum etiam scio:
Nisi sane curæ est, quorsum euenturum hoc siet:
Habes omnem rem: pergam quo cœpi hoc iter.
PH. Et quidem ego: nam constitui cum quodam hospite
Me esse illum conuenturam. PA. dij uortant bene
Quod agas PH. Vale. PA. & tu bene uale Philotium.

ACTVS SECVNDI SCENA I.

LACHES, SOSTRATA.

LA. PRO deum atque hominum fidem, quod hoc genus est, quæ hæc coniuratio,
Vt omnes mulieres eadem æque studeant, nolintq; omnia?
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio ullam reperias:

Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus: uiris
Esse aduorsas, æque studium est, similis est pertinacia.
In eodem omnes mihi uidentur ludo doctæ ad malitiam: &
Ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse satis certo scio.
SO. Miseram, quæ nunc, quamobrem accuser, nescio. LA. hem
Tu nescis? SO. non, ita me dij bene ament, mi Laches:
Itaq; una inter nos agere ætatem liceat. LA. dij mala prohibeant.
SO. Me'q; abs te immerito esse accusatam, post modo rescisces. LA. scio:
Te immerito? an quidquam proistis factis dignum te dici potest,
Quæ me, & te, & familiam dedecoras, filio luctũ paras?
Tum autem, ex amicis inimici ut sint nobis affines, facis;
Qui illum decrerunt dignum, suos cui liberos committerent;
Tu sola exorere, quæ perturbas hæc tua impudentia.
SO. Ego ne? LA. tu inquam mulier, quæ me omnino lapidem, haud hominem, putas.
An, quia ruri esse crebro soleo, nescire arbitramini,
Quo quisque pacto hic uitam uostrorum exigat?
Multo melius, hic quæ fiunt, quam illi. ubi sum assidue, scio:
Ideo quia, uti uos mihi domi eritis, proinde ego ero foris.
Iampridem equidem audiui cœpisse odium tui Philumenam,
Minime'q; adeo mirum: &, ni id fecisset, magi' mirum foret.

Sed non credidi adeo, ut etiam totam hanc odisset domum:
Quod si scissem, illa hic maneret potius, tu hinc isses foras.
At uide, quam immerito ægritudo hæc oritur mi abs te, Sostrata.
Rus habitatum abij, concedens uobis, & rei seruiens,
Sumptus uestros, otiumq; ut nostra res posset pati,
Meo labori haud parcens, præter æquom, atque ætatem meam,
Non te pro his curasse rebus, ne quid ægre esset mihi?
SO. Non mea opera, neque pol culpa euenit. L. immo maxume.
Sola hic fuisti: in te omnis hæret culpa sola, Sostrata.
Quæ hic erant, curares, cũ ego uos solui curis ceteris,
Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet;
Illius dices culpa factum. S. haud equidem dico, mi Laches.
LA. Gaudeo (ita me dij ament) gnati caussa: nam de te quidem,
Satis scio, peccando detrimenti nil fieri potest.
S. Qui scis, an ea caussa mi uir me odisse assimulauerit,
Vt cum matre una plus esset? LA. quid ais? non signi sat est,
Quod heri nemo uoluit uisentem te ad eam intromittere?
S. Enim lassam opido tum aiebant: eo ad eã non admissa sum.
L. Tuos esse illi mores morbum magis, quam ullam aliam rem arbitror:
Et merito adeo: nam uostrarum nulla est, quin gnatum uelit
Ducere uxorem: & quæ uobis placita condicio est, datur:
Vbi duxere impulsu uostro, uostro impulsu eadem exigũt.

ACTVS SEDVNDI SCENA II.

PHIDIPPVS, LACHES, SOSTRATA.

PH. ETSI scio Philumena, meum ius esse, ut te cogam,

Quæ ego imperem, facere: ego tamen patrio animo uictus faciam

Vt tibi concedam, neque tuæ libidini aduorsabor.

L. Atque eccum Phidippum optume uideo: ex hoc iam scibo, quid sit.

Phidippe, esse ego meis omnibus scio me apprime obsequentem:

Sed non adeo, ut facilitas mea illorum corrumpat animos.

Quod si tu idem faceres, magis in rem & nostram, & uostram id esset.

Nunc uideo in illarum potestate esse te. PH. eia uero.

L. Adij te heri de filia: ut ueni, itidem incertum amisti.

Haud ita decet, si perpetuam uis esse affinitatem hanc,

Celare te iras. si quid est peccatum a nobis, profer:

Aut ea, refellendo, aut purgando uobis, corrigemus,

Te iudice ipso. sin ea est caussa retinendi apud uos,

Quia ægra est: te mi iniuriam facere arbitror, Phidippe,

Si metuis, satis ut meæ domi curetur diligenter.

At, ita me dij ament, haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es,

Vt tu illam saluam magis uelis, quam ego: id adeo gnati caussa,

Quem ego intellexi illam haud minus, quam se ipsum, magnifacere,

Neque adeo me clam est, quam esse eum grauiter laturum credam,

Hoc si rescierit. eo, domum studeo hæc prius, quam ille huc redeat.

PH. Laches, & diligentiam uostram, & benignitatem
Noui: &, quæ dicis, omnia esse ut dicis, animum induco:
Et te hoc mihi cupio credere: illam ad uos redire studeo,
Si facere poßim ullo modo. LA. quæ res te facere id prohibet?
Eho, numquidnam accusat uirum? PH. minime: nã postquam attendi
Magis, & ui cœpi cogere ut rediret, sancte adiurat
Non posse apud uos Pamphilo se absente perdurare.
Aliud fortasse alijs uitij est: leni ego animo sum natus:
Non possum aduorsari meis. L. hem Sostrata. SO. heu me miseram.

L. Certum est istuc? PH. nunc quidem, ut uidetur: sed numquid uis?
Nam est, quod me transire ad forum iam oportet. L. eo tecum una.

ACTVS SECVNDI SCENA III.

SOSTRATA.

S. AE DEPOL næ nos æque sumus omnes inuisæ uiris,
Propter paucas; quæ omne, faciunt dignæ ut uideamur malo.
Nam, ita me ament di, quod me accusat nunc uir, sum extra noxiam.
Sed non facile est expurgatu: ita animum induxerunt, socrus
Omnes esse iniquas. haud pol me equidem: nam numquã secus

Habui illam, ac si ex me esset nata: nec, qui hoc mi eueniat, scio.

Nisi pol filium multimodis iam exspecto ut redeat domum.

ACTVS TERTII SCENA I.

PAMPHILVS, PARMENO, MYRRHINA.

PA. NEMINI ego plura acerba esse ex amore homini umquam oblata credo,

Quam mi. heu me infelicem, hanccine ego uitã parsi perdere?

Haccine ego caussa eram tantopere cupidus redeundi domum?

Cui quanto fuerat præstabilius, ubiuis gentium ætatem agere,

Quam huc redire? atque, hæc ita esse, miserum me resciscere?

Nam nos omnes, quibus aliunde aliquis obiectus est labos,

Omne quod est interea tempus, prius quam id rescitum est, lucro est.

PAR. At sic, citius qui te expedias his ærumnis, reperies.

Si non rediisses, hæ iræ factæ essent multo ampliores:

Sed nunc aduentum tuum ambas Pamphile, scio reuerituras.

Rem cognosces, iram expedies: restitues rursum in gratiam.

Leuia sunt hæc, quæ tu pergrauia esse in animum induxti tuum.

PAM. Quid consolare me? an quisquam usquam gentium est æque miser?

Prius quam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum:

Iam in hac re ut taceam, cuiuis facile scitu quam fuerim miser:

Tamen numquam ausus sum recusare eam, quam mi obtrudit pater.

Vix me illinc abstraxi, atque impeditum in ea expediui animum meum:

Vix'q; huc contuleram, hem noua res orta est, porro ab hac quæ me abstrahat.

Tum matrem ex ea re me aut uxorem in culpa inuenturũ arbitror:

Quod cum ita esse inuenero, quid restat, nisi porro ut fiã miser?

Nam matris ferre iniurias me Parmeno, pietas iubet:

Tum uxori obnoxius sum: ita olim suo me ingenio pertulit,

Tot meas iniurias quæ numquam in ullo patefecit loco.

Sed magnum nescio quid necesse est euenisse Parmeno,

Vnde ira inter eas intercesßit, quæ tam permansit diu.

PAR. Hoc quidem hercle paruum est: si uis uero ueram rationem exsequi,

Non maxumas, quæ maxumæ sunt interdum iræ, iniurias

Faciunt: nam sæpe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,

Cum de eadem caussa est iracundus factus inimicisßimus.

Pueri inter sese quam pro leuibus noxijs iras gerunt?

Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.

Itidem mulieres sunt ferme, ut pueri, leui sententia:
Fortasse unum aliquod uerbum hanc inter eas iram conciuerit.

PAM. Abi Parmeno intro, ac me uenisse nuncia. PAR. hem quid hoc? PAM. tace.
Trepidari sentio, cursari rursum prorsum: agedũ ad fores
Accede propius. PAR. hem, sensistin'? PAM. noli fabularier.
Pro Iuppiter, audio clamorem. PAR. tute loqueris, me uetas?

M. Tace obsecro mea gnata. PAM. matris uox uisa est Philumenæ.
Nullus sum. PAR. qui dum? PAM. perij. PAR. quamobrem? PAM. nescio quod magnum malum
Profecto Parmeno me celas. PAR. uxorem Philumenam
Pauitare nescio quid, dixerunt: id si forte est, nescio.

PAM. Interij: cur mihi id non dixti? PAR. quia non poteram una omnia.

PAM. Quid morbi est? PAR. nescio. PAM. quid? nemo ne medicum adduxit? PAR. nescio.

PAM. Cesso hinc ire intro, ut hoc quamprimum quidquid est, certum sciam?
Quonam modo Philumena mea nunc te offendam affectam?
Nam si periculum ullum in te est, perijsse me una haud dubium est.

PAR. Non usus facto est mihi nunc, hunc intro sequi.
Nam inuisos omnes nos esse illis sentio:
Here nemo uoluit Sostratam intro admittere.
Si forte morbus amplior factus siet,

Quod ſane nolim, maxume heri cauſſa mei:
Seruom illico introiiſſe dicent Soſtratæ,
Aliquid tuliſſe comminiſcentur mali
Capiti, atque ætati illorum, morbus qui auctu' ſit:
Hera in crimen ueniet, ego in magnum malum.

ACTVS TERTII SCENA II.

SOSTRATA, PARMENO, PAMPHILVS.

SO. NESCIO quid iamdudum hic audio tumultuari miſera:
Male metuo, ne Philumenæ magi' morbus aggraueſcat:
Quod te Aeſculapi, & te Salus, ne quid ſit huius, oro.
Nunc ad eam uiſam. PAR. heus Soſtrata. S. ehem. PAR. iterum iſtinc excludere.
SO. Ehem Parmeno, tu ne hic eras? perii, quid faciam miſera?
Non uiſam uxorem Pamphili, cum in proxumo hic ſit ægra?
PAR. Non uiſas, nec mittas quidem uiſendi cauſſa quemquam.
Nam qui amat cui odio ipſus eſt, bis facere ſtulte duco:
Laborem inanem ipſus capit, & illi moleſtiam affert.
Tum autẽ filius tuus introiit uidere, ut uenit, quid agat.
SO. Quid ais? an uenit Pamphilus? PAR. uenit. SO. diis gratiam habeo.
Hem, iſtoc uerbo animus mihi rediit, & cura ex corde exceßit.
PAR. Iam ea te cauſſa maxume huc nunc introire nolo:
Nam ſi remittent quippiam Philumena dolores,
Omnem rem narrabit, ſcio, continuo ſola ſoli,

Quæ

Quæ inter uos interuenit, unde ortũ est initium iræ.
Atque eccum uideo ipsum egredi: quam tristi'st. SO. o mi gnate.
PAM. Mea mater. salue. SO. gaudeo uenisse saluom. saluan' Philumena est? PAM. meliuscule est. SO. utinam istuc ita dij faxint.
Quid tu igitur lacrumas? aut quid es tam tristis? PAM. recte mater.
SO. Quid fuit tumulti: dic mihi: an dolor repẽte inuasit?
PAM. Ita factum est. SO. quid morbi est? PAM. febris. SO. quotidiana? PAM. ita aiunt.
I sodes intro, consequar iam te mea mater. SO. fiat.
PAM. Tu pueris curre Parmeno obuiam, atque his onera adiuta.
PAR. Quid? non sciunt illi ipsi uiam, domum qua redeant? PAM. cessas?

ACTVS TERTII SCENA III.

PAMPHILVS.

PAM. NEQVEO mearum rerum initium ullum inuenire idoneum,
Vnde exordiar narrare, quæ nec opinanti accidunt,
Partim quæ perspexi his oculis, partim quæ accepi auribus:
Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.
Nam modo me intro ut corripui timidus, alio suspicans
Morbo me uisurum affectam, ac sensi esse, uxorem: hei mihi,
Postquam me adspexere ancillæ aduenisse, illico omnes simul

Lætæ exclamant, uenit, id quod me repente adſpexerant.
Sed continuo uoltum earum ſenſi immutari omnium,
Quia tam incommode illis fors obtulerat aduentum meũ.
Forte una illarum interea propere præcurrit, nuncians
Me ueniſſe: ego eius uidendi cupidus recta conſequor.
Poſteaquam introij, exemplo eius morbum cognoui miſer.
Nam neque, ut celari poſſet, tempus ſpatium ullum dabat:
Neque uoce alia, ac res monebat, ipſa poterat conqueri.
Poſtquam adſpexi, o facinus indignum inquam: & corripui illico
Me inde, lacrumans, incredibili re, atque atroci percitus.
Mater conſequitur: iam ut limen exirem, ad genua accidit,
Lacrumans miſera: miſeritum eſt, profecto hoc ſic eſt, ut puto.
Omnibus nobis ut res dant ſeſe, ita magni atque humiles ſumus.
Hanc habere orationem mecum a principio inſtitit:
O mi Pamphile, abs te quamobrem hæc abierit, cauſſam uides:
Nam uitium eſt oblatum uirgini olim ab neſcio quo improbo:
Nunc huc confugit, te atque alios partum ut celaret ſuũ.
Sed cum orata eius reminiſcor, nequeo quin lacrumem miſer.
Quæq; fors fortuna eſt, inquit, nobis quæ te hodie obtulit,
Per eam te obſecramus ambæ, ſi ius, ſi fas eſt, uti
Aduorſa eius per te tecta tacitaq; apud omnes ſient:
Si nũquam erga te animo eſſe amico ſenſiſti, eã mi Pãphile.

Sine labore hanc gratiam, te uti sibi des pro illa nunc rogat:
Ceterum de redducenda id fac, quod in rem sit tuam.
Parturire eam, neque grauidam esse ex te, solus conscius:
Nam aiunt tecum post duobus concubuisse eam mensibus:
Tum, postquam ad te uenit, mensis hic agitur iam septimus:
Quod te scire, ipsa indicat res. nunc si potis est Pamphile,
Maxume uolo, doq; operam, aut clam partus eueniat patrem,
Atque adeo omnes. sed si fieri id non potest, quin sentiant,
Dicam abortũ esse, scio nemini aliter suspectum fore,
Quin, quod uerisimile est, ex te recte eum natum putent.
Continuo exponetur: hic tibi nihil est quidquam incommodi: &
Illi miseræ indigne factam iniuriam contexeris.
Pollicitus sum, & seruare in eo certum est, quod dixi, fidem.
Nam de redducenda, id uero neutiquam honestum esse arbitror.
Nec faciam: etsi amor me grauiter, consuetudoq; tenet.
Lacrumo, quæ posthac futura est uita, cum in mentem uenit,
Solitudoq;, o fortuna, ut nunquam perpetuo es bona.
Sed iam prior amor me ad hanc rem exercitatum reddidit.
Quem ego consilio missum feci, idem nũc operã huic dabo.
Adest Parmeno cum pueris: hunc minime est opus
In hac re adesse: nam olim soli credidi,
Ea me abstinuisse in principio, cum data est:
Vereor, si clamorem eiu' hic crebro exaudiat,

Ne parturire eam intellegat: aliquo mihi est
Hinc ablegandus, dum parit Philumena.

ACTVS TERTII SCENA IV.

PARMENO, SOSIA, PAMPHILVS.

PAR. IN' tu tibi hoc incommodum euenisse iter?
SO. A Non hercle Parmeno uerbis dici potest
Tantum, quam re ipsa nauigare incommodum est.
PAR. Ita ne est? SO. o fortunate, nescis quid mali
Præterieris, qui numquam es ingressus mare.
Nam, alias ut omittam miserias, unam hanc uide:
Dies triginta, aut plus eo, in naui fui,
Cum interea semper mortem expectabam miser:
Ita usque aduorsa tempestate usi sumus.
PAR. Odiosum. SO. haud clam me est: denique hercle aufugerim
Potius, quam redeam, si eo mi redeundum sciam.
PAR. Olim quidem te caussæ impellebant leues,
Quod nunc minitare facere, ut faceres Sosia.
Sed Pamphilum ipsum uideo stare ante ostium:
Ite intro: ego hunc adibo, si quid me uelit.
Here, etiam tu hic stas? PAM. equidem te exspecto. PAR. quid est?
PAM. In arcem transcurso opus est. PAR. cui homini? PAM. tibi.
PAR. In arcem? quid eo? PAM. Callidemidem hospitem
Myconium, qui mecum una aduectu'st, conueni.
PAR. Perij: uouisse hunc dicam, si saluos domum
Redijsset umquam, ut me ambulando rumperet.
PAM. Quid cessas? PAR. quid uis dicam? an conueniā modo?

PAM. Immo, quod constitui me hodie conuenturum eum,
Non posse, ne me frustra ille expectet: uola.
PAR. At non noui hominis faciem. PAM. at faciam, ut noueris:
Magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius.
PAR. Cadauerosa facies; dij illum perduint.
Quid, si non ueniet? maneam ne usque ad uesperum?
PAM. Maneto: curre. PAR. non queo: ita defessu' sum.
PAM. Ille abijt. quid agam infœlix? prorsus nescio
Quo pacto hoc celem, quod me orauit Murrhina,
Suæ gnatæ partum: nam me miseret mulieris:
Quod potero faciam: tamen ut pietatem colam:
Nam me parenti potius, quam amori, obsequi
Oportet. at at at eccum Phidippum, & patrem
Video: horsum pergunt. quid dicam hisce, incertu' sum.

ACTVS TERTII SCENA V.

LACHES, PHIDIPPVS, PAMPHILVS.

LA. DIXTIN' dudum, dixisse illam se exspectare filium?
PH. Factum. LA. uenisse aiunt: redeat. PAM. quam caussam dicam patri,
Quamobrem non reducam, nescio. LA. quem ego hic audiui loqui?
PAM. Certum obfirmare est uiam me, quam decreui persequi.
LA. Ipsus est, de quo hoc agebam tecum. PAM. salue mi pater.
LA. Gnate mi, salue. PH. bene factum te aduenisse Pāphile,
Atque adeo, quod maxumum est, saluum atque ualidum.
PAM. creditur.

LA. Aduenis modo? PAM. admodum. LA. cedo, quid reli quit Phania
Consobrinus noster? PH. sane hercle homo uoluptati ob sequens
Fuit, dum uixit: & qui sic sunt, haud multum hæredem adiuuant.
Sibi uero hanc laudem reliquit: uixit, dum uixit, bene.
LA. Tum tu igitur nihil attulisti huc plus una sententia?
PAM. Quidquid est id quod reliquit, profuit. LA. immo obfuit:
Nam illum uiuom, & saluom uellem. PH. impune optare istuc licet.
Ille reuiuiscet iam numquam: & tamen, utrũ malis scio.
LA. Heri Philumenam ad se accersi hic iußit. dic iußisse te.
PH. Noli fodere. iußi. LA. sed iam eam remittet. PH. scilicet.
PAN. Omnem rem scio, ut sit gesta: aduenien audiui omnia. LA. at
Istos inuidos dij perdant, qui hac libenter nunciant.
PAM. Ego me scio cauisse, ne ulla merito contumelia
Fieri a uobis posset: id'q; si nunc memorare hic uelim.
Quam fideli animo & benigno in illam & clementi fui,
Vere possim; ni te ex ipsa id magi' uelim rescíscere:
Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides,
Cum illa, quæ nunc in me iniqua est, æqua de me dixerit.
Neque culpa hoc mea euenisse dißidium, id testor deos.
Sed quando sese indignam deputat matri meæ,
Cui concedat, cuius mores toleret sua modestia;
Neque alio pacto potest componi inter eas gratia:
Segreganda aut mater a me est Philippe, aut Philumena.
Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi.

L. Pamphile, ad aures haud inuito sermo mihi accessit tuus,
Cum te post putasse omnes res præ parente intellego.
Verum uide, ne impulsus ira praue insistas Pamphile.
PAM. Quibus iris nunc in illam impulsus iniquus sim?
Quæ numquam quidquam erga me cómerita est pater,
Quod nollem: & sæpe, quod uellem, meritam scio:
Amoq;, & laudo, & uehementer desidero:
Nam fuisse erga me miro ingenio, expertus sum:
Illiq; exopto, ut relliquam uitam exigat
Cum eo uiro, ne qui sit fortunatior:
Quandoquidem illam a me distrahit necessitas.
PH. Tibi id in manu est, ne fiat. LA. si sanus sies,
Iube illam redire. PAM. non est consilium pater:
Matris seruibo commodis. LA. quo abis? mane,
Mane inquam, quo uadis? PH. quæ hæc pertinacia est?
LA. Dixin Phidippe hac rem ægre laturum esse eum?
Quamobrem te orabam, ut filiam remitteres:
PH. Non credidi ædepol adeo inhumanum fore:
Ita nunc is sibi me supplicaturum putat?
Si est, ut uelit reducere uxorem, licet;
Sin alio est animo, renumeret dotem huc, eat.
LA. Ecce autem, tu quoque proterue iracundus es.
PH. Percontumax redisti huc nobis Pamphile.
LA. Decedet iam ira hæc: etsi merito iratus est.
PH. Quia paullullum uobis accessit pecuniæ,
Sublati animi sunt. LA. etiam mecum litigas?
PH. Deliberet, renuncietq; hodie mihi,
Velit ne, an non; ut alij, si huic non sit, siet.
LA. Phidippe, ades, audi paucis. abijt: quid mea?
Postremo inter se transigant ipsi, ut lubet:

Quando nec gnatus, neque hic mihi quidquam obtemperant:
Quæ dico, paruipendunt. porto hoc iurgium ad
Vxorem: cuius fiunt consilio omnia hæc:
Atque in eam hoc omne, quod mihi ægre est, euomam.

ACTVS QVARTI SCENA I.

MYRRHINA, PHIDIPPVS.

MY. PERII, quid agam? quo me uortam? quid meo respondebo uiro
Misera? nam audisse uocem pueri uisu' est uagientis:
Ita corripuit derepente tacitus se ad filiam:
Quod si resciuerit peperisse, id qua caussa clã habuisse me
Dicam, non ædepol scio.
Sed ostium cõcrepuit: credo ipsum ad me exire: nulla sum.
PH. Vxor ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras.
Atque eccam uideo. quid agis, Murrhina? heus, tibi dico. M. mihi ne
Mi uir? PH. uir ego tuus? tu uirum me, aut hominem adeo esse deputas.
Nam si utrumuis horum mulier umquam tibi uisus forẽ,
Non sic ludibrio tuis factis habitus essem. M. quibus? PH. at rogas?
Peperit filia? hem, taces? ex quo? M. istuc rogare æquom est patrem?
Perij: ex quo censes, nisi ex illo, cui data est nuptum, obsecro?
P. Credo: neque adeo arbitrari patris est aliter. sed demiror,
Quid sit, quamobrem tantopere hunc omnes nos celare uolueris

Partum; præsertim cum & recte, & suo pepererit
tempore.
Adeo ne peruicaci esse animo, ut puerum præoptares perire,
Ex quo inter nos scires posthac amicitiam fore firmiorem,
Potius, quam esset cum illo nupta aduorsus animi lubidinem
Tui? ego etiam illorum esse hanc culpam credidi, quæ te
est penes.
M. Misera sum. P. utinam sciam ita esse istuc. sed nunc mihi in mentem uenit,
Ex hac re quod locuta es olim, cum illum generum cepimus:
Nam nuptam filiam negabas posse te pati tuam
Cum eo, qui meretrices amaret, qui pernoctaret foris.
M. Quamuis caussa hunc suspicari, quam ipsam ueram, mauolo,
P. Multo prius sciui, quam tu, illum amicam habere Murrhina:
Verum id uitium ego numquam decreui esse adolescentiæ:
Nam id omnibus innatum est, at pol iam aderit, cum se
quoque oderit.
Sed ut olim te ostendisti eandem esse, nihil cessasti usque
adhuc,
Vt filiam ab eo abduceres, neu, quod ego egissem, esset
ratum,
Id nunc res indicium hæc facit, quo pacto factum uoleris.
M. Adeon' me esse peruicacem censes cui mater siem,
Vt eo essem animo, si ex usu esset nostro hoc matrimoniũ?

P. Tun' prospicere, aut iudicare, nostrã in rem quod sit, potes?
Audisti ex aliquo fortasse, qui uidisse eum diceret
Exeuntem, aut introeuntem ad amicam. quid tum postea,
Si modeste ac raro hoc fecit? non ne ea dißimulare nos
Magis humanum est, quam dare operam id scire, qui nos oderit?
Nam si is posset ab ea sese derepente auellere,
Qui cum tot consuesset annos; non eum hominem ducerem,
Nec uirum sati' firmum gnatæ. M. mitte adolescentem obsecro,
Et quæ me peccasse ais: abi, solum solus conueni:
Roga, uelit ne, an non uxorem. si est, ut dicat uelle se,
Redde; sin est autem, ut nolit, recte consului meæ.
P. Si quidem ille ipse non uolt, & tu sensti esse in eo Murrhina,
Peccatum: aderam, cuius consilio ea par fuerat prospici.
Quamobrem incendor ira, te esse ausam hæc facere iniussu meo.
Interdico, ne extulisse extra ædes puerum usquam uelis,
Sed ego stultior, meis dictis parere hanc qui postulem:
Ibo intro, atque edicam seruis, ne quoquam efferri sinant.
M. Nullam pol credo mulierem me miseriorem uiuere.
Nam ut hic laturus hoc sit, si ipsam rem, ut siet, resciuerit,
Non æpol clam me est; cum hoc, quod leuiu' est, tam animo iracundo tulit:
Nec, qua uia sententia eius mutari poßit, scio.
Hoc mi unũ ex plurimis miserijs relliquom fuerat malũ,

Si, puerum ut tollam, cogit, cuius qui sit nescimus pater:
Nam cum compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita est:
Neque detractum ei tum quidquam est, qui post possit nosci, qui siet:
Ipse eripuit ui, in digito quem habuit, uirgini abiens anulum:
Simul uereor, Pamphilus ne orata nostra nequeat diutius
Celare, cum siet alienum puerum tolli pro suo.

ACTVS QVARTI SCENA II.

SOSTRATA, PAMPHILVS.

SO. NON clam me est, mi gnate, tibi me esse suspectam, uxorem tuam
Propter meos mores hinc abiisse: etsi ea dissimulas sedulo:
Verum, ita me dij ament, itaq; obtingant ex te, quae exopto mihi, ut
Numquam sciens commerui, merito ut caperet odium illam mei:
Teq; ante quam me amare rebar, ei rei firmasti fidem:
Nam mihi intus tuus pater narrauit modo, quo pacto me habueris
Praepositam amori tuo: nunc tibi me certum est contra gratiam
Referre, ut apud me praemium esse positum pietati scias.
Mi Pamphile, hoc & uobis, & meae commodum famae arbitror:
Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decreui patre,

Ne mea præsentia obstet, neu caussa ulla restet relliqua,
Quin tua Philumena ad te redeat. PAM. quæso quid istuc consili est?
Illiu' stultitia uicta, ex urbe tu rus habitatum migres?
Haud facies: neque sinam, ut qui nobis mater maledictum uelit,
Mea pertinacia dicat esse factum, haud tua modestia.
Tum, quas amicas te, & cognatas deserere, & festos dies
Mea caussa, nolo. S. nihil iam mi istæc res uoluptatis ferunt:
Dum ætatis tempus tulit, perfuncta satis sum: satias iam tenet
Studiorum istorum: hæc mihi nunc cura est maxuma, ut ne cui meæ
Longinquitas ætatis obstet, mortem ue exoptet meam.
Hic uideo me esse inuisam immerito: tempus est concedere:
Sic optume, ut ego opinor, omnes caussas præcidam omnibus,
Et me hac suspicione exsoluant, & illis morem gessero.
Sine me obsecro effugere, uolgus quod male audit mulierum.
P. Quam fortunatus ceteris sum rebus, absque una hæc foret,
Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem. S. obsecro mi Pamphile,
Non tute incommodam rem, ut quæque est, in animum inducas pati.
Si cetera sunt ita, ut tu uis, itaque ut esse ego illam existumo,
Mi gnate, da ueniam hanc mihi, reduc illam. P. uæ misero mihi.

S. Et mihi quidem: nam hæc res non minus me male habet, quam te, gnate mi.

ACTVS QVARTI SCENA III.

LACHES, SOSTRATA, PAMPHILVS.

L. QVEM cum istoc sermonem habueris, procul hinc stans accepi uxor.
Istuc est sapere, qui, ubicumque opus sit, animum possis flectere,
Quod faciundum fortasse sit post idem, hoc nunc si feceris.
S. Fors pol fuat. L. abi rus ergo hinc: ibi ego te, & tu me feres.
S. Spero mecastor. L. i ergo intro, & compone, quæ te cum simul
Feruntur: dixi. S. ita, ut iubes, faciam. PAM. pater.
L. Quid uis Pamphile? PAM. abire hinc matrem? minime. L. quid ita istuc? PAM. quia
De uxore incertus sum etiam quid facturus siem. L. quid est?
Quid uis nisi reducere? PAM. equidem cupio, & uix contineo: sed
Non minuam meum consilium: ex usu quod est, id persequar.
Credo, si non reducā, ea gratia concordes magis fore:
L. Nescias: uerū id tua refert nihil, utrum illæ fecerint,
Quando hæc abierit: odiosa hæc æta'st adolescentulis:
E medio æquom excedere est: postremo iam nos fabulæ
Sumus Pamphile, senex, atque anus.
Sed uideo Phidippum per tempus egredi: accedamus:

ACTVS QVARTI SCENA IV.

PHIDIPPVS, LACHES, PAMPHILVS.

P. TIBI quoque ædepol ſum iratus, Philumena,
Grauiter quidem: nam hercle abs te factum eſt turpiter:
Etſi tibi cauſſa eſt de hac re. mater te impulit:
Huic uero nulla eſt. L. opportune te mihi
Phidippe in ipſo tempore oſtendis. PH. quid eſt?
P. Quid reſpondebo his? aut quo pacto hoc operiam?
L. Dic filiæ, rus conceſſuram hinc Soſtratam:
Ne reuereatur, minus iam quo redeat domum. PH. ah,
Nullam de his rebus culpam commeruit tua:
A Murrhina hæc ſunt mea uxore exorta omnia.
PAM. Mutatio fit. PH. ea nos perturbat Laches.
PAM. Dum ne reducam, turbent porro, quam uelint.
PH. Ego Pamphile eſſe inter nos, ſi fieri poteſt,
Affinitatem hanc ſane perpetuam uolo;
Sin eſt, ut aliter tua ſiet ſententia,
Accipias puerum. PAM. ſenſit peperiſſe: occidi.
L. Puerum? quem puerum? PH. natus eſt nobis nepos:
Nam abducta a nobis prægnans fuerat filia,
Neq; fuiſſe prægnantem umquam ante hunc ſciui diem.
L. Bene, ita me dij ament, nuncias: & gaudeo
Natum illum, & tibi illam ſaluam: ſed quid mulieris
Vxorem habes? aut quibus moratam moribus?
Nos ne hoc celatos tam diu? nequeo ſatis,
Quam hoc mihi uidetur factum praue, proloqui.
PH. Non tibi illud factum minus placet, quam mihi, Laches.
PAM. Etſi iamdudum fuerat ambiguum hoc mihi,

Nunc non est, cum eam consequitur alienus puer.
L. Nulla tibi, Pamphile, hic iam consultatio est.
PAM. Perij. L. hunc uidere sæpe optabamus diem,
Cum ex te esset aliquis, qui te appellaret patrem:
Euenit: habeo gratiam dijs. PAM. nullu'sum.
L. Reduc uxorem, ac noli aduorsari mihi.
PAM. Pater, si illa ex me liberos uellet sibi,
Aut se esse mecum nuptam, satis certo scio,
Non me clam haberet, quæ celasse intellego.
Nunc, cum eius alienum esse a me animum sentiam,
Nec conuenturum inter nos posthac arbitrer,
Quamobrem reducam? L. mater quod suasit sua,
Adolescens mulier fecit: mirandum ne id est?
Censen' te posse reperire ullam mulierem,
Quæ careat culpa? an quia non delinquunt uiri?
PH. Vosmet uidete iam Lache, & tu Pamphile,
Remissam opu' sit uobis, an redductam domum:
Vxor quid faciat, in manu non est mea:
Neutra in re uobis difficultas a me erit.
Sed quid faciemus puero? L. ridicule rogas.
Quidquid futurum est, huic reddas, suum scilicet,
Vt alamus nostram. PAM. quem ipsa neglexit, pater,
Ego alã? L. quid dixti? eho, an non alemus, Pamphile?
Prodemus quæso potius? quæ hæc amentia est?
Enimuero prorsus iam tacere non queo.
Nam cogis ea, quæ nolo, ut præsente hoc loquar.
Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me?
Aut, quid sit id, quod sollicitere ad hunc modum?
Primum hanc ubi dixti caussam, te propter tuam
Matrem non posse habere hanc uxorem domi;

Pollicita est ea se concessuram ex ædibus.
Nunc, postquam ademptam hanc quoque tibi caussam uides;
Puer quia clam te est natus, nactus alteram es.
Erras, tui animi si me esse ignarum putas.
Aliquando tandem huc animum ut adiungas tuum,
Quam longum spatium amandi amicam tibi dedi?
Sumptus, quos fecisti in eam, quam animo æquo tuli?
Egi, atque oraui tecum, uxorem ut duceres:
Tempus dixi esse: impulsu duxisti meo.
Quæ tum obsecutus mihi fecisti ut decuerat.
Nunc animum rursum ad meretricem induxti tuum.
Cui tu obsecutus, facis huic adeo iniuriam.
Nam in eandem uitam te reuolutum denuo
Video esse. PAM. me ne? LA. te ipsum: & facis iniuriam,
Cum fingis falsas caussas ad discordiam,
Vt cum illa uiuas, testem hanc cum abs te amoueris:
Sensitq; adeo uxor: nam ei caussa alia quæ fuit,
Quamobrem abs te abiret? PH. plane hic diuinat: nam id est.
PAM. Dabo iusiurandum nihil esse istorum tibi. P. ah,
Reduc uxorem, aut, quamobrem non opu' sit, cedo.
PAM. Non est nunc tempus. L. puerum accipias: nam is quidem
In culpa non est. post de matre uidero.
PAM. Omnibus modis miser sum: nec, quid agam, scio:
Tot nunc me rebus miserum concludit pater.
Abibo hinc, præsens quando promoueo parum.
Nam puerum credo iniussu non tollent meo,

Præſertim in ea re cum ſit mihi adiutrix ſocrus.

LA. Fugis? hem, nec quidquam certi reſpondes mihi?
Num tibi uidetur eſſe apud ſeſe? ſine:
Puerum Phidippe mihi cedo, ego alam. PH. maxume.
Non mirum fecit uxor, ſi hoc ægre tulit:
Amaræ mulieres ſunt, non facile hæc ferunt.
Propterea hæc ira eſt: nam ipſa narrauit mihi:
Id ego præſente hoc tibi nolebam dicere:
Neque ei credebam primo: nunc uero palam eſt.
Nam omnino abhorrere animum huic uideo à nuptijs.

LA. Quid ergo agam, Phidippe? quid das conſili?

PH. Quid agas? meretricem hanc primum adeundam cenſeo:
Oremus: accuſemus grauius: denique
Minitemur, ſi cum illo habuerit rem poſtea.

L. Faciam, ut mones. puer eho, curre ad Bacchidem hanc
Vicinam noſtram: huc euoca uerbis meis.
Et te oro porro, in hac re adiutor ſis mihi. PH. ah,
Iamdudum duxi, itidemq; nunc dico, Lache,
Manere affinitatem hanc inter nos uolo,
Si ullo modo eſt ut poſsit, quod ſpero fore.
Sed uis ne adeſſe me una, dum iſtam conuenis?

L. Immo uero abi, aliquam puero nutricem para.

ACTVS QVINCTI SCENA I.

BACCHIS, LACHES.

BA. NON hoc de nihilo eſt, quod Laches nunc me conuentam eſſe expetit.
Aepol me multũ fallit, quin, quod ſuſpicor, ſit quod uelit.

LA. Videndum eſt, ne minus propter iram hanc impetrem, quam poſſiem?

Aut ne quid faciam plus, quod me post minu' fecisse satiu' sit.

Aggrediar. Bacchis, salue. BA. salue Lache. LA. credo aedepol te

Non nihil mirari Bacchis, quid sit, quapropter te huc iußi

Foras puerum euocare.

BA. Ego pol quoque etiam timida sum, cum uenit mi in mentem, quae sim.

Ne nomen mihi quaestus obstet apud te: nam mores facile tutor,

LA. Si uera dicis, nihil tibi pericli à me est, mulier: nam

Iam aetate ea sum, ut non siet peccato mihi ignosci aequom:

Quo magis, omnes res cautius ne temere faciam, accuro:

Nam si id nunc facitis, factura ue es, bonas quod par est facere:

Inscitum offerre iniuriam tibi me immerenti, iniquom est.

BA. Est magna aecastor gratia, de hac re quam tibi habeam. nam qui

Post factam iniuriam se expurget, mihi parum prosit. sed

Quid istuc est? LA. meum receptas filium ad te Pamphilum. BA. ah.

LA. Sine dicam; uxorem hanc prius quam duxit, uostrum amorem pertuli.

Mane: nondum etiam dixi id, quod uolui. nunc hic uxorem habet,

Quaere alium firmiorem tibi, dum consulendi tempus est.

Nam ille neque animo hoc erit aetatem, neque pol eadem ista aetate tu.

BA. Quis id ait? LA. socrus. BA. me ne. LA. te ipsam: &

filiam abduxit suam,
Puerumque ob eam rem clam uoluit, qui natus est, extinguere.
BA. Aliud si scirem, qui firmare meam apud uos possem fidem,
Sanctius quam iusiurandum, id pollicerer tibi Laches,
Me segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum.
LA. Lepida es. sed scin', quid uolo potius sodes facias? BA. quid cedo?
LA. Eas ad mulieres huc intro, atque istuc iusiurandum idem
Polliceare illis: exple animum his, teq; hoc crimine expedi.
BA. Faciam. quod pol, si esset alia ex hoc quæstu, haud faceret, scio,
Vt de tali caussa nuptæ mulieri se ostenderet,
Sed falsa fama esse nolo gnatum suspectum tuum,
Ne leuiorem uobis, quibus est minime æquom, uiderier
Immerito: nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodem.
L. Facilem, beneuolumq; lingua tua iam tibi me redidit:
Nam non sunt solæ arbitratæ hæ: ego quoque hoc etiam credidi.
Nunc cum ego te esse præter nostram opinionem comperi,
Fac eadem ut sis porro: nostra utere amicitia, ut uoles.
Aliter si facis sed reprimam me, ne ægre quidquam ex me audias,
Verum te hoc moneo unum, qualis sim amicus, aut quid possiem:
Potius quam inimicus, periclum facias. BA. faciam sedulo.

ACTVS QVINCTI SCENA II.

PHIDIPPVS, LACHES.

BACCHIS.

PH. NIHIL apud me tibi desieri patiar, quin, quod opus sit,
Benigne præbeatur.
Sed cum tu satura, atque ebria eris, puer ut satur sit, facito.
L. Noster socer, uideo, uenit. puero nutricem adduxit.
Phidippe, Bacchis deierat persancte. PH. hæccine ea est? LA. hæc est.
PH. Nec pol istæ metuunt deos: neque has respicere deos opinor.
BA. Ancillas dedo: quolibet cruciatu per me exquire,
Licet. hæc res hic agitur: me facere Pamphilo ut uxor redeat,
Oportet: quod si perficio, non pænitet me famæ,
Solam fecisse id, quod aliæ meretrices facere fugitant.
LA. Phidippe, nostras mulieres suspectas falso nobis
In re ipsa inuenimus: porro hanc nunc experiamur, nam si
Compererit falso crimini tua se uxor credidisse,
Missam iram faciet; sin autem est ob eam rem iratus gnatus,
Quod peperit uxor clam, id leue est: cito ab eo hæc ira abscedet.
Profecto in hac re nihil mali est, quod sit dissidio dignum
PH. Velim quidem hercle. LA. exquire: adest: quod satis sit, faciet. BA. faciam.
PH. Quid istæc mihi narras? an quia non tute audisti dudũ,

De hac re animus meus ut sit, Laches? illis exple modo animum

LA. Quæso ædepol, Bacchis, quod mihi es pollicita tute, ut serues.

BA. Ob eam rem uis ergo intro eam? LA. i, atque exple animum his, ut credant.

BA. Eo: etsi scio pol his fore meum conspectum inuisum hodie.

Nam nupta meretrici hostis, a uiro ubi segregata est.

LA. At hæ amicæ erunt, ubi quamobrem adueneris, resciscent. PH. atqui

Easdem amicas fore tibi promitto, rem ubi cognorint:

Nam illas errore, & te simul suspicione exsolues.

BA. Perij, pudet Philumenæ: sequimini me intro huc ambæ.

LA. Quid mi est, quod malim, quam quod huic intellego euenire, ut

Gratiam ineat sine suo dispendio, & mihi una prosit?

Nam si est, ut hæc nunc Pamphilum uere ab se segregarit;

Scit sibi nobilitatem ex eo, & rem natam, & gloriam esse;

Referetq; gratiam ei, unáq; opera nos sibi amicos iunget.

ACTVS QVINCTI SCENA III.

PARMENO, BACCHIS.

PAR. AEDEPOL næ esse meam herus operam deputat parui preti,

Qui ob rem nullam misit: frustra ubi totum desedi diem,

Myconium hospitem dum exspecto in arce Callidemidem.

Itaque ineptus hodie dum illic sedeo, ut quisque uenerat,

Accedebam; adolescens, dicdum quæso, tun' es Myconius?

Non ſum. Callidemides? non. hoſpitem ecquem Pamphilum
Hic habes? omnes negabat: neque enim quemquam eſſe arbitror.
Denique hercle iam pudebat: abij. ſed quid Bacchidem
Ab noſtro affine exeuntem uideo? quid huic hic rei eſt?
BA. Parmeno, opportune te offers, propere curre ad Pamphilum.
PAR. Quid eo? BA. dic me orare, ut ueniat. PAR. ad te? BA. immo ad Philumenam.
PAR. Quid rei eſt? BA. tua quod nil refert, percũctari deſinas.
PAR. Nil aliud dicam? BA. etiam: cognoſſe anulum illum Murrhinam
Gnatæ ſuæ fuiſſe, quem mihi ipſu' olim dederat. PAR. ſcio.
Tantum ne eſt? BA. tantum: aderit continuo, hæc ubi ex te audiuerit.
Sed ceſſas? PAR. minime equidem: nam hodie mihi poteſtas haud data eſt:
Ita curſando atque ambulando totum hunc contriui diem.
BA. Quantã obtuli aduentu meo lætitiam Pamphilo hodie?
Quot commodas res attuli? quot autem ademi curas?
Gnatum ei reſtituo, qui pene harum, ipſiusq; opera perijt.
Vxorem, quam numquam eſt ratus poſthac ſe habiturum, reddo:
Quare ſuſpectus ſuo patri, & Phidippo fuit, exſolui.
Hic adeo his rebus anulus fuit initium inueniundis.
Nam memini, abhinc menſes decem fere ad me nocte prima

Confugere anhelantem domum, sine comite, uini plenum,
Cum hoc anulo. extimui illico: mi Pamphile, inquã, amabo,
Quid exanimatus es obsecro? aut unde anulum istum nactus?
Dic mihi. ille alias res agere se simulare. postquam id uideo;
Nescio quid suspicarier magi' cœpi; instare, ut dicat.
Homo se fatetur ui in uia nescio quam compreßisse:
Dicitq; sese illi anulum, dum luctat, detraxisse:
Eum cognouit Murrhina in digito modo me habentem:
Rogat, unde sit: narro omnia hæc: inde est cognitio facta,
Philumenam esse compressam ab eo, & filium inde hunc natum.
Hæc tot propter me gaudia illi contigisse lætor:
Etsi hoc meretrices aliæ nolunt: neque enim est in rem nostram,
Vt quisquam amator nuptijs lætetur. uerum æcastor,
Numquam animum quæsti gratia ad malas adducam partes.
Ego dum illo licitum est usa sum benigno, et lepido, et com.
Incommode mihi nuptijs euenit. factum fateor:
At pol me fecisse arbitror, ne id merito mihi eueniret.
Multa ex quo fuerint commoda, eiu' incommoda æquom est ferre.

ACTVS QVINCTI SCENA IV.

PAMPHILVS, PARMENO, BACCHIS.

PAM. VIDE mi Parmeno etiam sodes, ut mi hæc certa & clara attuleris;
Ne me in breue hoc conijcias tempus, gaudio hoc falso frui.

PAR. Visum est. PAM. certo ne? PAR. certe. PAM. deus sum, si hoc ita est. PAM. uerum reperies.

PAM. Manedum sodes; timeo ne aliud esse credam, atque aliud nuncies.

PAR. Maneo. PAM. sic te dixisse opinor, inuenisse Murrhinam,

Suum anulum habere Bacchidem. PAR. factum. PAM. eum, quem ego olim ei dedi:

Eáq; hoc te nunciare mihi iußit: ita ne factum? PAR. ita inquam.

PAM. Quis me est fortunatior, uenustatisq; adeo plenior? egon'

PAM. Pro hoc nuncio quid te donẽ? quid? quid? nescio. PAR. ego scio. PAM. quid?

PAR. Nil: nam neque etiam in nuncio, neque in me ipso quid sit boni,

Scio. PAM. ego ne, qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris,

Sinam sine munere a me abire? ah nimium me ingratum putas.

Sed Bacchidem eccam uideo stare ante ostium:

Me exspectat credo: adibo. BA. salue Pamphile.

PAM. O Bacchis, o mea Bacchis, seruatrix mea.

BA. Bene factum & uolupe est. PAM. factis, ut credam, facis:

Antiquamq; adeo tuam uenustatem obtines,

Vt uoluptati obitus, sermo, aduentus tuus, quocumque ad ueneris,

Semper siet. BM. at tu æcastor morem antiquum, atque ingenium obtines,

Vt unus hominum homo te uiuat numquam quisquam blandior.

PAM. Ha, ha, ha, tu ne mihi istuc? BA. recte amasti, Pamphile, uxorem tuam:

Nam numquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, uideram:

Perliberalis uisa est. PAM. dic uerum. BA. ita me dij ament Pamphile:

PAM. Dic mihi, harum rerum numquid dixti iam patri? BA. nil. PAM. neque opus est,

Adeo mutito: placet hoc non fieri, itidem, ut in comoedijs,

Omnia ubi omnes resciscunt. hic, quos par fuerat resciscere,

Sciunt; quos non autem scire aequom est, neque resciscunt, neque scient.

BA. Immo etiam, hoc qui occultari posse facilius credas, dabo:

Murrhina ita Phidippo dixit, iureiurando se meo

Fidem habuisse, & propterea te sibi purgatum. PAM. est optume:

Speroq; rem hanc esse euenturam nobis ex sententia.

PAR. Here, licet me scire ex te, hodie quid sit quod feci boni?

Aut quid istuc est, quod uos agitis? PAM. non. PAR. suspicor tamen.

Ego ne ab Orco hunc mortuum? quo pacto? PAM. nescis Parmeno,

Quantum hodie profueris mihi, & ex quanta aerumna extraxeris.

PAR. Immo uero scio, neque hoc imprudens feci. PAM.

ego istuc satis scio. PAR. an
Temere quidquam Parmenonem prætereat, quodquod facto usus sit?
PAM. Sequere me intro Parmeno. PAR. sequor. equidem plus hodie boni
Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem umquam.
Vos ualete, & plaudite.

FINIS.

VINCENTII CORDATI VESVLANI BVRG. COMMENTARIVS IN P. TERENTII ANDRIAM.

OBSERVATIO, ET PRAEFATIVNCVLA.

COMOEDIA est Poeticæ Fabulæ species uerisimilis continens diuersa instituta ciuiliũ actionum, priuatarumq; rerum imagine quadam consuetudinis, & imitatione uitæ: qua ludicro modo, & iucunda ratione discitur quid honestum, quid utile, & contrà in humana Societate. Cuius methodicæ partes sunt tres, Protasis, Epitasis, & Catastrophe, quinque Actib. comprehensæ, hoc est, congreßib. qui rursum in colloquia distinguntur, quas scenas appellant: & singulis eorum fiebat mora, & intermißio, tibijs uariè canentib. ad animos spectatorum noua quasi uoluptate recreandos, & ut commodius personæ interlocutrices sese ornarent: uulgus pausas appellat. Primaq; illarum partium unico ferè actu; intermedia secunda trib. & ferè ultima unico absoluebatur. Est autem Protasis propositio, uel præparatio actionis fabulæ, qua pars eius ostenditur, pars uerò ad retinendam auditoris, & spectatoris attentionem reticetur. Epitasis, est connexio, & inuolutio ipsius rei; uel incrementum, progressusq; turbarum concitatarum, & errorum nodus, quo quisq; maximè implicari se uidet. Catastrophe autem fabulæ actionis insperata conuersio ad iucundos exitus, & læta incertorum euentuum

explicatio; qua quisque id consequitur, quod in uotis habebat, uel quod maximè se consecutum gaudet. Id in Tragœdia contrarium est; cum finis eius tristis, & funestus in personis non plebeijs, aut priuatis, ut in illa; sed Heroib. & Principib. circunscribatur. Etsi autem μυτολογία, καὶ ἐπιμύθιον in utraque fabula est apertior, quam in multis alijs Poematib. tamen si penetralia, & reconditiora (ut ita loquar) spectes μύσικα πάντα deprehendes. Cæterum Comœdia & Prologum habet, & Epilogum; illum copiosum, hunc uerò sæpe unico, atque altero uerbo, VALETE, uidelicet, &, PLAVDITE, propter commotum insperata lætitia ex euentu rei populum, expressum. Methodus uerò prudentiæ, & insinuatio obliqua perpetua est, quæ miram admodum in eundis consilijs, suscipiendis'q; actionib. raram dispositionem habet. Hoc enim stratagema est Comicorum in detinendis spectatorum animis, quoad insperatò exitus fiat, & longè aliud, quàm initio putabatur, attentæ cogitationi, & expectationi contingat. Sed de hoc etiam aliàs plura: nunc summam Comœdiæ Andriæ, & epitomen (quam alij uocant argumentum) uideamus.

SVMMA, VEL EPITOME Andriæ.

HAEC prima Terentij Comœdia ideo ANDRIA, ab Andro insula Deli una ex Cycladib. in mari Aegæo, uel Myrtoo dicta, quòd totius fabulæ Catastrophe pendeat ex Critonis cuiusdam Andrij certis reb. allatis.

Protasis.

CVM enim Chremes Atticus duas haberet puellas Pasibulam, & Philumenam, quarum illam se perdidisse falsò crederet, (fratri enim suo Phaniæ profecturus in Asiam com

miserat, qui bello in Græcia exorto fugiens puellam naufragio perdidisse itidem putabat,) hac una relicta, quam adolescens quidam Charinus Atheniensis deperibat, & ut sibi in uxorem daretur petebat, sed frustrà: nam pater eam Pamphilo Simonis filio etiam adolescenti ultrò desponderat, qui tamen ita perditè Pasibulam (quæ Glycerium tunc nomine commutato appellabatur, & Chrysidis soror audiebat, quòd una cum ea educata esset) adamabat, ut ipsi daret fidem se ducturum in uxorem. Simo pater, qui amorib. operam dare filium compererat, init consilium secum, ut animum adolescentis à Glycerio, quæ placebat minimè, abstrahat, simulatq; se uxorem daturum, saltem ut esset iusta reprehendendi occasio, si recusaret. Pamphilus autem cum & patrem uereretur, & frangere fidem Glycerio impium iudicaret in magnas angustias redactus consilium à seruo Dauo capit, simulandum esse uelle se patri obsequi, & ducturum quam ei liberet: nihil enim periculi esse ille asserebat, qui Simonis heri simulationem, & ingenium sibi perspectum item affirmabat; ut sic ars arte deluderetur.

Epitasis.

DVM igitur Pamphilus serui consilio paret, dictu mirum, quàm uterq; deludatur: non solum enim rumore de adolescentis nuptijs audito commouentur mulierculæ, & inter cæteras Glycerium; sed etiam pater cœpit mutare consilium, & serias nuptias morigeranti filio parare. Hic uterq; periclitari cum herus, tum seruus author consilij se uidet. interim uerò, ut solent uafri omnes, modum excogitat, quo nuptiæ si non intercipiantur, saltem differantur: Chremetem igitur adit, significatq; aliam à Pamphilo amari: sed non obest, quo minus magnæ turbæ concitentur: nam & Charinus

se priuatum iri putat ea re, qua nihil est ei charius; ut & Pamphilus; senes præterea se delusos uident; sed Glycerium, & Dauus ipse, qui interea, & dum fortè peperisset illa, puerum, ad deterrendum à nuptijs animum Simonis, ante ædes obijciendum curat.

Catastrophe.

NEC tamen id Simonem adhuc flectebat, sed ipse nuptias urgebat usque adeo, ut penè omnino celebrari cogeret; nisi (ut plerumq; accidere solet) repentè Crito quidam Andrius genere Chrysidi proximus Athenas uenisset, qui rem aperuit, & nodum fabulæ soluit: unde agnita Pasibula tunc (ut suprà dictum est) Glycerium appellata, & Chremetis filia iudicata Pamphilo ex animi sententia in uxorem datur; ut & Philumena exoptanti Charino. Quod non parum quoq; gaudij senib. parentib. ac seruo imprimis attulit.

Mythologia, & iudicium.

Hinc discimus, quàm non modò casus persæpe in reb. dubijs plus ualeat, quàm ratio: sed etiam quàm longè secus eueniat, ac uel inito consilio putauerimus, ut taceam de simulatione, & calliditate; fit enim sæpe, ut ars arte (quod est in prouerbio) deludatur. Sed & illud imprimis obseruandum est à nemine (quod sciam) obseruatum; eo ingenij acumine fuisse Poetas cum omnes, tum Comicos, ut summa prudentia tam plebeijs, quàm nobilib. in re maximè ancipiti, ac dubia quid liceret, quid expediret consulerent, & explicarent. Exempli gratia; cum de duob. malis propositis (ut dicitur) leuius sit eligendum; si semel contigerit ut uel sit contractum parentib. inscijs, et repugnantib. uel ob generis, et fortunæ uilem diuersitatem matrimoniū, quod proinde uituperari, haberiq; ludibrio poßit, & sic nomini, ac famæ

detrahi multum uideatur; uel aliquid ſimile contigerit: in eiuſmodi neceßitate, & caſu recurrendum erit ad quempiam honeſtatis prætextum, & modum, quo res ciuiliter contegatur. Sic enim & faſtidium paulatim attenuatur, & periculorum occaſiones multæ uitantur. Quare poetæ comici præ cæteris id innuere, & inſinuare, uel quidem factum iam ridendum non modò alijs, ſed & ſuis authorib. propinare in hoc uitæ ludo, theatroq; humano uoluerunt. Sic apud Ouidium 2. Metamorph. Clymene filij Phaetontis genus à Phœbo trahit: qua de re hi ſunt emblemate quodam proſopopeico, & dialogiſtico uerſiculi:

Filius es Solis. puero de patre roganti
 Conſcia reſpondit mater adulterij.
Næ uerum dixit, quod poßit adultera quæuis
 Dicere: namq; Hominem Sol, & Homo generant.
Sic referunt Proceres ad patres, nomine natos
 Hæ, quæ ementito nobilitare uolunt.
Sic genus humanum referunt ab origine prima;
 Sic unum de uno ſemine ſemen erit.
Sic locus eſt phyſicus; ſic ruſticus eſt locus. hinc tu
 Colligis incertum, præcipitemq; Sophon.
Nam quanta impietas, non uelle agnoſcere patrem,
 Factoremq; ſui non reputare Deum?

Notatio nominum.

SIMO, à naſo ſimo, & preſſo; quod ij ſint iracundi, & natura uehementiores: hic tamen pius in filium deſcribitur.

Chremes, à χρέμπτειν, ſcreare, quòd ſenes tußi ferè perpetua expurgent pectus: ſunt enim frigidi, & pituita abundant.

Pamphilus, à fideli amore; est enim πᾶν, totus, & φίλος, amicus; pius in patrem, & admodum fideliter amans.

Charinus, ab animi beneuolentia: χαρίζομαι, facio grata, obsequor; sed hic simplex, ac nullius ferè consilij inducitur.

Sosia, libertus, quod sit in bello seruatus: σώζω enim Latinè seruo est; unde &, seruus, nomen inditum.

Dauus, à patria dictus: nam Dacia regio est, quæ ad Pontũ in Germaniam uergit; inde mutato, c, in, u, Dauus.

Byrrhia, à patria, quæ Phrygia est: Phrygæ enim Brygæ dicti per immutationem literæ φ: à seruili animo.

Mysis, à patria: Mysi enim sunt populi Minoris Asiæ ad Hellespontum, Troadi contermini: à contemptu nimio.

Glycerium, à uoluptate, uel dulcedine: γλυκερός enim dulcis est: & est diminutiuum, quasi dulcicula, delicatula.

Lesbia, à patria Lesbo insula maris Aegæi feraci uini generosi: quasi ebriosa: nomen rei, mulieriq; uerè conueniens.

Crito, quod controuersiam dirimat: κριτὴ enim iudex est, & arbiter, à uerbo κρίνω, interrogo, examino, quæro.

Dromo, à cursu, qui Græcè δρόμος; inde δρομαῖος, uelox; seruorum enim est dicto citius domini iussa exequi.

Admonitio.

VIDES quàm benè conueniant nomina rebus? Si omnium quæ legeris apud Historiographos nominum Etymologiam tam exactè, etsi paucis admodum perscruteris, multa inuenies, quæ rem tibi occultam declarabunt. Hec enim est & poematum, & historiarum quarundam intelligendarum clauis.

PROLOGVS.

PROLOGVS.

EPITOME, VEL SVMMA PROLOGI.

HIC prologus & præfatiuncula, & perorationcula utrinque beneuola insignitus in contentione tractat hanc Quæstionem, An Terentius poeta sit ab ab aduersarijs accusandus, & an fabulas contaminet. Quæ quidem improbatur, & confutatur duob. argumentis comparatis dißimilium, & parium effectorum: indéq; ita syllogismo integro concluditur:

Qui non contaminat fabulas, non est hic accusandus:
Terentius autem hic, ut obijcitur, non contaminat:
Quare Terẽtius ab aduersarijs hic non est accusandus.

Poeta cum primum, &c.

Præfatiuncula continet breuisculam conquestionem apud Populum spectatorem de aduersariorum iniuria, qua subinde mutare consilium, & stylum poeta cogitur, adeo ut illi aliqua in re agendo gratulari non poßit: idq; argumento sumpto ex dißimilib. caußis finib. quarum hic pars prior. ubi phrasim obserua, appellere animum, pro, ad aliquid agendum intendere: metaphora sumpta à corpore ad animum: uel à nauib. in portum, uel littus deductis. Virgilius 3. Aeneid.

Hinc me digressum uestris Deus appulit oris.

Verùm aliter euenire.

Posterior dißimilium pars explicatur alijs item dißimilib. sed effectis. ubi suppresso quidem nomine, sed synecdoche ge-

neris, pro ſpecie, adhibita Lucium Lauinium ueterem comicum Terentij æmulum notat actor.

Nunc quam rem uitio.

Contentio deinceps ſequitur cum ſigno attentionis adiuncto generali; ubi propoſitio eſt ſyllogiſmi colligenda. Eſt & locus communis de inuidia, & æmulatione; quib. reb. obnoxium eſſe præſtat, quàm per totam uitam miſerum eſſe. quod poetæ, ac inter cæteros Homerus, & Ouidius per Scyllam, & Charybdim maris pericula ſignificari uoluerunt. Nam,

Inuidia obtrectans monſtris eſt Scylla caninis:
Funditùs at mergens Paupertas, uaſta Charybdis.
Incidat in Scyllam qui uult uitare Charybdim.
Allatrat liuor mordax: abſorbet egeſtas.
Ex utroque malo minus elige. Qui ſapit, optat
Inuidioſus enim mage, quàm miſerabilis eſſe.

Menander fecit.

Aſſumptio autem ſyllogiſmi diſputatur primùm ex diſſimilib. cauſsis Comœdiæ: ubi conceſsio, & confeſsio, ſtatim correctione adhibita, eſt. Hic obſerua metaphoram in uoce, ſtylo, à pugillarib. in quib. olim ſtylo, id eſt, quaſi penicillo aliquid annotabatur; ut fit item hodie in chartis uel membrana tincta ouorum puluere reſoluto ac trito primùm, dein condenſato, & agglutinato; uel laminis lapidis nigricantis, de pierre d'ardoiſe: pro forma, modo, qualitate, & charactere orationis poeticæ. Cicero in Bruto; Optimus eſt effector, ac magiſter dicendi ſtylus. Menander autem fuit poeta Comicus Græcus ex illuſtriorib.

Quæ conuenere in.

Paraſceue ad ſecundum argumentum per conceſsionem, &

confeßionem facti: unde Questio, & accusatio aduersariorum nata est, & hic intertexta ex adiuncto iniqui, et dedecoris; estq́; uelut occupatio breuiscula.

Faciunt næ intelligendo.

Soluitur occupatiuncula proxima ex adiuncto nimiæ calliditatis, & prudentiæ; quæ summa, nonnumquam malitia quoque summa est, ne dicam stultitia. Allusio nimirum ad prouerbium, τὸ ἅμμα ἐν γρίφῳ ζητεῖν: nodum in scirpo quærere: cercher cinq pieds en un mouton. alioqui dictum sibi repugnat. Simile est illud, nimia sapientia in stultitiã uertitur. Quod Euripides sic expreßit;

Γνώμην ἐν εἶναι τοῖς σοφοῖς λίαν σοφόν:

Sententiam esse sapientibus nimis sapientem.

Subintelligitur, damnosum est. & ante dixerat, οὐδ' ἀζήμιον, non autem immunem. Additur autem & hic secundum assumptionis argumentum, ex comparatione parium effectorum exemplorum, ueterum scilicet poetarũ Comicorum, qui ante Terentium floruerunt.

Quorum æmulari neglig.

Illustrat proximum argumentum alia comparatione, sed minorum, odio plena. Sic Cicero Tuscul. 1. errare mauult cum Platone, quàm benè sentire cum alijs. ubi tamen Academicus Academicum se non præstabat; nisi quod id fortè dixit, ut in inuidiam, & odium traheret Stoicos, & Peripateticos. Obserua hic numerum homioteleutorum in uocib. negligentiam, &, diligentiam.

Dehinc ut quiescant.

Complexio syllogismi ex fine paris illustrata. Iã ferè illud prouerbij locum habet; Si maledixeris, peius audies. & pòst illud aduentitij Critonis in Simonem audietur;

Si mihi pergit, quæ uolt, dicere, ea, quæ non uolt, audiet.

Hic obserua Oratoris uel Actoris principis Calliopij in defendendo poeta, uel certè poetæ ipsius modestam in maleuolos, & æmulos imprecationem, & admonendi rationem. qua his nostro tempore à tot, tam'q; doctis hominib. inter se altercantib. non auditur. Porrò, imposterum est.

Facite, adeste æquo.

Peroratiuncula attentione plena, ex adiunctis fauoris, & finib. caußis. Alludit huc Ouidius his uersiculis;

Excitat auditor studium, laudataq; uirtus
Crescit; & immensum gloria calcar habet.

Sic in Adelphis oratur, ut æquanimitate spectatorũ industria poetæ augeatur. Vocula, exigendæ, pro explodendis, ridendis, reijciendis'q; fabulis, accipitur. sic in Hecyra, exactus, dicitur.

ACTVS PRIMI SCENA I.

Vos, isthæc intrò auferte, &c.

Protaseos, actus'q; primi colloquium, è trib. primum, uel dialogus est heri Simonis, & Sosiæ serui ex abrupto, & protacticis, id est, aduentitijs personis adhibitis (quæ nec loquuntur, nec deinceps apparent) inchoatur; qui patris consilium describit de danda uxore filio Pamphilo; id'q; fictè, & longa insinuatione repetitis caußis, cur ipsum credere seruo herus debeat, & cur istud facere impellatur. Est igitur hic prima pars colloquij ex dißimilib. causis efficientib. non est opus (ait herus seruo) hic tuo famulitio, & diligentia, alioqui perspecta mihi satis; sed fide, ac taciturnitate. quæ uirtutes sunt non uulgares, & summæ obseruantiæ indices; illa in actionib. obeundis, hæc uerò in celandis arcanis posita: ambæ'q; artis nomine intelliguntur.

Antiquis enim ars, & uirtutes, & uitia comprehendebat; unde à meliore parte ἀπὸ τῆς ἀρετῆς per syncopem nomen habet, ut Donato placet. Sic Aristoteles 2. Νικομαχείων, uoce, τῶν τεχνῶν, pro uirtutib. utitur. Atq; hic summatim, & generaliter propositis caussis conciliatur seruo ad futuram explicationem attentio; cum primùm fuisset iam adiuncta promptæ obedientiæ seruilis ad mandata heri circunstantia.

Ego postquam te emi.

Explicatio igitur uirtutis serui declaratur mutua relatione caussarum, & effectorum. quam seruus hic non satis intellexisse fingitur, ac ideo paulò uehementiùs in herũ commouetur. Vbi mirè natura, & ingenium seruorum exprimitur; quippe qui nolint audire libenter beneficiorũ commemorationem, nedum exprobrationem; & existiment se omnia suis laborib. & famulitio promeruisse.

Gaudeo si tibi quid.

Fastidium serui ex dissimilib. caussis exprimitur; & tamen fit regressus ad attentionem adhibito item signo obsequij. est autem simile illud Martialis in Posthumum;

Quæ mihi præstiteris, memini, semper'q; tenebo:
Cur igitur taceo? Posthume, tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat; dixerat ipse mihi.
Crede mihi quanuis ingentia, Posthume, dones;
Authoris pereunt garrulitate sui.

quin & lacerat animum, ait Seneca, frequens, & odiosa beneficiorum commemoratio: quæ est accipientis, non dantis.

Hoc primum in.

Altera pars colloquij de consilio Simonis in fingendo nuptias ex fine declaratur, & concluditur argumentatione integra ad hunc modum:

Si finxero nuptias, ait pater, filius admittet, uel recusabit; si illud, gratum mihi erit; sin hoc, arripiam inde obiurgandi, & reprehendendi occasionem:

Sed alterutrum filius faciet: Ergo uel mihi gratum, uel inde reprehensionis occasionem arripiam simulando futuras illius cum Philumena nuptias.

Assumptio itaque præcedit longa narratione, & descriptione uitæ Pamphili contexta; idq; per insinuationem, & in duas distincta partes: uita enim filij primum honesta; deinde amatoria à patre exponitur. Hic igitur prior est altiùs repetita ex effectis adolescentiæ; quæ anno quartodecimo incipiens (ad quod usque tempus Romani liberis suis prædagogos solebant præficere) ostendit cum pueritia quænam indoles, moresq; sint futuri. Vnde sic perpulchrè Horatius in Arte poetica:

Imberbis iuuenis tandem custode remoto
Gaudet equis, & aprici gramine campi:
Cæreus in uitium flecti, monitorib. asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris.

Ergo adolescentiæ Pamphili studia similia hic Simo attingit, sed cum frequenti, quæ tamen gratiam habeat, eclipsi licentia grammatica.

Plerique omnes.

Conuenientia est duorum adiectiuorum partitiuorum, & ingeminatio (ut ita loquar) non satis adhuc à quoquam intellecta. nec enim uel Atticismus est modò, cum sit La

tinismus; nec adiectio sine caussa, que est grata quædam, & modesta locutionis in affirmando, uel negando correctio, nescio quid prætereа latentis energiæ, & uenustatis in se continens. Sic Gellius. lib. I. Noct. Attic. Versus ex Georgicis pleriq; omnes sic legunt. & alibi, pleraq; omnia. Sed & ipse Terentius in Heautontim. - Dixi pleraq; omnia. Cicero de Orat. sæpißime utitur cum, quicunque. & ad Q. Fratr. Omnes quicunque Romæ ludos faciunt. id'q; ad maiorem affirmationem. Sic, πλεῖονες πάντες, apud Græcos; & πάμπολλα, Latinè plussatis. Gallicè illa correctiuncula facilius intelligitur, ut cùm dicimus, Presque tous, plusqu'assés.

Non iniuria.

Approbatio, & confirmatio adulatoria mediocris studij, ex prouerbiali testimonio, μηδὲν ἄγαν. Cui simile est Phocylidis illud; πάντων μέτρον ἄριστον. Quod Plautus uidetur interpretari his uerbis; Modus omnib. in reb. optimus est. Vide Platonem in Hipparcho, Protagora, & Charmide; item Chiliadas.

Sic uita erat.

Studia Pamphili hactenus fuerunt; mores, & uirtutum stirpes deinceps ex effectis adiunctis explicantur. est igitur breuis transitio: ubi ennalage est personæ in uerbo, pares, auditu gratißima.

Sapienter uitam.

Alia approbatio uirtutis incrementorum Pamphili rursum ex prouerbiali sententia digna quidem confusæ multitudinis theatro, sed non bonorum cœtu; apud quos nihil umquam tale auditur, nec fit, Seneca enim scribens

de Clementia ad Neronem, contrà, Malo, inquit, uerbis offendere, quàm adulando placere. & aliàs; Malis displicere, laudari est. sed hodie, etsi non expedit, tamen oportet esse Polypos, & ita seruiliter cum seruo sapere. Ita enim fieri uolunt, qui uerbis adulatores improbant, animo uerò & factis approbant. Bellè igitur cuidam Magnati, cum omnia pro suo, ut uidebatur, iure, libitu'q; & dicere, & facere ipsum apud me nuper uiderem; nec interim pati, ut, quod sentirem contrà, exprimerem, sed meis iustiss. rationib. obstrepere, adeo'q; uultu, gestu'q;, ut sibi concederem, innuere: at non, inquam, me hoc præstare docebis, & multò minùs coges. Quod obscurè dictum non intelligens, & admiratus iussit ut explicarem, (hic uolebam ego, si liberet,) seipsum propterea non offensum iri: tum ego, Adulatores, inquam, ab ijs, quib. adulatur, ita differunt: Illi enim rem adulatoriam uerbis, non animo probantes, adulantur: isti uerò animo, non uerbis probantes adulari sibi patiuntur: Ergo illi effecta, isti uerò caussæ sunt adulationis: quam nemo generoso pectore unquã probauit.

Interea mulier quædam.

Hæc de honesta uita in studijs, & morib. adolescentis fuere: nunc ea, quæ amatoria est, explicatur, & ad secundam partem fit transitio: ac primum illius caussa efficiens pelliciens, uidelicet Chrysis disquiritur, & tum ex adiunctis formæ, tum ex dissimilib. effectis describitur: Quib. Sosiæ exclamatio prouerbialis ad maiorem attentionem interseritur. Huius autem loci copiosiss. explicationem uide apud Rodolphum Agricolam lib. 2. de Inuent. dial. cap. 16. Illud obiter obserua; scorta Athenis fuisse peregri-

na: inde (quod seruus exclamat) ex Andro multa.

Ita ut ingenium.

Digreßiuncula, & parenthesis ad illustrationem effectorum proximorum, ex adiuncto corruptionis humanæ, communis'q; uitij omnium. Vnde colligis uel omnino non degustandas esse uoluptates, uel assuefaciendum animum, ut ijs se temperet. Hic autem, & tam in præcedentib. quàm subsequentib. aduerte gradus, quib. ad summam turpitudinem deuenitur. nemo enim, ut Satyricus ait, fit repentè malus.

Qui tum illam amab.

Aliæ item caussæ attexuntur, quib. Pamphilus inductus est ad amorem. Qui locus adolescentes omnes tacitè admonet, ne cum improbis habeamus commercium. Qua de re uide Solomonem 1. cap. sacr. Prouerbiorum: Fili mi, inquit, si te lactauerint improbi, ne acquiescas: si dixerint, ueni nobiscum, ne ieris: pedes enim eorum ad malum currunt, & festinant. Cum bonis igitur ambulandum, nam, ut illud admonet, fies

Κακοῖς ὁμιλῶν ἢ αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός:

Cum malis uersans, uel ipse consuetudine malus.

Egomet continuò; captus.

Concludit tandem Simo ex caußis, & circunstantijs effectũ amorem filij: sed quem tamen adhuc alijs subinde adiunctis disquisitionib. explorat. ubi duplex prosopopeia est, propria, & aliena. In uerbo, habet, eclipsis est: subintelligitur enim, uulnera, uel, consuetudinem, uel rem, uel quid simile. Sic uirgilius,

Hoc habet; hæc melior magnis data uictima Diuis.

Metaphora uidetur à gladiatorib. lethale uulnus habẽtib.

Sed alia huius uerbi significatio est, cum dicit, habere Chrysidem, pro, eius amore potiri.

Symbolon dedit.

Dare symbolon, quod Gallicè dicitur, paier l'escot. est autem id paruum numisma, uel signum aliquod, ut annulus: unde & pro anagrammatismo sumitur; Gallicè, deuise: qualis erat olim Principum, & clarorum uirorum: nunc uerò hodie ferè omnium. significat item signum militare uocale, le mot du guet. Hic uerò collatio est mutua conuiuij. ἀπὸ τοῦ συμβάλλω, coniecto, committo.

Item alio die.

Alia item disquisitio adiunctorum suspicionem amoris remouentium; & Pamphili cordati adolescentis commendatio ex adiunctis. nota obiter phrasim elegantem, Habere iam modum uitæ; se sauoir desia bien conduire, estre asseuré de son fait: rectam uiuendi normam sequi.

Quùm id mihi plac.

Confirmatio probitatis Pamphili, ex publico testimonio, hoc est, rumore, & adiunctis gratulationis inde ad Simonem prouenientis. Nihil autem parentib. gratius est, quàm habere liberos ita institutos, ut ijs gloriari poßint, & benè in ipsis post hanc uitam uiuere. Vtinam pater meus Antonius Cordatus mihi quidem uel natura ipsa charißsed tamen alter Menedemus, non Simo (ut honestè hic de me non nihil dicam) gratularetur uicißim de tot ob rectè institutam pueritiam, & adolescentiam nostram gratulationib. ac publicis testimonijs: quæ tamen illi, ut spero, & maiora, & gratiora futura sunt. Atque sic ad nostrum, imò Pamphili Cordati exemplum ingenui adolescentes sese componant.

Quid uerbis opus?

Alia confirmatio ex adiunctis effectis, & signis magnæ propterea beneuolentiæ, & amicitiæ: quòd uidelicet nuptiæ contraherentur, audita Pamphili uirtute, & comperta probitate. Dicere diem, hic est, pro eo, quod uulgò dicitur, aßignare.

Quid igitur obstat.

Caussæ deinceps, cur non factæ sint nuptiæ declarantur. Aduerte ibi Simonis orationis œconomiam, & methodum: Suprà recensuit uitam filij honestam, deinde amatoriam, cui honestatis aliqua species admixta erat: nunc uerò totam amatoriam, & paulò magis lasciuientem, etsi pingere instituit; tamen adiuncta, & circunstantias amoris ferè omnes, quib. Pamphilus erat pellectus ἐπιεικῶς, candidè semper interpretatur. tanta est nonnumquã parentum in liberos indulgentia. Duæ igitur hic non malitiosæ amoris circunstantiæ notantur, funus Chrysidis, & complexus Glycerij. Prior autem uariè describitur ex adiunctis præsentiæ amicorum, & luctus. Obseruabis perpetuò interiectas exclamationes adulatorias serui, quasi eiaculationes quasdam.

Sic cogitabam: hic

Hic ἐπιεικεία paterna, & lenis candor in interpretandis nati factis apertior est; quò falsò ascribit humanitati, quæ amoris erant. Cuius tanta est uis, ut in re amata cæcutire amantes cogat, & penè suipsius obliuisci animum in alio uiuentem. Qua de re sic Plato in dialogo de Amore: Quoad fortitudinem præterea, inquit, neque Mars quidem Amori resistit. neque enim Mars Amorem, sed Amor Veneris, ut fertur, Martem detinet.

Potentius autem est, quod detinet, quàm quod detinetur. Nota est historia Tulliæ Prisci filiæ Tarquinium perditè amantis; de qua hoc emblema subijciam, quo ἀντεραστέρως exprimitur:

O quàm hæc porta fuit meritò scelerata uocata,
Quæ tantum admisit per sua claustra nefas.
Iret in amplexus ut amati Tullia Prisci,
Per patris occisi corpus adegit equos.
Oderat an'ne patrem? non; sed Tarquinium amabat:
Iste libidinis est, is pietatis amor.
Cumq; duo affectus traherent hinc inde potentes;
Corpora præposuit uiua cadaueribus.
Hunc memor esse uirum, ast illum oblita parentem:
Est malus ergo pij uictor amoris amor.
Hem? quis amor? calcare patrem? sectari alienum?
Non amor est certè, sed furor, & rabies.

Et Propertius de hoc amoris genere loquens;

Verus amor nullum nouit habere modum.

Quare etsi pater modò ex adiunctis, modò ex maiorum comparatione amorem huiusmodi filij expendit; tamen imprudens fallitur.

Quid multis moror?

Species transitionis, & præteritionis. sic, quid plura? tum addit adiunctum suæ ipsius præsentiæ Simo pater, quod non parua res erat. Obserua ibi antiquum in exequijs peragendis, & pro gentilib. utcunq; pium morem.

Interea inter mulieres.

Posterior particula circunstantiæ amoris postremò describitur; amplexus uidelicet, & colloquium; signa Pamphili illo propter Glycerium sauciati. & rursum earumdem rerū

occaſio petitur ex efficiente cauſſa ipſa Glycerio; cuius deſcriptio ex adiunctis, & effectis petitur ad laudem pertinens. Vbi, dictu mirum, ſemper non temerarij ſenis in iudicando, & interpretando candor relucet. ſed tamen poſtea pœnitebit; &, ut ueteri prouerbio fertur, ſerò ſapiunt Phryges.

Accedo ad pediſſequas.

Diſquiſitio hæc, & coniectura detexit patri amorem Pamphili; id'q; ſub hac propria ſpecie proſopopeia, & ironia. Locus communis de forma, pulchritudine, gratia; quæ quantum ualeat ad amorem prouocandum, nemo eſt, qui neſciat. Aduerte obiter præteritum, perculſi, à percello, themate, quod &, perculi, habet: Gallicè, le cœur me le dit incontinent. nec hic legendum puto cum quibuſdam, percußit. Lucanus 2. Pharſal.

At non magnanimi perculſit pectora Bruti
Terror.

Funus interim procedit.

Attentione à ſeruo renouata pergit Simo exponere aliam ſubinde proditi amoris occaſionem ex effectis, & adiunctis. Obſerua ibi locum Antiquitatis de more comburendi rogo cadauera; quorũ cineres in urna reponebantur, magnáq; ſignificatione amoris, & pietatis in mortuos aſſeruabantur. Quod non abſq; myſterio fieri olim ſolitum eſt; ſed tamen à nemine adhuc, quod ſciam, explicatum. Crediderim autem in ſignum purgationis corporeæ ſpecialis factitatum fuiſſe, ut & illius generalis, quæ uniuerſa totius Orbis conflagratione (de qua doctißimè, ſicut omnia, ſcripſit Hieronymus Magius; & nos in Comment. Somnij Scipionis,) futura eſt. Sed ea de re aliàs plura,

cum de Mythologijs rituum, & poetarum disputabimus.

Ibi tum exanimatus.

Tandem uerò amor Pamphili proditus ex effectis adiunctis mirè ipsi amatori congruentib. concluditur; ex amplexu illo uidelicet, & colloquio cum Glycerio, quod hic per elegantem, & fabrefactam prosopopeiam alienam, uel dialogismum exprimitur. Atque hic uideas, quàm uariæ species amoris sese prodant: Glycerium piè in defunctam uita Chrysidem se gerit: Pamphilus uerò in Glycerium uiuã raptus nimio amore, & sui oblitus, adeóq; omni, uel corã patre, & cæteris, decoro postposito, illam complectitur libentem, alloquitur, & huiusmodi signa producit, ut uerum sit, quod à Poeta quodam scribitur;

Non benè conueniunt, nec in una sede morantur
Maiestas, & amor.

in quo quidem explicando non possum admirari satis poetæ industriam, & suauem elegantiam.

Redeo inde iratus.

Effecta duo Pamphili amoris, ut caussæ, deinceps appenduntur: non solùm enim inde pater offensus est; sed etiam Chremes, qui propterea nuptias diremit; ut ad propositam à seruo quæstionem de ipsarum intermißione Simo redeat. Cur autem is offensus filium non castigarit, per prolepsim rationem subdit, ex imperfectione adiunctarum circunstantiarum, & effectorum; quæ per aliam prosopopeiam, & dialogismum fine dissentaneo soluuntur. Sed hic improbanda Simonis nimia indulgentia, & negligentia in castigando filio. Qua de re nos integrum, & iustum librum scripsimus, quem breui, Deo fauente, in lucem emittemus: ibiq; locus hic explicabitur.

Recte putas nam.

Serui assensus ad confirmationem consilij de non castigando Pamphilo totus hic, ut in alijs ferè omnib. adulatorius est, ex comparatione maiorum contextus. intelligitur enim locus de Pamphilo, qui Glycerium in rogũ ruẽtem seruauit.

Venit Chremes postrid.

Alterum effectum amoris Pamphili, quo dirempta à Chremete offenso ipsius filiæ cum illo sunt nuptiæ. quodq; tamen Simo pater uel data opera, uel nimia semper in filium indulgẽtia conatur, inficiando culpam, urgere; unde magna exoritur effectis texta contentio.

Non tu ibi gnatum?

Vrget seruus patris in filium ex officij adiuncto indignationem, & correctionem, quæ rursum ex adiuncto imbecillitatis, & imperfectionis caussæ diluitur. Cuius rei cum seruus modũ requireret, hic herus etsi penè suffusus pudore; tamen sermone mutato, & ad se conuerso, propria scilicet apostrophe, & prosopopeia, qua secum loqui uidetur, illum obliquè attingit ex caussa efficiente uoluntate, spontaneoq; motu: quem tamen rursum conatur excusare, dum omissa prosopopeia ad seruum regreditur. Qui locus ab interpretib. nũquã satis intellectus est. Ibi autẽ alludit ad prouerbiũ; ἄλλος βίος, ἄλλη δ' ἡ δίαιτα; alia uita, alia uictus ratio. At nihil miserius, quàm aliena quadra uiuere.

Quis igitur relictus.

Adhuc urget seruus paternam increpationem, quam suprà tamen adulatoriè non ita probabat. indeq; peruenitur ad propositionem syllogismi, (nam hactenus uariè, & per partes uitæ honestæ, & amatoriæ, ut eiusdem occasionis, et caussæ disputata fuit assumptio callidè præcedens;) consiliũ igi-

tur Simonis etsi prudens, tamen quo ipse falletur duplici nomine hic pingitur.

Simul sceleratus Dauus.

Prolepsis, uel præoccupatio consilij Daui Pamphilo dandi ex adiuncto: ubi grauis comminatio; quæ augetur prouerbiali sermone, à comparatione dissimilium finium. & ita herile in seruum imperium uerbis modò ostenditur, ac exercetur.

Quapropter? SI. Rogas?

Caussam futurorum Daui effectorum exprimit, nimirum naturæ quandam uim, & qualitatem animi insitam, qua ad turpia, & mala pronus erat Dauus, & spontaneo quodam affectu inclinabatur: unde ipse nihil boni agere per se dicebatur. Sensus enim est & diuinis, & humanis testimonijs comprobatus;

Γνώμης ἐσθλῆς ἔργα χρηστὰ γίγνεται:
Bonæ mentes bona opera gignunt.

Hermes autem Trismegistus 10. Pimandri dialogo ad Tatium (qui clauis inscribitur,) dum gradus uniuersi ostendit, quorum Deus supremus ita est, ut tamen sit omnia, Mundus secundus, Homo tertius, & sic deinceps, apertè significat, quæ differentia sit inter mentem, & animam, hoc modo: Mens quidem ab anima, inquit, anima uerò à spiritu separatur: indumentum mentis anima; indumentum animæ spiritus. & paulò antè; Anima hominis, inquit, in hunc uehitur modum: Mens in ratione, ratio in anima, anima in spiritu, spiritus in corpore; qui per uenas, arterias, sanguinemq́; diffusus animal undiq; ciet, molemq́; corporis suspensam sustinet, ac circunfert. Ex quo climace uano colligitur, Si mens, quæ suprema est

hominis pars, mala est, & animus, in quem habet imperium malus erit; & quae animo fiunt. Caeterùm Plato in Sophista duo malorum genera in animo ponit, improbitatem, & ignorantiam; & Maximus Tyrius Platonicus 1. Serm. duo animae constituit instrumenta, mentem, & sensum. Sed haec satis prouerbiali sententiae (ut redeamus ad institutum methodicae orationis artificium) sufficiant; cui appenditur grauis, & irato, uel offenso hero conueniens per aposiopesim comminatio, quam rursum praeteritione intercipit. quasi dicat, non uerbis hic, sed factis opus est: id'q; per dißimilitudinem correctoriam.

Sin eueniat (quod.

Complexio tandem syllogismi reponitur, fit'q; transitio à Daui opera ad Chremetis fauorem conciliandum rursum; ut Simonis consilium de uel fingendis, uel certè faciendis nuptijs (ut breuiscula parenthesi, uel digreßione innuitur) omnino non impediatur.

Nunc tuum est.

Alia transitio ad munus Sosiae triplex ex fine praescripto; primùm simulandae nuptiae; dein perterrefaciendus Dauus; postremò obseruandus Pamphilus. Quae singula eße uidentur parasceue ad sequentia; tamen Sosia ampliùs non audietur. qui modò se pariturum hero per omnia pollicetur. Atque hoc primo colloquio, & dialogistico congressu habes explicatam occasionem exponendi tum Pamphili utram'q; uitam, honestam, & amatoriam; tum fictum Chremetis consilium de fingendis nuptijs, quod postea serium duplici nomine fiet, ex nutu illius, & praeter nutum.

SCENA SECVNDA.

Non dubium est quin, &c.

Nunc uerò secundum colloquium instituitur, quo primùm herus, & seruus secum loquuntur de nuptijs; deinde con questio, fit de amore Pamphili partim à Sosia negato, partim à Simone non magni facto: ac postremo de faciendis, celandisq; nuptijs agitur. Estq; hic prima pars; cuius primum argum. sumitur ex adiuncto timoris Daui. Intercipiturq; hic Simonis soliloquium insperato exitu, & egressu domo, serui.

Mirabar hoc si sic.

Secundum argum. sumitur ex Daui etiam secum loquentis re pugnantib. uarijs; quæ à Simone tacitè soluuntur, & occupantur addita breui comminatione ab adiuncto mali. Quib. loquendi modis haud dici potest quid gratiùs, & theatro cõuenientius. Vide, quàm heri, et serui obmurmu rare non desinant, si quid in familia, et œconomia malefit.

Id uoluit nos sic.

Tertium argum. petitur ex dißimilib. inter se finib. quib. calli dè seruus heri consilium de nuptijs interpretatur. Obserua inter cætera metonymiam adiunctæ oscitationis, pro subiecta securitate, & improuidentia seruorum.

Astutè.

Synecdoche est speciei, pro generali uocabulo, callidè; Est enim aduerbium à nomine Ἄστυ; (mutatur enim y, in u,) hoc est, urbe Atheniensiũ, in qua qui uersati erant aßiduè (ut fit, & ut uulgò interpretãtur) cauti, callidi, uafri, ueteratores, malitiosi, uersuti, fallaces, obscuriq; dicebantur. unde illud in Eunucho, An in astu uenit? hinc astus, uel astutia, et astu tè. Cicero ad Attic. Iactatur & ille senarius apud Suidã;

Οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον ἀσυνὸς ἀνήρ;

Nil cogitat æqui urbanus uir.

Carnifex quæ loquitur?

Intercipiuntur soliloquia Simonis, & Daui; fitq; iam congressus ad secundam partem, & quæstionẽ de amorib. Pãphili concludendam. quæ primùm refutatur negatione simplici, et ironica contradictione; ex qua liquet esse legendum, agis, non, audis, in sententia, Hoccine agis, an non?

Sed nunc ea me.

Intercipitur ironικῶς conquestio, & fit transitus ad tertiam colloquij scenarij partem de nuptijs fingendo celebrandis primùm ex dißimilib. effectis. Quasi dicat Simo; Sua est adolescentiæ uoluptas, & ludus; sui sunt mores, & amores: sed tamen relinquendæ iam sunt nuces, ueniendũ ad seria, relictis ludicris, et nugis. Nã (ut ille ait in Art. poet.)

Conuersis studijs ætas, animusq; uirilis
Quærit opes, & amicitias; inseruit honori;
Commisisse cauet, quod mox mutasse laboret.

quamquam Pamphilus adhuc adolescens est. &, dictu mirum, quàm ut uariæ sunt ætates, ita & mores.

Dehinc postulo, siue.

Secundum argum. celebrandarum nuptiarum sumitur ex efficiente caussa opera Daui, quam Simo requirit, & addita correctione, ac conditione ad seruandum herile decorum, orat. Ibi, redire in uiam, metaphora è corpore ad animum, & à uiatorib. errantib. desumpta, significat resipiscere, mutare sententiã, reducere calculum, temperare morib. eos in melius mutare; changer de uie, & de condition.

Hoc quid sit.

Aposiopesis, abruptio, & reticentia uerbi, nescio, aut similis.

Cautè Dauus fingit se non assequi heri uerba. idcirco is explicat, & rem acu (quod aiunt) tangit, id est, difficultatem uxorem ducendi ex caußis geminis impedientib. amore scilicet, & ad amorem impulsore ostendit. Cur autem amatores nolint libenter uxorem ducere, ideo fit, quod, ut Comicus quidam ait;

Qui amat, si quod amat, habet, id satis habet sibi;
Pro cibo uidere, amplecti, osculari, atque alloqui.

quod'q; amor in tempore uires capit, & paulatim totum hominem amplexatur: habet'q; ingressum celerem, regressum uerò tardum.

Non hercle intelligo.

Alteram caussam allegorικῶς à Simone propositam fingit seruus se non intelligere, propter obscuritatem, quæ idcirco est, quod Simo rem Veneream, & scortationem apertè nollet declarare. adducit'q; seruus rationem, cur non intelligat ex dißimili prouerbiali sententia Oedipi philosophi Thebani, qui Sphyngis monstri solus ænigma, uel problema quod prætereuntib. proponi solitum erat, soluit. historia, seu fabula nulli non nota est.

Nempe ego apertè.

Simo ex assensu, confeßione'q; ignorationis serui arripit occasionem comminandi prudenter, ad maiorem nuptiarum cõfirmationem; fingit'q; tamen se explicare, quæ modestè, licet obscurè, dixerat. Comminatio autem, & interminatio eiusmodi petitur ex adiunctis periculi grauißimi, cõparatione minoris hyperbolici. Dare autem in pistrinum solebant nequiores famulos antiqui; in quos item erat ius dominis ad necem usque.

Quid, hoc intellextin'?

Σαρκασμὸς, καὶ εἰρωνεία mordax, & amarulenta ad perorationem, uel potiùs confirmationem ex adiunctis. Ibi obserua uocem, callidè, ut proximè, callidus fuerat. Qua Cicero, de Nat. Deor. utitur; Callidos uoco, inquit, quorum tanquam manus opere; sic animus usu concalluit. Versuti uerò sunt, quorum mens celeriter uersetur. Metaphora sumpta à callo cute pedum, uel manuum uola opere, & labore multò densiore, Græcè τύλλω; sed hic callidus πανοῦργος. Obserua item metaphoram in uoce, circuitione, à corpore ad rem incorpoream; & à gladiatorib. uel palestra; quemadmodum & ab oratorib. uel Disputatorib. qui obliquis insinuationib. & quasi tergiuersando suos fallunt Antagonistas: quæ ratio est Methodi prudentiæ, de qua in nostro opusculo de Dialectica Exercitatione.

Vbiuis faciliùs passus.

Occupatio ex comparatione minorum, quæ soluitur simplici contradictione prouerbiali; in qua est eclipsis uerbi, sunt, uel, facias, per ironiam. In, deludier, pro, deludi, syllabæ unius metri gratia adiectione, paragoge est; licentia uidelicet grammatica, non figura, sicuti hactenus, sed perperam, & inconsideratè à Grammaticis illis uocata est. Vide nostram Exercitationem Grammaticæ. Additur autem & hic postremò admonitio, uel potius repetitio eiusdem rei de non temerè quicquam effutiendo. Qui locus ablata unica de trib. negatione sic legendus est;

--- neq; tu hoc dicas tibi non prædictum.

SCENA TERTIA.

Enimuero, Daue, nihil, &c.

Tertius dialogus, uel colloquium habet consultationem Daui; an Pamphilum adiuuet, an Simoni pareat. in qua mirè il le perturbatur ob anxietatem rerum undiq; imminentiũ. Primo igitur loco statuitur Quæstio, quæ disputatur u- trinq; soliloquio Daui; sed tamen non, nisi tacitè, & obscurè, concluditur; in duas interim partes distincta per dilemma, ut uocant, utrinq; capiens. estq; elegans proso popeiæ species, quæ propria dicitur; (nam Dauus seipsum compellit, & alloquitur,) de qua nos in Rhetorica plura, quòd adhuc à nemine (quod sciam) obseruata sit. Est & addubitatio præ se ferens solliciti animi affectum. Obserua metaphoricam uocem, pessundabunt, pro, oppriment; ab aduerbio, pessum, id est, retrorsum, uel deorsum; quo cùm Plautus, tum Plinius in præfat. lib. 14. usus est; pessum iere uitæ pretia. Crediderim autem pessum, non aduerbium, sed supinum uerbum esse, ut, uœnum; ignoto tamen themate.

Segnitiæ, neque socordiæ.

Rectè Donatus alterum horum uitiorum ad actionem, alterum uerò ad considerationem retulit. nam, ut Salustius ait, Priusquam incipias consulto; ubi consulueris, maturè facto opus est. Allusio ad symbolum Augusti, σπεῦδε βραδέως, *festina lentè. & Isocrates Parænesi ad Dæmonicum ita præcipit;* βουλεύου μὲν βραδέως, ἐπιτέλει δὲ ταχέως τὰ δόξαντα: *delibera diu, celeriter uerò confice, quæ decreueris. Est & hic locus communis de reb. aduersis, quæ ingenium explorant, & arguunt.*

Si illum relinquo, eius.

Explicat apertiùs dilemma, uel distributionem argumenti quæstionis positæ ex adiunctis periculi. prior pars attingitur paucis: posterior uerò illustratur, & amplificatur uarijs adiunctis difficultatis, cognitionis, & iuris. Dare in pistrinum, similis locutio, quæ suprà, molæ asinariæ in molendinis alligare. Dare uerba, fallere est: facere uerò, loqui; delectus phrasis. Sic, quo iure, quaque iniuria; quod Gallicè dicimus, maugré bongré; ribon ribaine.

Ad hæc mala.

Regreditur ad primam distributionis, uel dilemmatis partem, cui aliud argum. partim, ex adiuncto grauidæ Glycerij, (quam hic describit ex adiunctis synecdochικῶς, & periphrastικῶς;) partim ex effecta deliberatione de tollendo, id est, suscipiendo, educandoq́; puero; (quem locum sententiosa parenthesi ex dissimilib. illustrat;) partim ex effecto etiam commento, & figmento (quod appellat) generis puellæ; quòd sit Atheniensis, & nobilis. Ac id quidē nō solùm est parasceue quædam obliqua ad Catastrophem in protasi ipsa; sed etiam confirmatio nostræ mythologiæ, & iudicij de hac Comœdia initiò positi.

Nam incœptio est.

In hac breuiscula degreßione, uel parenthesi iucunda est aurib. paronomasia, id est, uocum certa collusio, numerusq́; sonorus propter similitudinem; amans amens. Hinc illud poetæ cuiusdam;

Amare, & sapere uix Deo conceditur.

& in prima Cēt. nostr. Ludicrorū hoc emblema est ea de re:

Hi duo, sed pedites cæcum sectantur Amorem,
Et dolor alter adest, & Furor alter adest.

Qui personata natura sæpe mouentur;
Alter & Alterius proxima tecta subit.
Ne cadat imprudens hæc in teterrima monstra,
Is caueat, qui te, parue Cupido, cupit.

Cæterùm hic, tollere, in bonam partem accipitur, pro suscipere, educare, enutrire, alere, (ut iam suprà fuit;) & est synedoche generis, pro specie. Cicero Philipp. 13. Quis autem humilitatẽ despicere auderet cuiusquam, qui ex eadem sustulit liberos? Suetonius de Neronis parente; Deceßitq; Pyrgis, sublato filio Nerone ex Agrippina.

Fuit olim quidam.

Explicat commentum, ut uocat, de genere, & sanguine puellæ Glycerij, à breuiscula descriptione, uel expositione ab effectis, caußis efficientib. procreantib. relatis; unde maximam argumenti fabulæ partem habes iam cum superioribus.

Fabulæ.

Hunc locum non satis uidentur quidam intellexisse: nam primùm qui distiungunt τὸ, fabulæ, ab antecedentib. inciso, longè uel in grammatico sensu errant, addendo postea periodum: qui uerò carmen sequens à præcedente disiungentes referunt ad, uerisimile, non minùs in errorem incidunt; ut ex sequentib. patet: esset enim contraria subinde sententia; quia illud commentum appellatur. Quare legendum est duob. utrinq; additis punctis. fabulæ. Vel, fabula, per eclipsim uerbi, sunt, uel, est: sicuti postea in omnib. Comœdijs apparebit; sic cum fabulis, λόγοι, &, somnium, in Phormione, eodem sensu. Quo loco, & subiectione quasi dialogistica uidetur proxima expositio ex dißimilib. adiunctis. & est instar Prouerbij.

Sed Mysis ab.

Præparatione ad aliud colloquium ex diuersis, & finib. istud ipsum claudit. Vbi tamen uidetur priorem quæstionis partem tanquam sibi probatam in cōsultatione statuere, ac decernere. Est & ibi prouerbium, de quo uide Chiliad. 2. Cent. 5. Prou. αὐτοῖς ἀρέσκει, ipsis placet, blanditur, indulget, applaudit.

SCENA QVARTA.

Audiui Archillis iamdudum, &c.

Hoc quartum colloquium scenicum, uel potiùs soliloquium, ut proximum, uidetur digreßio ficta ad exhilarandum spectatorem. sed & hæc Comica industria frequens est in omnib. data opera commiscendis, ad maiorem turbam, & attentionem. Estq; muneris ancillæ descriptio in accersendo obstetricem ad Glycerium parturientem. Quæstio initio ponitur, An debeat Lesbia obstetrix accersi, eáq; dissimilib. caußis concluditur. Etsi ebriosa est mulier, tamen propter urgentem neceßitatem officiosè accersam. Hic subintelligitur, uocem; & est aposiopesis, ut post, iam dudum, addatur periodus. tum, quòd Lesbiam adduci iubes. ubi secum loquitur Mysis obmurmurando, & indignata. Id quod significat irrisione illa amarulenta, qua fit allusio ad uinum Lesbium. Est enim Lesbos insula in mari Aegæo, ubi Methymna urbs est generosiß. uini feracissima. Hic autem locus communis de ebrietate, & usu uini, quo Romani (ut scribit Plinius 14.) mulieres interdicebant, quas propterea licebat osculari. Vide Valer, lib. 2. cap. 1. &, Plato 2. de Legib. Plutarchus uerò de educandis lib. pueros interdicebant uino, ille ad duodeuigesimum annum; hic uerò ad octodecimum: ego uerò cen

ſeo ipſis bibendum, uel non, ab eo tempore, quo à nutricis mammilla exugenda pendentes diſiunguntur; ne propter repentinam poſtea mutationem longo iam uſu contracto, cùm ad maturiorem ætatem peruenerint, citius inebriētur, aut omnino ſint abſtemij. Sed hæc in ſchola copioſiùs à præ ceptorib. optimis tractari debent.

Importunitatem ſpectate.

Illuſtratio diſsimilis argum. prox. hac proſopopeia ad deteſtādam anum ebriam ex cauſſa efficiente appenditur mirè ſpectantib. grata. nec hic legendum eſt, importunitatem ſpectatæ aniculæ, per exclamationem, ut quidam putant; propter ſequentem rationem.

Dii, date facultatem.

Alia huiuſce loci illuſtratio ex effecto precationis per apoſtrophem ad Deos, tam pro Glycerio parturiente, quàm pro obſtetrice temulenta: qui locus etiam texitur comparatione breuiſcula minoris; ſed quæ uerè muliérculæ, & ancillulæ ingenium ſapiat. nec enim Dij dant locum peccandi, aut uolunt; tametſi ſinunt; quia cùm malè uellent, mali quoque, uelis nolis, eſſent: ſed de duob. malis famula eligit leuius. Sunt qui noſtro tempore hanc mulierculæ impiam pietatem probent: nec intelligunt animo, & uoluntate metiendum peccatum.

Sed quidnam Pamphil.

Paraſceue item fit ad ſequentem dialogum, ex adiunctis timoris, & perculſi animi amantis Pamphili. Vbi metonymia eſt cauſſæ, pro effecta turbatione. quanquam incertū eſt utra uocum præcedere debeat: & ſic bellum populi (qui turba dicitur) etymon habes.

SCENA QVINTA.

Hoccine est humanum,&c.

Quintum, & ultimum primi actus colloquium habet patheticam, & penè tragicam Pamphili querelam aduersus patrem (facinus;) de nuptijs faciundis; & fidei tamen Glycerio datæ multò maiorem, etiam inuito Simone, si res exigat, confirmationem. Quæstio primi membri itidem initio posita est, maximis affectib. expressa sed primùm paulò generaliùs, tum apertiùs. Pamphilusq; secum loquitur, ut & Mysis, quæ hic suam attentionem, explorationemq; interserit. Omnia autem abrupta ferè sunt ob uehementem perturbationem, & indignationem. Estq; hic legendum, decreuit, non, decrerat, ut sensus requirit.

Non'ne oportuit præsc.

Argumenta indignationis ob contumeliam patheticè adferuntur, quæ ita cum quæstione ipsa concluduntur:

Si nihil mihi antè de nuptijs tam subitò faciendis significatum fuit, & si à Chremete spretus nunc repetor; certè mihi fit magna contumelia, & propterea meritò indignor:

At illa fuere omnia: Ergo hoc quoq;, uelis nolis, erit.

Hic igitur antecedentis primum argumentum, & pars ex repugnantib. nam ut parentib. reluctantib. contrahi non debet matrimonium; sic nec inuitis liberis. quod & leges ciuiles sanciunt.

Quid Chremes, qui.

Secundum argum. antecedentis ex dissentaneis etiam repugnātib. repudior, & rursum accersor, ait Pamphilus. quod illustratur caussa fine, sed incerto; & adiuncto incommodi grauissimi consequentis, eò semper amans redit.

Adeon'eſſe hominem.

Conſequens uel complexio ſyllogiſmi ex cõparatione minorũ, & remotione cauſſæ fugiendarum nuptiarum, & generis Chremetis. Obſerua hic prouerbialem formulam loquendi è Iuriſprudentia deſumptam, cùm legitima fit pactio.

Quot modis contempt.

Repetitur ſecundum argum. & illuſtratur adiunctis, ut & fictitio fine periculi, quod metaphorικῶς per, monſtrum alere, ſignificat. Cuius effecti ratio mox ſubijcitur ex adiuncto difficultatis, unde puella deſponſata uituperatur.

Itur ad me.

Repetitur etiam primum antecedentis argum. & adiunctis indignationis illuſtratur. id'q; per elegantem proſopopeiam orationis, & ſuaſus paterni de repentè ducenda uxore Pamphilo, ex effectis, & paris hyperbolici, nimium'q; uehementis comparatione. Quæ omnia alteram etiam partẽ conſequentis demonſtrant. Qua quidem re nihil poteſt pingi iuuenili affectui conuenientius.

Cenſen' illum me.

Alia illuſtratio, & amplificatio proximi conſequentis ex adiunctis ægri nimium propter dolorem, indignationem'q; animi. quippe qui perturbatus uires ſuas non poſſit exerere. Irati enim ueluti de ſede, & ſumma rationis arce in præceps ruunt. Vulgatum eſt illud;

Impedit ira animum, ne poſſit cernere uerum:

unde Philoſophi arripiunt occaſionem ita admonendi, Duobus contendentibus altero irato, qui non repugnat uerbis, eſt prudentior. Quam ſententiam Plutarchus

ex Euripide his uersib. adfert;

Δυοῖν λεγομένοιν θατέρου θυμουμένου,
Ο΄ μὴ ἀντιτείνων τοῖς λόγοις, σοφώτερος.

Sed nunc quid primùm.

Tertia illustratio, & amplificatio ex dißimilib. quib. appenduntur efficientes caussæ numero quatuor, quib. in triuio esse (quod aiunt) Pamphilum deprehenditur: inter eas autem pudor patris uidetur obtinere præcipuum locum in filio; ne degener, & nimiùm petulans habeatur; tametsi amore uincitur. Obserua licentiam grammaticam, tmesim, in, Quæ, meo, cunq;, pro, quæcunq; meo. Estq; hic legendum per exclamationem, & ut carmen constet, ingeminatum, me me.

Misera timeo hoc.

Crebra Mysidis interseruntur querelis Pamphili epiphonemata, ut hic fit præcipuè ex adiuncto motus. Consultat igitur de conueniendo Pamphilo. quod & fit hoc congressu; ubi primùm dolor, & timor parturientis Glycerij exponitur; sed ex fine hic, ut ille ex generali effecto per synecdochen: appellat enim dolorem parturiendi. ac sic fit transitio ad secundum huius colloquij membrum de seruanda fide Glycerio.

Hem? ego'ne istuc.

Primum igitur argum. confirmandæ fidei sumitur ex adiunctis uarijs, ut neceßitatis, amoris, & mutuæ fidei. Honesta inde Glycerij mentio, & laus texitur. Obserua ibi, eductum, pro, educatum; & paragogem licentiam in uerbo, immutarier.

Haud uereor, si in.

Prolepsis ab adiuncto alienæ, idest, paternæ potestatis; quæ

ex caußis soluitur, & remouetur; inter quas, principatū habet, fides; quæ sacris, & humanis non solùm testimonijs, sed etiam exemplis innuentib. seruanda est, & hosti quidem; ut rectißimè Cicero 3. Offic. disputat.

Vnum hoc scio.

Confirmatio proximæ solutionis, ex adiuncto meriti uariè amplificatur, ac probatur, addita interim correctione Pamphili: ubi longa est, sed apta prosopopeia Chrysidis morientis; cuius recitatur oratio, & adhortatio ad Pamphilū de ducenda, seruandáq; Glycerio.

Mi Pamphile, huius.

Oratio ergo Chrysidis prosopopeica, et fictitia hic describitur à Pamphilo eius rei optimo interprete, & recitatore: cuius summa, & quæstio est, An Pamphilus ducere debeat Glycerium: argumenta sunt ex adiunctis; & syllogismus ad hunc modum conclusus;

Si te digna est Glycerium, & ego te obtestor, ut ducas; eam deserere non debes, ait Chrysis Pamphilo:

At illud est; quia pulchra, quia adolescentula, quia morigera omnino; & ego te ut id facias obtestor:

Ne igitur Glycerium deseras, quæso; sed ei fidem seruato, rogo te.

Aßumptio hic præcedit illustrata adiunctis periculi. Complexio in quarto uersu exornata obtestatione, & deprecatione. Propositio ultima septimo.

Per hanc te dexteram.

Dextra per metonymiam significat fidem, & fœdus: sic apud Virgilium 4. Aeneid. Est & alius antiquitatis locus de Genio in iureiurando, & obtestatione innocato; ut apud Horatium in Epist.

Quod te per Genium, dextramq́;, Deosq́; Penates
Obsecro, & obtestor, me uitæ redde priori.

Crediderim autem dextram idcirco fidei, beneuolentiæq́; signum antiquis familiare fuisse, quòd manus illa ad omnia maximè apta sit; indeq́; ipsam iungendam amicitiæ ergo solemus, non sinistram; uel quod primarium semper locum obtinet. Obserua item hic locum communem de forma, quæ impudicitiæ maximè obnoxia est, iuxta illud Iuuenalis Sat. 10.

---rara est adeo concordia formæ,
Atq; pudicitiæ.

Vnde fit ut Daphne apud Ouidium 1. Metamorph. ab Ioue petens conseruari posse uirginitatem, tum Deus ita respondens

Illi quidem obsequitur; sed te decor iste, quod optas
Esse uetat, uotoq́; tuo tua forma repugnat.

& Ouidius ipse aliàs hanc mythologiam describit hoc uersiculo eleganti;

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

quid uerò fiet Glycerio formosæ, & adolescentulæ, si deseratur?

Hanc mihi in manum.

Hactenus fictitia oratio Chrysidis fuit, sed quæ ad lachrymas, & misericordiam uel durum hominem moueat. tanta est uis eloquentiæ Terentianæ: nunc fit uelut illius peroratio, & regressus ad fidem seruandam. Est igitur sententia complexionis syllogismi, sed alio modo, & persona repetita; tandemq́; fit occasione discessus celandarum nuptiarum admonitio.

ACTVS SECVNDI SCENA I.

Quid ais, Byrrhia? datur'ne, &c.

Secundus actus partim ad protasim, ut primus; partim etiã ad epitasim spectat; eius'q; primum è sex colloquium habet adiunctam quasi pro parte altera protaseos, & caussæ fabulosæ, Carini conquestionem de amittenda Philumena, si Pamphilo nupserit; & affectuosam obsecrationem, ne Pamphilus eam ducat. unde maior turba fiet in epitasi. Caussa igitur querelæ hic precedit ex adiuncto minoris. & est exclamatio pathetica, crebris metaphoris à corpore ad animum exornata.

Quæso ædepol, Charine.

Interseritur interim consolatio, & consilium Charini serui, quo heri commotum animum conatur mitigare ex necessitatis caussa primùm, deinde ex comparatione maioris. Eiusmodi autem argumentum sententiosum, & prouerbiale est; quo nihil ob sonoros numeros, & conuersionem uocum dici uenustius, nec ob rei ueritatem melius, aut sanius potest. Cuius sensus est; Oportet id quod adest boni *consulere:* δεῖ τὸν παρὸν εὖ τίθεσθαι. *nam idem sonat,* οὐ δυνάμενος, ὃ θέλεις, θέλης, ὃ δύνασαι. *&* Martialis *ad seipsum inter ea, quæ uitam beatiorem efficiunt, hoc unum addit;* Quod sis, esse uelis. *Vide Chiliadas. sed & nos ea de re copiosè disputauimus in libro de animi tranquillitate. Obserua metaphoram ab affectione ignis, in uerbo, incendatur, libidini maximè conuenientem,*

Facilè omnes cùm ual.

Charinus retorquet, & dissoluit argum. Byrrhiæ non minùs sententiosa paroemia, tametsi à non multo cordato adolescente

lescente producta, ex dißimilib. quorum pars prior contexitur similium comparatione, nimirum ab ægrotantib. desumpta. Vide Chiliad. 1. Cent. 6. Simile est;

ἅπαντες ἐσμὲν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί:
αὐτοὶ δ᾽ ἁμαρτάνοντες οὐ γινώσκομεν.
In admonendo sapimus omnes; uerùm ubi
Peccamus ipsi, non uidemus propria.

Quòd autem libido sit animi morbus, & cæcitas, Plato in Phædro satis ostendit his uerbis: Amantes, inquit, propter cupiditatis ardorem in iudicando falluntur. quin & excæcatus inde animus aut non perspicit; aut si perspicit, sequi recta non potest; adeo ut clamet cum insaniente illa, tragicaq; Medea,

---Video meliora, proboq;,
Deteriora sequor.

Sed Pamphilum uideo.

Parasceue, & transitus ad alteram colloquij partem de obtestatione Charini ad Pamphilum. cuius rei hic deliberatio est ex adiunctis spei; quæ benè, uel malè in reb. deploratis adhuc esse iubet. Ea igitur hic communis locus est, de quo postea plura.

Si nihil impetres.

Occupatio ex adiuncto periculi, & turpitudinis adulterij. Μοιχὸς enim hic, adulter est; unde uerbum μοιχεύω, uel μοιχάζω, adulteror. Solutio uerò illius petitur à contradictione periphrastica indignatione plena. ibiq; metonymia est sceleris adiuncti, pro subiecta persona scelesta, uel scelerata serui.

Salue Pamphile. ad.

Fit ergo congressus ad secundam colloquij partem. quæstioq;

primo loco detegitur, ut fit in deliberatione, & urgente necessitate; sed tamen obscurior; nec enim omnino audet Charinus uulnus primo intuitu detegere; saltem eius authorem celare uidetur, quam prodit tandem seruus. Sic igitur locus concluditur ad spem Charino concipiendam:

Si tu, Pamphile, ait Charinus, aut non duxeris Glycerium, aut nuptias in aliquot saltem dies protraxeris, ero bono animo:

Sed illud, aut hoc mea caussa facies; quia te obnixè rogo, & tu ipse iam fortè id mihi uel ultrò, citróq; concedis:

Quamobrem ego certò mihi persuadeo me tua opera fore bono animo.

Propositio, uel antecedens hic est; ubi obserua locutionẽ, Ne iste haud mecum sentit; id est, amat quod odi. ubi etiam quidam legunt, facit, quod itidem pro, consentire, accipitur.

Ehodum, dic mlhi.

Prolepsis ex adiuncto suspicionis rei Venereæ. quæ simplici contradictione soluitur, optatione Pamphili illustrata; qui nihil aliud, quàm occasionem sibi offerri uolebat, qua nuptiæ dirimerentur: & ita uoto Charini ex animo respondebat.

Nunc te per amicit.

Assumptio argumentat. adiuncto necessitatis in duas distincta partes, quarum altera correctio alterius uidetur, ut non omnino pati repulsam Charinus possit. Iudicium autem, (quod maximopere obseruandum est,) huiusmodi assumptionis ab opinione, nõ certa sciẽtia pendet: Est enim contingens enunciatio tantùm: itaq; nisi conditione, & tanquam pacto Pamphili admittatur, falsa iudicetur necesse est: accepta autem, etiamsi partes ueræ sint, opinionis tan-

tùm iudiciū faciet. quæ (ut Heralitus apud Diogenē Laertium ait,) ſacer eſt morbus; ἡ νόησις ἱερὰ νοσός ἐστι: Sic enim lib. 9. ſcribitur.

ἥτε νόησις, ἱερὰ νοσός ἐστὶ, καὶ ὅρασις ψεύδεται:

Opinio, ſacer eſt morbus, & uiſus fallitur.

Congruit autem eadem mirum in modum amatorib. Obſerua phraſim, cordi eſſe, id eſt, maximè placere, gratū eſſe, animo ſedere. Cic. 5. ad Att. Dionyſius nobis cordi eſt. id eſt, ualde placet. eſt enim cor, ſedes animi, ex antiquorū ſententia; unde & cordati, generoſi, animoſi, ſapientes dicti.

Audi nunc iam.

Aſſumptionis approbatio modeſta ex maioris comparatione, & adiuncto repugnante, uel diuerſo illuſtrata, & exornata: ibiq; paragoge eſt in uerbo, adipiſcier; licentia nimirum quæ iam ſuprà fuit, Comicis poetis frequentiſs.

Reddidiſti animum.

Complexio, uel conſequens argumentationis connexæ tandem reponitur, & Pamphili amica permiſſione ex diſſimilib. illuſtratur, ſed ita, ut iam modò Charino ſollicito nimium de ſuis amorib. & iiſdem ſauciatio penè ſit ſatis.

Dauum optume.

Paraſceue, & occaſio ad ſequentem dialogum. ubi lepida ſeruorum comparatio diſſimilis ab effectis inde contexitur ad reprehenſionem, qua quàm bellè amatorum affectus exprimuntur: quippe qui uelint omnia audire de ſuis grata, etiamſi mendacia mera ſint.

SCENA SECVNDA.

Dii boni boni, quid, &c.

Hôc colloquio Dauus certis quibuſdam coniecturis adductus

nuptias nec Simoni, nec Chremeti animo esse, nec Pamphilo cohærere (quem magna diligentia quæsiuit,) utriq; amatorum unà fortè adstantium renunciat. Ac primùm hic magna conciliatur attentio ex caussis, & effectis lætitiæ. ubi addubitatio est ab adiuncto comperiundi Pamphilum difficultate. Epizeuxis est in geminatione acclamationis, boni, boni. Vbi non possum non mirari Grammaticorum illorum ingenium, cùm assignant uerborum, ferre, &, portare, differentiam, uel parilitatem: quasi non intelligatur metaphora corporis ad animum: &, quòd nihil sit corporis, quod per similitudinem ferè animo non attribui possit. Explere gaudio, metaphora alia ex mensuris. Obserua item Pamphili, & Charimi soliloquio Daui, eodemq; continuo interpositas uoces. ne quis studiosus hic titubet ob sententiarum interruptionem. Id quod ab optimis præceptorib. exactè pueris fieri oportet.

Daue, ades, resiste.

Congressus tandem fit accersito Dauo, & oportunè nõ modò Pamphilo, sed etiam Charino cõpertis. Longa, & obliqua est ob Pamphili dubitationem insinuatio ad sequentem gaudij, & rei expositionem. affectus dolentis Pamphili uerè exprimitur, ut & suspicacis; cui difficile est quicquam persuadere. Obserua metaphoram ab aromatib. in, obtundis.

Id paues, ne ducas.

Questio uerò iam statuitur à seruo, ex fine periculi dissimilis, quod uidelicet nullum sit. Argumentum petitur ab adiunctis coniecturis, & circunstantijs tam apud Simonem, quàm Chremetem collectis: indeq; ita concluditur;

Si ex Simonis uerbis conijcere potui, & nullus est apud Chremetem alius, quàm solebat, quotidianus uidelicet, apparatus, & huiusmodi; certè nihil est periculi:

At illud est, nisi me sententia fallit: Ergo hoc quoq; sit. Hic igitur propositio, uel antecedens syllogismi connexi in duas distincta partes: primùm enim de Simone patre agitur; tum de Chremete.

Libero: uxorem iam.

Assumptionis uel antecedentis propositi prior pars; quæ sibi repugnans uideretur, nisi significaret seruus circunstantias simulationis, quas tamen præterit data opera, ex adiuncta loci necessitate. Illustratur autem sententia illa ex adiunctis effectis diligentiæ Daui in perquirendo hero; qualia sunt loci, personæ, exitus, reditus, suspicionis, & huiusmodi. ubi prosopopeia est propria in securitate serui exprimenda ob rem compertam, ut putabat.

Egomet continuò ad.

Posterior assumpti, uel antecedentis pars de Chremete petitur etiam ex uarijs adiunctis, & circunstantijs loci, apparatus, & huiusmodi, quæ fieri solent, & contingere nuptijs. Argumentum hic à consequentib. quod à quodam est annotatum, ridiculum est: nam consequentia ex omni argumentorum genere sumuntur. adiuncta ergo hic dicantur. Ornati, tumulti, uetusti genitiui sunt, pro, ornatus, tumultus, declinationis imparisyllabæ secundæ; qui rursum innouati sunt, pro antiquatis, ornatuis, tumultuis: quod ex datiuo casu apparet; indéq; sunt quantitate syllabæ longæ per contractionem compensati.

Non uidentur conuen.

Complexio syllogismi alio item argumento adiuncto exigui, quotidianiq; apparatus illustrata. Ibi uictus antiqui frugalitatem obiter obserua; & uoculam, obolum, qui genus ponderis, & monetæ exiguæ fuit apud antiquos. Vide Budæum de Asse.

At nullus quidem.

Occupatio, qua complexioni proximæ, aliquid detrahitur. reprehenditur enim uitiosa argumentatio ex repugnantib. Falsa enim propositio erat, cùm ita Charinus concluderet:

Necesse est aut Pamphilum, aut Charinum ducere Philumenam:

Sed Pamphilus non ducet: Ergo necesse est ut Charinus ducat.

falsa enim complexio est, ex falsa in partem propositione. additur itaq; conditio ex adiunctis, & caussis dissentaneis. Caput significat hic totum hominem per synecdochem. Ambis, metahoricum est. Est & hic eclipsis; nam subintelligitur; nihil efficies, præstabis nihil, aut quid simile. Postremò assensus reprehensionis, & deliberatio Charini ponitur ex dissimili. Atq; ita ingenuus meritò uel à seruo taxatur.

SCENA TERTIA.

Quid igitur sibi uult, &c.

Tertio dialogo Simonis consilium de simulandis nuptijs Pamphilo retegitur; eiq; persuadetur à Dauo, ut se uelle quoq; uxorem ducere simulet. Atque ita secundus progressus protaseos ad epitasim erit, quo à Dauo inscio inscius Pãphilus in periculũ conijcitur. Consiliũ autem illud declaratur ex dissimilib. effectis euentis, destinatisq; Pãphili. Sensus ita intelligendus ex fine primi colloquij primi actus; Si dixeris

te uelle ducere uxorem, parebis; et ita succensere tibi nō, nisi magna iniuria, poterit: sin te nolle, culpā in te totā transferet, et sic habebit obiurgandi, animaduertendiq; occasionē.

Quid uis patiar?

Consultatio deinceps fit, sed antequam statuatur quicquam, argum. obliqua insinuatione assumitur ex efficiente procreante; quòd Simo sit pater, ac proinde ipsi parendum: item ex adiuncto diuitiarū, uel opulentiæ; ac postremò periculi abdicationis; ut tollatur necessitate, & honestatis ratione difficultas. quanquam hic & consultor, & consultus ambo falluntur; ut non sit mirū si serui huius iactantia dominum circumuenerit. Ideoq; Plato 6. de Legib. prudentiss. admonet, nihil in animo seruili esse integrum; nec quicquam seruorum generi esse credendum; quib. ex poetæ sententia, dimidium mentis Iupiter aufert. Vide Ciceronis epist. de Prouinciæ administrat. ad Quint. fratrem. Cæterum crediderim Pamphili esse, non Daui, hæc uerba, Difficile est.

Dic te ducturum.

Quæstio modò aperta ponitur, & uarijs causis, ac euentis concluditur ad hunc modum:

Quod tibi proderit, id præstare ex animo debes:

Proderit autem simulare, te uelle ex sententia patris uxorem ducere:

Quare & id ipsum certe ex animo præstare debes.

hic propositio suo loco ponitur, quam non facilè admittit Pamphilus.

Ex ea re quid fiat.

Assumptio uerò primùm generaliter attexitur ex fine; quem sinistrè ex dissimilib. interpretatur Pamphilus: (quo in loco esse legendum, hac, non, huc, sensus uel

pueris oſtendit:) unde ſerui merita reprehenſio; et argum. ita explicatur per elegantem proſopopeiam genuinam. Obſerua item munerum in his uocib. certa, incerta, ſi tamen admittitur ex contrarijs uocib. & licentiam Grammaticæ, ſient, pro, ſint.

Nam hocce haud dub.

Prolepſis, uel occupatio de Chremetis filia, ex adiunctis ſecuritatis ſoluta, ut & paris breuiſcula comparatione: cuius ſententia talis eſt; ille nec mutabit ſententiam, nec tu ipſe mutabis; ait ſeruus de Chremete, Pamphilo.

Patri dic uelle, ut.

Iteratur aſſumptio, fine eodem, etſi diuerſis uerbis repetito. Cui adiungitur alia occupatio timoris, ex adiuncto contrariæ ſpei, & comparatione maioris ſoluta. Verbum, ſperas, per catachreſticam ſynecdochen pro, times, contrario, accipitur: Sic Virg. 4. Aen.

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

& aliàs, at ſperate Deos. ſic Græcis ἐλπίζω, uel ἔλπομαι; ut apud Herod. lib. 8. ἀντιπάλους γὰρ ἔξειν ἤλπιζον; aduerſarios enim habere ſperabat. Eſt'q; locus de ſpe concipienda in reb. aduerſis, & afflictis, non abijcienda. Cuius elegans eſt deſcriptio ex effectis parib. apud Ouidium lib. 1. de Ponto, (in quem, heu, neſcio quid factum ſit noſtris amiſſis iniuria temporum commentarijs,) inter'q; cætera ſic ait in Spei apotheoſi:

Hæc Dea, cùm fugerent ſceleratas numina terras,
In Dijs inuiſa ſola remanſit humo.
Hæc facit ut, uideat cùm nullas undiq; terras,
Naufragus in medijs bracchia iactet aquis.

Sed quia in ſpei deſcriptionem incidimus, ideo non pigebit

ſymbolum noſtrum diuina quadam prouidentia datum, & eiuſdem ſpei effectum inter cætera eximium complectens, aduerſus calumniam, & neſcio cuius liuiduli cauillationem defendere hoc modò;

SPIRAT QVI SPERAT. ſunt hæc mihi
symbola uera;
Experior'q; bonis, experior'q; malis.
Sed ſunt ut conceſſa mihi diuinitùs uni;
Sic torquere alio nomine, grande nefas.
Zoile, tu facis id; quin mutas, perdite, contrà:
Vt Deus eſt author, ſic Deus ultor erit.

Itan' credis? haud.

Iteratur ſecundò aſſumptio ad maiorem certitudinem, & fidem faciendam à ſeruo temerario, & incerto: ac mox tandem complexio adiungitur: quæ admonitione de puero nato celando illuſtratur: quem quidem ait ſe ſuſcepturũ, & educaturum affirmat ex effecto datæ fidei. tandem'q; admonitioni paret ſeruus.

Sed pater adeſt.

Paraſceue, & tranſitus perbreuis ad ſequentem dialogum; unde occaſio exoritur admonendi de diſſimulanda triſtitia: ſed (ut Pamphilo paucis ita dicam, & admoneam ingenuè,)

Lætitiam ſimulat, premit altum corde dolorem.

SCENA QVARTA.

Reuiſo quid agant, &c.

Quartum colloquium breuiſculum eſt, quo exploratur Simo meditans, & ſecum loquens, (ut ſenib. uſu uenire ſolet,) & adhortatio fit ad Pamphilum, ut præſenti animo patrem alloquatur. Et quanquã id plus habere actionis, et

histrionicæ, quàm eruditionis, & doctrinæ; tamen tres locos inde eliciemus dignos, qui uel doctis proponantur. Primus est igitur logicus, secundus ethicus, tertius uerò physicus. Actio, ut primùm annotemus, uel pronunciatio Rhetoricæ (ut in absolutiss. ea de re opusculo docebimus) cùm affectu, & gestu constet; & rursum affectus hic sit uocalis, uel mutus, id est, cogitatus quidam; certè hæc pars tam necessaria, tamq; theatris in usu, à Rhetorib. antiquis, & recentib. prætermitti non debebat. Cuius rei exẽplum hic in Simone cogitabundo, & meditante secum apparet; qui etsi non loquitur, tamen animi sui sensum, conceptumq; mentis eiusmodi signo, & cogitatu exprimit.

Ostenditq; (ut de secundo breuiter dicam) quidnam sit suis liberis à patribusfamilias continuò faciundum. Nam quemadmodum oculus domini (ut abijt in prouerbium) est, qui equum nutriat; sic patris, qui liberos rectè educet. Qua de re uide Plutarchum, & Sadoletum in libris de Puerorum educatione. Hanc igitur regulam seruent optimi parentes, & præceptores; ut quantùm expedire uidebitur liberos suos obseruent, & quid agant, explorent.

Postremus uerò locus restat in eo, quòd apud parentes frequentiùs liberi afficiantur pudore, quàm apud cæteros: tametsi magna illorum erga hos indulgentia, & familiaritas. An igitur quòd natura quodam instinctu, & diuina quadam prouidentia, et sanguinis generosa quadam ui hanc animorum consonantiam efficiat, ut nihil sibi discrepare uideatur? an uerò quòd frequentes, & familiares magis non modò patrum increpationes, sed etiam correctiones, & pœnas liberi ipsi sentiant, à quib. non ad alium prouocare possunt, aut debent?

Sed hæc de doctrina satis in scribendo: hic extimulent uoce uiua animos adolescentum optimi doctores. redeo igitur ad artificiosam methodum, & analysim dialecticam, qua hic explorationem senis ex effectis, & adiunctis exploramus. Quo in loco uel legendum est, occasionem, uel, orationē, pro ipsa occasione intelligendum. nā hæc phrasis, inuenire orationem, pro, excogitare, habere, comparare, non ita placet. Differre, hic est, protrahere, & disturbare.

Proin tu face, apud.

Altera particula colloquij ab occasione præcedentis coniecturæ, ac suspicionis pendet, qua adhortatur Pamphilum Dauus, ut resumat uires apud patrem. Id quod adiuncto difficultatis occupatum soluitur, & confirmatur ex obtestatione ab adiuncto certitudinis. Face, secundū est futurū (uulgò præsens imperatiui) antiquatū, pro innouato, fac: quāquā illud suo loco positū nō omnino gratia caret. Esse autē apud se, intelligi cōmodiss. potest cōtrario, esse extra se. Timor officit sensib. sed præcipuè cùm is nō est uerecūdia, et pudor ex uirtute proueniēs, sed ob malè actū, uel agendū,

Commutaturum.

Commutare uerba, ἀμφιβολόν, καὶ μέσον ἐστιν: aut enim est mala, pro bonis; aut bona pro malis ingerere, (ut taceam de generali ratione;) quod posterius tamen est rarius. Sensus est, nihil discrepabit, uolet, assentietur, non repugnabit: ut aliàs, Tria uerba non commutabit. Est & hic hyperbole, superlatio, in uoce, unum uerbum; pro, ne tantillùm quidem, ne lato ungue.

SCENA QVINTA.

Herus me relictis, &c.

Quintus dialogus habet explorationem Byrrhiæ cum Dauo;

quidnam Pamphilus dicturus, acturus'ue sit; & ipsius in nuptijs contrahendis simulationem apud patrem. Hic prior particula declaratur ex caussis, & effectis. Aduerte autem non esse legendum, id propterea, quicquid cauillentur Grammatici; sed, id propter; addita uocula emphatica, ego, ut uersus ita constet, posito tamen secundo loco choreo, (qui alijs perperam trochæus est, ut aliàs monuimus;)

Scirem, id propter ego nunc uenientem sequor.

quin & uoculam, huc, interserere potes post, nunc. Atque hic locus restitutus est. Sic, hic agam, potiùs quàm, hoc agam, legendum puto; ut Dauus sit cum Byrrhia, quorum uterq; in sequente parte suas excubias uelut agendo, interserunt uoces, ut ita loquar.

Pamphile; hem pater.

Altera particula hoc congressu deducitur ab effectis: præcipit enim pater, fingit uerò se obtemperare filius: cui tamen ille propterea, sed fraudis inscius, ex adiuncto decoris, & gratiæ conatur gratulari. Locus comm. de obtemperando parentib. & ijs uenerandis, ut Plato 4. de legib. per totam uitam præcipit. Hunc igitur explicabunt pueris fideles, et diligentes præceptores; addent promißiones, & pœnas propositas, & huiusmodi officij rationem tractabunt. Hic, uxore excidere, priuari est, per synecdochen speciei, pro genere. Sententia sic habet; Certum est Charinum herum meum spem omnem abijcere debere in ducenda Philumena. Est & paronomasia in uocib. uerus, herus.

Nulla'ne in re esse.

Ac propterea ita exclamat Charinus, conqueriturq; grauiter de fide, quam seruari hero suo à Pamphilo non putat, dū

non intelligit ſimulationem. ſic mirandum illud eſt induſtriæ poeticæ argumentum, quo fit, ut cùm omnes conſultißimè ſibi agere uideantur; omnes tamen inopinato rerum euentu deludantur. Similis ſententia eſt apud Virgilium.

Nuſquam tuta fides.

In animis enim hominum latebræ multæ ſunt, multiq; receſſus, ut Plinius ait: ac proinde non temerè cuiuis credendum: ſed ἀπιστία illa, quam Demoſthenes 2. Philipp. explicat, & inducit, perpetuò ferè tenenda. Cantio eſt puerorum in ſenilib. diſtichis illis;

Rara fides, ideo, quia multi multa loquuntur.

reponendum ibi eſt Echo alicui; Sed pauca præſtant, aut nihil.

Verum illud eſt.

Conqueſtionis illud igitur fuit primum argum. ex adiuncto infidelitatis; alterum ſequitur ex teſtimonio prouerbiali, quod Byrrhia tandem explicat ex effecto, & comparatione minoris. Sumptum autem illud uidetur ex Euripide in Medea, ubi ſic ait;

Ὡσπερ τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ.

Quàm quiſq; ſemet plus amico diligit.

Locus igitur eſt de φιλαυτίᾳ, nimio ſui amore.

Renunciabo, ut pro.

Relatio explorationis ſeruo commiſſæ ex fine ironico, & fortaſſe uero, uti res continget, atque ſerio contexta, iſtud colloquium tandem iucunda quadam ratione concludit. ubi malum, pro incommodo, generali modo ſynecdochικῶς accipitur.

SCENA SEXTA.

Hic nunc me, &c.

Hactenus fabulæ huius protasis fuit in duob, ferè actib. nunc epitasis sequitur sub finem alterius, qui sextus dialogus est, quo Daui dolus in Simonem exprimitur, tam in confirmando nuptias esse Pamphilo gratas, quàm in maiorem sumptum exigendo nomine Pamphili. Fingitur autem primùm Dauus ita secum loqui, ut tamen à Simone uelit audiri. Est enim stratagema, & ironia. unde disquisitio fit de nuptijs gratis. Cui rei Dauus interserit suam suspicionem ex adiuncto. Potin' antiquum, pro innouato, potes'ne; potis, enim fuit in usu.

Num illi molestæ.

Apertior disquisitio ex caussa confirmata, uidelicet, Glycerio, quam hospitam per synecdochem appellat. quæ quidem negatur contradictione; cui addit occupatiunculam, & correctiunculam ex adiuncto temporis; id'q; nescio qua forma loquendi mirè conueniente ad fallendum herum. Legendũ autem hic puto, reportabit, non, reputabit; quicquid comminiscantur Grammatici de significatione uerbi; ut sit metaphora continuata, id est, allegoria. sensus est illustratus honestè in re obscœniore. Huic autem correctioni adiungitur gratulatio ex caussis, & adiunctis dissimilib. Similis autem ferè sententia fuit in primo colloquio primi actus. Est'q; locus communis de fugienda infamia.

Subtristis uisus est.

Occupatio ex adiuncto tristitiæ; quæ soluitur ex fictis adiunctis sumptus nimis exigui, & repugnantib. quæ magna difficultate fingit se uelle dicere seruus. Est'q; in expositione conquestionis eiusmodi fictio personæ Pamphili. Ibi ob-

serua drachmam, quæ species ponderis, & monetæ fuit, et octodecim siliquas, uel scrupulos tres ualebat, id est, denarium Rom. & monetæ Gallicæ semissem, & tres asses turoneos.

Tace.

Approbatio tacitæ reprehensionis, & pollicitatio melioris in futurum ex adiuncto diligentiæ. propter quod exultans seruus acriter ab hero reprehenditur ex adiunctis suspicionis, & efficiente caussa mali, & doli. ubi, caput, παροιμιακῶς, pro authore, & præcipua negotij parte per synecdochen, & metaphoram ponitur. Sed quia hic tacendum præcipitur seruo, & mihi quidem interpreti hic quiescendum, & respirandum est.

ACTVS TERTII SCENA I.

Ita pol quidem res est, &c.

Tertius deinceps actus insequitur quinque dialogis comprehensus, ad maiores turbas epitaseos concitatas demonstrandas. Primus autem dialogus, uel colloquium uariè perplexum, & perturbatum est: ibi enim quisq; personam suam nescio quo modo repræsentat: summa tamen est in descriptione sermonis mulierum, timoris Daui, & indignationis Simonis ab effectis, & adiunctis. idq; pro decoro, & natura uniuscuiusque personarum, quib. interseritur Glycerij parturientis exclamatio, & inuocatio numinis Iunonis opiferæ, quæq; parturientib. præest; cuius filia εἰλίθυια dicitur. Mulieres igitur de fœdifragis uiris in amatas, de genere, & familia Glycerij, de fide data, de suscipiendo partu à Pamphilo, de ipsius partus natura, & indole; deq; accurrendo ad Glycerium sedulò, inter se colloquuntur, & nugantur potius.

Daui uerò est tacita approbatio, optatio, exclamatio, concussio & affectio præ timore, (ubi desperantis uerbum, actum est,) addubitatio, suspicio, dissimulatio, fictioq́;. Ac Simonis postremò deceptio ex suspicione, ex fine; irrisio ex adiuncto, minitatio in Dauum, & meditatio, consideratioq́; futuri periculi ex dissimilib. nisi Simo finxisset. Omniaq́;, ut summatim complectar, in caput serui redundant. Dicas autem hic uerè nugas esse, tametsi maximè proprias, & conuenientes decoro fabulæ: ergo quia non disseritur, ideo nec hic alia fuit nostra Analysis, & methodus interpretandi. Obserua tropos, & phrases: Diuisa temporib. id est, omnia sunt tibi confusa, ac idcirco molesta, & periculosa: Discipuli, uox metaphorica, & synecdochica, pro Pamphilo, à Dauo technis omnib. instructo. Reddere ludos, facessere negotium, perturbare, par pari reddere, metaphora ab ipsis Comœdijs, & Tragœdijs, uel similib. In portu nauigare, continuata metaphora, uel allegoria prouerbialis, ex mari, pro securitate magna, & quiete.

SCENA SECVNDA.

Adhuc Archillis, quæ adſ. &c.

Secundus dialogus continet Lesbiæ gratulationem apud Glycerium, & puerulum; ut & præceptionem ad Lesbiam ex adiunctis effectis, quib. se illa imitari uidetur medicos signa colligentes ualetudinis, & uictus rationem, ac dosim præscribentes: quemadmodum & physiognomos ex uultus, totiusq́; corporis lineamentis, ac symmetria naturam alicuius profitentes certó se scire. Vnde problema oriri potest; Cur nothi nonnunquam legitimis filijs sint generosiores, ut ex infinitis historijs compertum habemus.

An uel quòd in coeundo (quod Physici, & Medici probant) ut maior erat appetitus libidinis recusatæ, uel protractæ in longius, & multo tempore optatæ, ita & uis maior seminis? An quòd ob rariorem usum rei uenereæ abstinentib. ac uirginib. impetus est maior? & phantasia illa, imò uerò cæteri sensus magis apti ad semen plenum spirituum longè maiorem uim ibi exerunt? quanquam Plutarchus lib. de educ. lib. non probat hac in re nimiùm iuuenes.

Sed ad alia: obserua differentiam hic inter, adsolent, &, oportet, uerba; quòd illud sit moris, hoc uerò necessitatis. Est & inuocatio numinis Deorum. In summa nihil hic deest eorum, quæ obstetrices dicere, aut facere solent apud parturientes. Qua de re quædam ex præscripto Medicorum nonnihil hic annotassem, ni scirem libros inde peculiares, & ad idem munus pertinentes descriptos esse.

Quòd autem ex bonis boni nascantur, & ex malis mali, uel ex prouerbio, & experientia discimus; mali enim corui malum ouum; quanquam & sæpe aliter contingit, ut de Absalone Dauidis, de Ciceronis filio compertum habemus. sed tamen uerum est, quod Horatius canit in hanc sententiam;

Fortes creantur fortib. & bonis;
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Lege ita uersum; Deos quæso, ut superstet, &c.

Vel hoc quis non cred.

Aliud hic colloquium uidetur proximo iunctum, ut ab eius

occasione productum, ut de eo Simoni cum Dauo magna futura sit altercatio: sed initió tamen suspicio non potest remoueri, quin ille credat, rem simulatam esse. Id quod industriæ Comicæ maius inter cætera est argumentum, ut casu putetur euenisse, quod consilio effectũ sit. Primo igitur loco suspicio proponitur senis, per correctionẽ, et inuersionẽ dicti Lesbiæ: deinde confirmatur ex dissimilib. effectis.

O`Daue, ita´ne contemni.

Tertium argum. suspicionis ex efficiente; ubi reprehensio, & indignatio in seruum, qui suspicionem concludit tacité, & secum: ac tandem herus quartum addit argum. ex adiuncto effecto inobedientiæ; quòd seruus non paruerit domino suo.

Credo´ne tibi hoc nunc.

Suspicio magis disputatur, senex´q; urget seruum ad ueri confessionem: argum. est ex repugnantib. Iam te commonefeci, & nunc quæris, ait seruus hero. Obserua aposiopesim, Mihí ne quisquam? subaudi, imponere, & uerba dare potest? senex igitur uult seruari decorum, & perspicaciam etiam in imprudentia. Additur & secundum arg. regressus ad suspicionem ex efficiente caussa, natura serui ad fallendũ procliui, et mala, ut suprá mõstratũ est; id quod soluitur ex adiunctis ignorantiæ, et sinistræ, uel calũniatricis interpretationis. Locus de suspicione bonis uiris resecãda; charitas enim (ait sacrũ Oraculũ) non est suspicax, omnia suffert. et notũ illud symbolum, Suspicionib. securis; subaudi, addenda. at senes, et amantes id facilé præstare nõ possunt: inde morosi fiunt, et re leuiscula usu communi offendũtur.

Hoc ego scio unum.

Disputatur copiosiús adhuc quæstio de suspicione hic positæ.

argum. ex adiunctis uarijs petuntur, & concludūtur tan dem hoc modo:

Si audita uox parturientis, si accersita obstetrix, si puer
mox adferetur; Glycerium peperit:
At illa fuerunt, & erunt: Ergo Glycerium ipsa pe-
perit.

Hic propositio, & assumptio argumentationis.

Multa concurrunt.

Prolepsis opponitur assumptioni ex adiunctis etiam; sed illa statim soluitur effecto destinato, & futuro repetito. Atque hic diligenter obseruandum, circunstantias, & adiuncta in iudicando leuiss. nonnumquam esse. Nam (ut Aristoteles admonet 1. Elenchor. 4.) οἱ μὲν οὖν παρὰ τὸ συμβεβηκὸς παραλογισμοί εἰσιν ὅταν ὁμοίως ὁτιοῦν ἀξιωθῆ τῷ πράγματι, καὶ τῷ συμβεβηκότι ὑπάρχειν, propter accidens parologismi sunt, quādo similiter quidlibet putatur rei, et accidenti inesse. Sed oportet omnia nosse, tū ueritatis, tū opinionis sententiam in iudicādo:

Μή σε θεὸς πολύπειρον ὁδὸν κατὰ τήνδε
βιάσθω
Νωμᾶν ἄσκοπον ὄμμα, καὶ ἠχήεσσαν ἀκουήν,
Καὶ γλῶσσαν. κρῖναι δὲ λόγῳ πολύδηριν
ἔλεγχον.

Ne te Deus ancipitem uiam iuxta hanc cogat
Iudicare inconsiderato uisu, & resonante auditu,
Et lingua: sed iudices ratione ambiguam sententiam.

ait Parmenides poeta, et philosophus apud Diogenē Laertium.

Quid ais? cùm int.

Alia item prolepsis ab adiuncto negligentiæ contexta; soluta uerò ex opposito effecto, & alijs adiunctis, amoris uide-

licet. tum adiungitur ad illustrationem petitio fictæ mirum in modum sedulitatis, ex adiunctis curæ, & spei, quæ ultrò conceditur.

Non impulit me.

Adhuc senex dubitat: sed dubium per correctionem ex adiuncta Pamphili pollicitatione soluit. quod sequitur ad confirmationem nuptiarum est deliberatio de conueniendo Chremete. inde ex caussa eadem efficiente, procreante tota de nuptijs faciundis quæstio concluditur. repetiturq; interim filij pollicitatio, & ius paternum in eum, si recusarit, per prolepsim. postremò item fit parasceue ad sequens colloquium.

Sed hinc oritur quæstio, an per omnia liberi debeant parere suis parentib. quæ facilimè soluitur tam ex ijs, quæ Cicero sub finem tertij officij disputat, quàm ex sacrarum Literarum testimonijs, imo ipsa naturali ratione. Si enim iustum est, & honestum, etiamsi difficile, præstandum: sin minus etiamsi utile, contrà. Sed hæc satis; nunc reliqua perstringamus.

SCENA TERTIA.

Iubeo Chremetem teipsum, &c.

Tertium, uel, si mauis, quartum colloquium tractat quæstionem de nuptijs (quæ à Simone primùm fingebantur,) uerè, & seriò contrahendis à Pamphilo, & Philumena. uerè item amicè confabulatio expressa, & assensus petitioni honesta in re; ut & solers patris pro filio diligentia, ne malum serpat longiùs. nam, ut Ouidius ait, morbo uenienti occurrendum est, ne malum per longas moras magis inualescat. Ergo hic initio duorum senum amiciß. fit congressus ex adiuncto rei optatæ; proponiturq; sum

ma rei, & aduentus occaſio ex cauſsis; ideſt, quæſtio ſtatuitur.

Auſculta paucis, & quid.

Quæ quidem diſputatur utrinq; ; eſt enim ut anceps propoſita, ita & conditione concluſa, ex diſsimilitudine ab adiunctis, & effectis. ad cuius partem priorem (quæ tota Simonis eſt) faciliùs, & meliùs intelligendam fit attentio ex comparato pari. Vide quænam ſit hic, ut uulgò loquuntur, Rhetorica.

Per ego te Deos.

Prior diſsimilitudinis, & quæſtionis pars, eſt Simonis ad Chremetem ſuaſus de conficiundis confeſtim nuptijs. argumentum ſumitur ex cauſsis, & effectis per elegantem, & affectuoſam, & beneuolam totam obteſtationem, ſed more profano, & gentili, quo Deorum pluralitas admittebatur.

Ah ne me obſecra.

Aſſenſus fit petitioni quidem, contextus occupatione ex adiuncto inutilitatis obſecrationis repugnantib. declarato, & illuſtrato. Vbi uis eſt ueræ amicitiæ, in officij ultrò, citróq; præſtandi ſignificatione; quod uerbis non ſolùm conſtet, ſed etiam reb. ipſis. Inde Martialis ad Marcum;

Vt præſtem Pyladem, aliquis mihi præſtet Horeſtem:
Hoc non fit uerbis, Marce; ut ameris, ama.

atq; ita prima pars quæſtionis ſpontè concluditur.

Sed ſi ex ea re plus eſt.

Sequitur altera de reſcindendis, dirimendis, differendisq; nuptijs, addita conditione, ſi noceant, ex comparatione maioris. Qua re nihil dici poteſt amiciùs, aut beneuolentia maiori, ſi omnes circunſtantias expendas. Ergo hic nobis

Terentius obiter idæam ueræ amicitiæ pingit, exprimitq; reipsa, etsi usu fictitio, præceptum, legem'q; illam Lælij apud Ciceronem; ut amicorum caussa, honesta faciamus, nec expectemus rogati: contrá ueró, ut ne rogemus turpia, nec faciamus rogati. Illustratio adiungitur deinceps ex parib. commutatione suaui. Ibi, consulere in commune, elegans delectus phrasis; pro, utriq; parti; quod proprium non modó amicitiæ, sed & Reip. administrorum munus est Platoni, & Ciceroni. Est & hic allusio ad prouerbiũ τὰ τῶν φίλων κοινά; amicorũ omnia communia. Plato 5. de legib.

Imò ita uolo.

Concluditur quæstio per correctionem, & repositionem approbationis ita;

Si tu uis, paratus sum, & uolo, ait Simo Chremeti:
Et tu ipse uis, ut audio: Ergo quid ipse recusarim?

conclusio'q; huiusmodi illustratur, & amplificatur ex caussa efficiente, odio scilicet, & contentione amantium Pamphili, & Glycerij; quam ideo Simo fingit, ut festinetur ad nuptias. Obserua metaphoram à plantis in, auelli, pro, abstrahi.

Fabulæ. sic hercle.

Occupatur illustratio proxima, & ridetur ex prouerbiali sententia ex communi euentu deprompta, per inuersionẽ caussarum oppositarum. sensus est;

Ὀργὴ φιλούντων μικρὸν ἰσχύει χρόνον.
Discordia, fit charior concordia.

Plautus in Amphitr. item sic;

Iræ interueniunt, redeunt rursum in gratiam.

& ipse Terentius in Eunucho;

In amore hæc omnia insunt uitia, iniuriæ,

Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum, &c.

Vide Chiliad. Vox autem, fabulæ, eadem significatione hic accipitur, qua suprà in 3. colloquio I. Actus, & póst, multis in locis.

Hem, id te oro, ut.

Secunda oratio, & suasio Simonis ad Chremetem non omnino persuasum ex adiunctis uarijs occasionis: cuius ex Græco elegans descriptio est apud Angelum Politianum in Miscel laneis, quam nos copiosé in quadam Declamatione exposuimus. quin & prouerbium olim fuit; γνῶθι καιρόν.

Tibi ita uidetur.

Occupatio ex dissimilib. sententijs; cuius solutio ex repugnante dissoluta est ex adiuncto; & resoluta rursum (ut ita dicam) ex alia dißimilitudine effectorum, & euentuum. Interseritur digressiuncula (quæ parenthesis appellatur) ex obtestatione, & inuocatione.

Quid istuc? si istuc.

Complexio quæstionis, & assensus ad celebrandas quàm primúm fieri poterit. nuptias: cui gratulatio Simonis ad Chremetem ex adiuncto beneuolentiæ additur; quæ tota ciuilis est, & à generoso, gratoq; pectore profecta; tametsi obiter, & paucis admodum comprehensa.

Sed quid ais? quid?

Repetitur per occasionem interrogationis fictio de odio, ac simultate orta inter Pamphilum, & Glycerium; quæ ex Daui testimonio probatur, ut et adiuncto uoluntatis. quod per communicationem Chremeti proponitur ad nuptiarum accelerandarum confirmationem. Quin & alia item confirmatio est in parascene ad sequens colloquium itidem

per occasionem inducta, nimirùm ut uerus Simo probetur. Metaphora elegans in uerbo, maturem, pro, accelerem, à fructib. desumpta.

SCENA QVARTA.

Ad te ibam. quidnam, &c.

Hoc dialogo quarto tractatur primùm, Simonis gratulatio ob Daui nuptias, etsi fictè, simulateq; approbantis fidem, ubi senis consilium mutatur; deinde obtestatio de Pamphilo corrigendo, castigandoq;: ac sub finem conquestio, & serui in seipsum indignatio, quòd sponte, & suopte consilio sit falsus. Vbi uis maior est epitaseos, quòd non modò seruus à seipso, sed etiam Pamphilus à seruo deludatur. Ad hunc enim modum Terentius fingit quantumuis callida consilia fallere. Est igitur hic congressus ex effecto, quo proximum testimonium citatum uel spontè probatur.

Ego dudum nonnihil.

Prima igitur pars colloquij declaratur uulgi, & Daui dissimilitudine. inde occasio arripitur reuelandi consilij Simonis ex fine caussa. ob quã non tam Dauus ipse fingit se mirari, quàm re uera ægrè fert. quod colligere est ex adiunctis tristitiæ passim in colloquendo tacitè intersitis. Duas ergo senex caussas contracti matrimonij adfert, alteram Daui suasum, alteram ueró Chremetis assensum. ac illa quidem fuit è fictione seria. Vides huius loci œconomiam? artificium? analysim? methodum?

Occidi. Hem, quid.

Corrigitur simulatione repentina exclamatio, & eiaculatio conquestionis Daui pœnitentis facti; fingiturq; interim gratulatio; dum Chremes, & Simo ad apparatum nu-

ptiarum progrediuntur. Quid fiet hic misero, & infœlici Dauo?

Nunc te oro, Daue.

Secunda pars colloquij arguit etiam, sed alio modo, falli herum senem; qui quantum nebuloni seruo tribuat ex adiuncto disciplinæ, & correctione filij iniuncta ipsi, uide. Ibidem ueró pollicetur ad assensum seruus, quæ minimé uult præstare.

Quid caussæ est.

Tertia & ultima pars est pené tragica tota ex adiunctis, & effectis Daui nimiúm perturbati, & animum desponden tis ob se, &, sua opera delusum Pamphilum tam miseré, & imprudenter. Interrogationes ergo, & addubitatio nes hic crebræ sunt, uelut tela ad eiaculationem apta. quid quòd sibi manum pené libenter consciscat Dauus? id enim præcipitio adiuncto exprimit. Sic consilia quantumuis no bis, ut uidentur, prudentia fallunt: sic ad pœnitudinem, sed seram nimiúm adducimur. Id quod non modó heris, & seruis Comicis, sed etiam præclariss. Reip. administratorib. nonnumquam accidit; ut Ciceroni, qui in Epist. ad Octauium propterea sic exclamare tragicé coactus est; O' me numquam sapientem, & aliquando, id quod non eram, frustrá existimatum. quantum te, popule Rom. de me fefellit opinio? Vide in illam nostros Commentarios.

SCENA QVINTA.

Vbi illhic scelus est, &c.

Quintus, & ultimus Dialogus Actus tertij, quo Pamphilus grauiss. stomachatur, & indignatur in seruum, cuius cúm credidisset consilio, delusus est: seruus ueró hic pol-

licetur obſtinaté ſe nonnihil adinuenturum, quo heri miti get animum. totus locus pené tragicus eſt ob crebras exclamationes, interrogationes, addubitationes, conqueſtiones, & huiuſmodi affectus commotiores. Cauſſa ergo hic primúm metonymia ſignificata ponitur, cuius effectum approbare uidetur ex adiuncto imprudentis uoluntatis. ducitur enim pœnitudine, quòd ſeruo crediderit tam leuiter; Nam

Seruo deterius nihil, ne bono quidem.

quanquam à D. Paulo ſcribitur; Si ſeruus es, non ſit tibi curæ anxiæ. ſed tamen, ut prudentisſimè Plautus in Perſ. ait;

Qui ſuo hero ſeruire uolt bené ſeruitutem, næ
Aedepol multa illum in pectore collocare oportet ſuo.

ſunt enim futiles ſerui, qualis hic metaphora ſumpta é uaſis anguſtis, & rimoſis appellatur. Quare additur & minitatio grauis quidem, ſed quam ſeruus impoſterum non magnifaciet.

Sed quid ego nunc.

Addubitationi Pamphili heri Daui ſerui addubitatio bellé, quaſi ex diametro oppoſita reſpondet; ut ſit uterq; facti conſcius conſilij expers; nec ſciat, quò ſe uortere iam debeat in tantis anguſtijs collocatus: niſi quod adhuc alter obſtinatiore animo profitetur ſe quicquam poſſe moliri.

Ehodum bone uir.

Tandem ueró accerſitur Dauus, ironia lepida; & doli mali accuſatur: qui contrá orat, ac pollicetur futuram liberationem, & extricationem moleſtiarum ex adiuncto patientiæ, & morulæ: cui rei opponitur repugnantia Pamphili, & exprobratio ab effectis. indeq; mortis, & cru

cis minitatio approbatur, ſed ita, ut per conditionem ali quantulúm reſpirare liceat: confeſsio igitur ſerui eſt, & eius in re mala pertinacis animi pollicitatio, cum præteritione, & dilatione ſupplicij ex adiuncto breuitatis temporis.

Redeam ad me.

Ad ſe redire, metaphora, amphibolum eſt; modó enim idem ſignificat, ac reſpirare, recreari, refici, leniri, mitigari. Terentius ipſe in Adelph.

Tandem reprime iracundiam, atq; ad te redi.

modó ueró ad ingenium, & naturam rurſus labi; ut Terentius ibidem;

---rurſum ad ingenium redit.

& Cicero 7. ad Att. Id quod animum induxerat pauliſper, non tenuit; ſed citó ad ſe redijt, &c. Obſerua & hanc phraſim, Te ulciſci, non ſatis à Grammaticis obſeruatam. dicimus enim, ulciſci, modó pœnas ab aliquo ſumere, propter acceptam iniuriam; modó ueró ab iniuria uindicare. Ergo amicos, & inimicos ulciſci dicimur. Cicero epiſtola 9. ad Lentul. In eis ueró ulciſcendis, quos tibi partim inimicos eſſe intelligis, &c. Hic igitur ſumitur in priore ſignificatione.

ACTVS QVARTI SCENA I.

Hoccine credibile eſt, &c.

Hactenus iam in tertio actu fabulæ huius Epitaſis fuit; nunc uerò multò maior, & turbulentior actu quarto hoc oſtenditur, dum omnia reſciſcuntur, & paſsim diuulgantur; ut hoc primo de quinq; dialogo, & colloquio patet: ubi indignatus Charinus accuſat Pāphilū, quod fidē fregerit: excuſat uerò, & purgat ſe Pāphilus; transfertur in ſeruum

culpa, quam confitetur quidem admissam; sed partim tamen excusat se, partim melius quiddam pollicetur se pro Pamphilo, & Charino aggressurum, ac tentaturum. Est itaque hic Pamphili accusatio; quæstioq; est, An Pamphilus sit improbus: argumenta ex effectis sumuntur, quib. illa sic tandem concluditur;

Improbus est, qui fidem fregit, & malo alieno sibi commodum quæsiuit, ac comparauit:

At Pamphilus est huiusmodi: Ergo ut improbus accusandus uenit.

Propositio suo loco præcedit affectuosa exclamatione, & conquestione conquesta, detestationeq; perfidiæ. qui locus communis est.

Ah id ne uerum est?

Illustratio propositionis per dialogismum, & subiectionem. cuius rei explicatio petitur ex dissimilib. effectis uariis; ubi elegans est prosopopeia, & sententia prouerbialis superiori illi similis;

Omnes sibi melius esse malunt, quàm alteri.

Sed & illud proximé istuc accedit à Græcis;

φιλεῖ δ' αὑτοῦ πλεῖον οὐδεὶς οὐδένα.

nemo seipso diligit quemquam magis.

Qua de re uide Ciceronem 3. Offic. Sed eiusmodi φιλαυτία, ut iam suprá loco simili feré attigimus, á uera dilectione, & Christiana charitate omnino aliena est. Additur his amplificatio ex dissimilib. repugnantib. Cæterúm locus communis de fideli uiro, quem Plato 1. de Legib. ait ex testimonio poetæ Theognidis, omni argento, atque auro meliorem. Fides enim, ait Cicero, (unde fideles) est fundamentum iustitiæ. Contrá, ni-

hil infidelitate perniciosius.

Sed quid agam?

Hac addubitatione transitus fit á thesi ad hypothesim, ut uulgó dicunt in Scholis: nam Pamphilus notatur, & est iam sententia assumptionis, quæ illustratur occupatiuncula prosopopeica ex adiuncto frustranei laboris. Obserua phrasim, animo gessero morem; pro, obsequerer mihi; barbaré, facerem ad meum appetitum.

Charine, & me, & te.

Assumptio interuentu Pamphili ultró, etsi imprudenter ex effecto sumitur; cuius caussam obiter Charinus notat, perfidiam, scilicet. quam Pamphilus reijcit, & antequam inde conclusio eliciatur, excusare conatur: sed Charinus tamen, inuito illo, addit, ac ex illa irrisoria increpatione reponit, in qua, subducere, fallere est: sicut apud Græcos ὑπάγειν. Quin & assumptio ipsa conditionalis est, nec liberé omnino expressa, & iam speciem futuræ purgationis (quam etiam Pamphilus apud Charinum inuitó falsum instituerat) præ se ferre uidetur. Soluere fidem, hic metaphora est, sicut, frangere.

Postquam me amare.

Miranti Pamphilo Charinus rem apertius exprimit, & assumptionem repetit uarietate, & copia, quam exclamatione ab effecto illustrat. & hinc suam Pamphilus texit excusationem, ac defensionem primúm generali simplici contradictione á Charino tamen non admissa, sed reiecta ex maiorum comparatione; adiungit'q; postremó ironicam permissionem;

Hebeam? ah nescis.

Quam quidem Pamphilus admiratione, uel ironia pari taci-

tè retorquet, & secundum inde purgationis argumentũ subijcit ex relatione caussæ, & effectorum, Daui scilicet: sed tamen rursum propterea Charinus non desinit accusare, & calumniari ob nimiam indignationem animo conceptam. Obserua phrasim prouerbialem, de te exemplũ capit; il prend pied à uous. allusio est ad illud, Qualis herus, talis et seruus: illius enim probitas reddit non solùm hunc, sed etiam totam familiam meliorem. Hinc igitur coniectura capi solet. ne præteri metaphoram in, lactasses, contracto uerbo, ab antiquo, lacio.

Haud istud dicas.

Reiecta in seruum culpa secundum addit argum. defensionis ex adiuncto magnitudinis amoris. Quod item Charinus perpetuo cauillando, & calumniando interpretatur ex dissimilib. effectis, præ impatientia. non enim sinit reliqua explicari. unde tamen prudenter, & callidè Pamphilus arripit occasionem consilium, quo imprudenter lapsus est, explicandi, adhibita correctione. Id quod postremò ita affectus Charinus non desinit calumniari, & sinistrè nimis interpretari; quoad iratior, & magis offensus Pamphilus omnino rem acu tangat, & serui nimiam importunitatem detegat. ibi sunt uehementiæ, et acrimoniæ uerba. Est & admiratio in ingeminatione uocis, Dauos; imò ter ea auditur: quod carmen ita restitutum est à Gaueano;

Quis homo isthuc? Dauos. Dauos? Dauos omnia.

quanquam liberum esse potest adhuc iudicium: itaq; & legi potest immutato, quamobrem, in, quid ita. nam quòd Pãphilus dicit, interturbat, bellè cum præcedentib. conuenit: sic igitur habebit;

C. Quis homo istuc? P. Dauos. C. Dauos. P. Interturbat.
C. quid ita? P. nescio.

itaq; non multùm diuinè Goueanus diuinauit hic. Atq; hic etiam est argumentum ex efficiente imprudentia per correctionem appensum.

Factum est hoc, Daue.

Reijcitur culpa in Dauum; is meritò accusatur, fatetur item culpam à se commissam; Charinus ei malè propterea imprecatur: grauitas rei comparatione paris ostenditur. Cõmunicatio ibi iniuriosa est, & plena indignatione, ut apud Virgil. in Bucol.

Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?

Deceptus sum, at.

Praetexit Dauus excusationem ex dissimilib. adiunctis; quorũ posterius explicat prouerbiali dissimilitudine caussarum. allusio ad prouerbium;

ἀνὴρ ὁ φεύγων, καὶ πάλιν μαχήσεται.

Vir fugiens, & denuò pugnabit.

quo monemur non protinus abijciendum esse animum, si quid minús ex animi sententia successerit. Corrigit autem eandem sententiam ex adiuncto praesentis. remedij. cui subijcitur approbatio ironica Pamphili.

Ego, Pamphile, hoc.

Confirmatio argum. proximi ex adiunctis; ubi significatio officiosi maximè, sed in re incerta, serui; quam sequitur petitio ueniae, & occupatio tam ex caussa imprudentia, quàm ex dissimilib. effectis, adiunctisq; diligentiae; ut & permissio facti. Pactum admittit Pamphilus inita conditione restitutionis saltem ad priorem amorum statum, & nuptiarum liberationem.

Sed mane concrepuit.

Parasceue ad sequens colloquium, uel transitus potiùs, qui exornatur breuiscula reprehensione Pamphili, & Daui obfirmata pollicitatione. Inuentum autem hic amphibolon est, referatur'ne ad subintelligendum, consilium; uel pro commento, & facto substantiuè ponatur.

SCENA SECVNDA.

Iam ubi ubi erit,&c.

Secundum uerò colloquium primò continet nunciationem Glycerij ad Pamphilum, de timore, ne is frangat illi fidem; tum eius rei confirmationem; ac postremò consiliũ Daui de nuptijs dirimendis. Initiò addubitatio est ancillæ Mysis anxiæ in quæritando Pamphilum ex adiunctis loci. Epizeuxis est in, ubi ubi. Synecdoche partis pro tota Glycerio in, anime mi: metaphora in, macerare.

Atque tandem fit congressus, & nunciatio de uisenda Glycerio puerpera, ex adiuncto amoris, & timoris: quæ cum suspicione occasio deinceps erit confirmationis fidei. olfacitq; hanc suspicionem Pamphilus ex fine uocatus. interseritur ijs irrisio Charini tacita, & ironica eiaculatio, ut & Daui. Obserua præterea hic reciprocationem ad heram. Verbum, integrascit, inchoatiuum, ut uocant, pro, instauratur, innouatur. eclipsis, & paragoge licentiæ in, solicitarier. uerbum, quiescitur, à, quiesco, est. metaphora in, instiga, id est, impelle, commoue.

Per omnes tibi adi.

Confirmatur Pamphili fides erga Glycerium iureiurando graui, ex pollicitatione adiuncta futuri perpetui amoris. quẽ locum illustrat tum comparatione minorum, tum effectis delectus,

delectus, & caussis efficientib. naturæ, & morum; addito epiphonemate, occupationeq; rerum contrariarum ex adiuncto, & caussa; concludas locum in hanc formam.

Quod iuro per Deorum immortalitatem, præstabo:

Iuro autem me staturũ promissis Glycerio: ergo faciã. est ironica phrasis in uerbo, ualeant, pro, abeant; uel potiùs, malè habeant: etiam inuito Valla lib. 6. est enim indignatio, & species imprecationis.

Resipisco. non Apollinis.

Effectum confirmationis, & iurisiurandi (quod plurimùm, ut Cicero 3. Officic. docet, apud antiquos ualebat, imò quo nihil Romani olim habebant sanctius,) illustratur comparatione minoris hyperbolici. Et est allusio ad Apollinis Pythium, uel Delphicum oraculum in Delo, quod omnium ueriss. & certiss. erat. Vide Strab. lib. Geogr. 9. Adiungitur autem ijs distributio bipartita ex caussæ additione, uel remotione; sensus enim est, Quicquid contigerit, promissis tamen stabit Pamphilus Glycerio, & Charino. Phrasis metaphorica, in procliui, pro, facilè, grata et uenusta est. His iam peractis Pamphilus cum Charino regreditur ad conquestionem, ex paris comparatione; indeq; fit consultatio.

Consilium quæro fortis.

Sed ad consilium Daui audiendum magna conciliatur attentio, etsi ex præfracta, & interrupta crebrò oratione; attamen non detegitur illud, sed celatur, donec exeruerit uires. recusatur Charino iocoso; additurq; difficultas ex adiuncto breuis temporis, fine illustrato. Verbum, amolimini, significat, recedite, metaphora, uel synecdoche.

Ego hanc Visam.

Circunstantia quædam consilij ex adiuncto loci declaratur. terretur seruus; constat effecto hyperbolico, dum iam fingit se audire Glycerium: sese cruciat Charinus, eum solatur Dauus adiuncto interuallo temporis, polliceturq; operam illi. In summa Dauus hic facit, quod est apud Italos in prouerbio, Poco parlare, bene operare. accingitur enim operi antequam dicat, ne si consilio cadet, saltẽ alijs, ut iam fuit, non sit ludibrio. Quod quidem prudentis animi est indicium. Tale quiddã ferũt acceptũ sæpe Carolo V. huius nominis Imperatori ueré Heroo; qui dũ apud suos consultaret, res animo statuta, et iã decreta erat. Ergo hac uirtute magnorũ uirorũ seruulus comicus ludit. Sed nescio qui ea de re nobis hoc extemporaneum distichon exciderit:

Ne tibi languescant uires, te aut territet ullus,
Quæ facturus eris, dicere, turpe putes.

Cæterúm lege hic, quid mi fiet, non, me. licet aliás ita.

Tu Mysis, dum.

Præparatio ad sequentem dialogum ex adiuncto morulæ temporis, et necessitatis. atque ita Dauus pleno consilij, et fraudum calatho pectoris discedit; sed tamen quoad redeat, Pamphilo, Charino, adeóq; Mysi ancillulæ non bené est.

SCENA TERTIA.

Mihilne esse proprium, &c.

Tertio colloquio describitur ex effectis, & adiunctis primúm conquestio Mysis de Pamphilo ob falsam, ut credit, heram: deinde raptus pueruli nati, quem Dauus opera Mysidis curat ad ædes Simonis ferri interueniente primúm Chremete, ut is absterreatur á nuptijs filiæ celebran

dis: ac postremò fictio Daui, gesticulatioq; non satis Mysi (ut ipsa fatetur) nota. Estq; hic primum membrum ex dissimili contextum, addita exclamatione, & obtestatione per geminam aposiopesim. Metonymia hic est fidei caussæ, pro effecta ope.

Mi homo, quid istuc.

Secundum membrum de raptu, & exportatione pueruli á Glycerio in ædes Simonis, ab effectis, & caussis adiunctis descriptum deberet esse quartum colloquium, ut á nonnullis etiam distinctum est. Exprompta memoria, per metaphoram á penu, sagax, & uiuax dicitur: illa opus ad intelligendum; astutia ueró ad exequendum consilium. Ocyus tam nomen, quám aduerbium auctum, positum habet, uel absolutū á Græco ὦκον, uel ὦκα, uel ὠκέως, celeriter, ὤκιστα, ue locissimé.

Ex ara sume uerbenas.

Soluit occupatiunculam per occasionem commoditatis adiunctæ loci. In scena autem duæ aræ ponebantur, ut in Prolegomenis ex Donato suprà docuimus; dextra Liberi Patris, sinistra eius Dei, cui Ludi fiebant, ut hic Apollinis. Verbena uerò etsi ibidem καταχρηστικῶς, καὶ συνεκδοχικῶς, specie, pro genere cuiuslibet aliarum herbarum, ponitur, unde etiam nomen habet, mutata aspiratione in u, propter affinitatem, quasi herbena; tamen non ab re olim scenis, & aris admouebatur: est enim (si Plinio credimus lib. 25. cap. 9.) multarum, & arcanarum uirium, sacra Veneri, ac ideo ἱεραβοτάνη Græcis dicta; propterea quòd (ait Dioscorides) ad multos sacrorum usus ea uterentur. Cuius Cicero meminit in Verr. his uerbis; Sacerdotes cum infulis, & uerbenis, &c.

Vide etiam Plinium lib. 22. cap. 2. Eius uerba aſcribam: Siquidem, inquit, authores imperij Rom. conditoresq́; immenſum quiddam & hinc ſumpſere; quoniam non aliun de ſagmina in remedijs publicis fuere, & in ſacris, legationibusq́; uerbenæ. Sed quamuis id ita eſt, quod herba illa uires habeat conciliandi amoris, & facundiæ, (quæ res comicis theatris maximè conueniunt;) tamen non uidetur intellexiſſe Terentius herbam illam, ni cum aliquot fallor, quam uerbenam dicimus; cùm apud Menandrum, à quo hæc translata ſunt, μυρσινή, myrtus, legatur, quæ itidem Veneri ſacra eſt, ait idem Plinius lib. 15. cap. 29. Locus igitur hic eſt de antiquorum Magia, de qua in noſtris Mythologijs plura diſputabimus. Reliqua uide apud Matthæolum, & Fucſchium.

Quamobrem id tu te.

Occupatiuncula ixuſtratur proximus locus, ſoluta ex adiuncto periculi. ubi lege, iurandum, non iuſiurandum: id quod fieri debere uel ipſa Grammaticæ ſententia oſtendit. Sic autem fallacia ſerui texitur, ueluti rete quoddam; quã ridet ancilla ex adiuncto nouitatis, & repugnantiæ. Eſtq́; prouerbium in ſeruos mendaces ut plurimùm. Religio, hic per metaphoram à Deorum cultu, pro timore, &, ut uulgus dicit, ſcrupulo conſcientiæ ponitur.

Proh Iupiter, quid?

Tertium membrum intercipitur, & commutatur ſubinde uario Daui geſtu, & fictione, quam cæſim intercipit, ut ancillæ admiranti interpretatur. additurq́; occupatio, & correctio ex diſsimilib. ac fine. Nil autem ſubtilius, aut quod magis naturã hypocritæ ſerui polypum ſimulantis declaret in hoc orationis, aut actionis genere deſcribi poteſt.

SCENA QVARTA.

Reuertor postquam quæ &c.

Quartum colloquium describit modum, quo Chremes territus est, ut minùs fierent nuptiæ; quòd puerum ex Glycerio natum uideat & eam ciuem esse Atticam audiat: hi duo sunt maximè percipiendi sensus: sed tamen Daui astutia falluntur: qui cum Mysi non satis earum rerum perita quàm bellè simulat, & quasi aliud uidetur agere in illis insidijs. Primum igitur terrendi Chremetis argum. & occasio est natus infantulus, quem ante ædes Simonis uidet.

Dii uostram fidem.

Fictionis Daui primum argum. ab adiunctis loci, & ignorationis rei; unde admiratio, exclamatio, obtestatio. Vbi lege, quot illhic hominum, non, quid. quicquid etiam Grammatici cauillentur, aut comminiscantur. atque hic restitutus locus ex Prisciani sententia lib. 17. Annona, alimoniæ apparatus. Hinc & longa ficta disquisitio cum ancilla tanquam omnino ignota ex caussis, & effectis. Etsi autem Mysis paulò antè instructa hic fuerat; tamen utcunque adhuc simplicem se præstat: magna proinde est in respondendo difficultas: longa insinuatio.

Au. concede ad dext.

Præ simplicitate tandem penè Mysis cogitur Dauum reuelare; alioqui meretrices callidæ sunt, & astutæ. Estq; in, au, aposiopesis uerbi, audi, uel, ausculta; quorum utrunq; paulò pòst erit. quod ex phrasi sequente, concede ad dextram, i. dic in aurem, facilimé intelligitur; ne Dauus prodatur coram sene. Quare non est interiectio consternatæ mulieris, ut quidam annotauit ad marginem: nam cæteri non

intellexerunt. Additur autem admonitio de re celanda. Faxis, pro, feceris, antiquatum; ut póst, exceßis, sed contractè, pro, excesseris. quæ uerba gratiam nonnunquam, ut apud Comicos, habent.

Vnde est, dic clarè.

Disquisitio loci, & familiæ adiuncto constat ad confirmandũ primum argum. quod sequitur alia fictio in eijcienda Mysi, & execranda per metaphoram à Dauo ipso: postq; minitationem repetitur iurgium. abruptiones crebræ sunt. Sed hæc meliús intelligentur actione, quàm scripto. Tandem uerò caussa procreans pueri detegitur, & Chremes aufugiens persuadetur.

O`facinus animaduert.

Occupatio leuis ex adiunctis temporis, & personæ anus Cantharæ à genere uasis uinarij dictæ; ut Plautus uetulas, doliares, claudas, crassas appellat; Gallicè uieilles midrouilles: & suffarcinata illa hic est. Vbi non omnino probo quæ quantumuis diligentiss. Theodoricus ex Nannio de Canthàro hic legendo adfert; fieri enim potest ut sit allusio ad uas, quo pueri nothi uel spurij olim apud Græcos deportabantur: & ita nil ille noui adfert. nam quod de protactica persona ait, satis hic pro re nata, et occasione describitur; nec agitur cum ea, aut de ea nimium ignobili: Præterea seruus abruptè loquitur. Quin ex sequentib. cúm agitur de liberis mulierib. i. nobilib. id intelligitur satis: nam ibi liberæ opponuntur sordidæ uetulæ. nec illud solebant Romani facere, quib. morem gerendum fuit. Quod ueró ait de uerbo, proluam, pro, prouoluam, magis est uerisimile. Sed & Canthara erit persona in Adelphis.

Soluitur autem occupatio illa obliquè, & nimium sim

pliciter. id quod tacitè & Dauus ridet: ac tandem de Chremete loquens semper fictè addit ironicam admirationem, & μίμησιν non satis ab interpretib. intellectam, ut coniectare possum: cuius sensus est amphibologicus; Etsi Chremes offensus propterea dare filiam suam nollit; tamen uel ui, & iure, uel aliqua alia occasione ductus dabit. Est enim dissimile, quod faciliús intelliges, si post uerbum, dabit, interrogationis, uel admirationis notam addas. Hic itē in dissensu Chremetis prosopopeia est alienæ personæ, pro propria.

Nunc adeo ut tu.

Aliud argum. fictionis Daui ex adiunctis minitationis: fitq; transitus ita ad secundum argum. persuadendi Chremetis ex adiuncto generis, & patriæ. idq; sententia prouerbiali: cuius sensus est, Dolus dolo connectitur. quanquā si rectè inspicias ἀμφιβολία ibi esse potest, pro illo, & hoc, Ars arte deluditur. sed in priore hic significatione accipiendū: cui reponendum subiacet hoc, Mendacem memorem esse oportere. Notum enim illud, quid lucrentur mendaces; cúm uera dixerint eis tamen non credatur. quod quidam Aristoteli tribuunt.

Coactus legib. eam.

Confirmatur proximum argum. legis Atheniensium testimonio: quæ sic habebat assignans stupratori supplicium: ἢ βιασθεῖσα ἢ γάμον, ἢ θάνατον αἱρείσθω τοῦ βιασαμένου: Quæ uim passa fuerit, eius, qui uim attulit, uel nuptias, uel mortem optato. À Dracone ante Solonem lex huiusmodi lata est, qui longè et hic, et aliàs mitior fuit: nam stupratores liberæ mulieris decem drachmis mulctauit. Vide Plutarchum in Solone. Hac autem maio-

re attentione facta congressus Chremetis interseritur. Iocularium malum, hic dicitur, risu, & ioco uulgi dignũ: quanquam per antiphrasim pro graui, & molesto incommodo sumi poßit. Amphibologia est in, non te credas Dauum ludere, ad renouatam fictitiam minitationem referenda.

Ne me attingas.

Occasio detegendæ simulationis Daui, & simplicitatis ancillæ reprehendendæ arripitur ex neceßitatis, & finis caussa; & confirmatur ex alijs item caussis. sensus est; longum est discrimen inter ea, quæ data opera facimus; uel quæ simulate, uel quæ uere. quasi dicat, illa non, ut hæc, offendere debent; quia considerandus utrorumq; finis est, & hinc factum examinandum. Fine siquidem omnia benè, uel malè acta monstrantur: hinc Ouidius ait,

Exitus acta probat. ---

SCENA QVINTA.

In hac habitasse pletea, &c.

Hactenus præcesserunt in duab. primis partib. protasi, & epitasi turbæ: nunc uerò catastrophes occasio prætexitur ex insperato aduentu Critonis Andrij, qui hoc quinto, & ultimo quarti actus dialogo exponit primùm caussam suæ profectionis ex Andro Athenas ad Glycerium, ut fortunis Chrysidis, ea suis agnita, potiretur: Deinde salutat Mysidem; A' postremò fit conquestio, quòd frustrà uenerit. Hic igitur prima pars ex caußis, & effectis dissimilib. declaratur. Vbi communis locus de paupertate, quæ (ut est in prouerbio) frangit ferrum. ut non mirum sit illud à Poeta dictum;

---quid non mortalia pectora cogis

Auri sacra fames? ---

quanquam hic senex Crito est re tenui, sed fide plenus, (quod Cicero de Ennio dicit,) ut postea uidebitur.

Saluete, obsecro, quem.

Congressus fit, & salutatio, & colloquium ex adiunctis effectis gratulationis, & beneuolentiæ; disquisitioq; de Chryside, & Myse ex dissimili prouerbiali caussarum;

ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα;

Non uti libet, sed uti licet, sic uiuimus.

Item illa ferè sunt similia ex Chiliadib.

βουλόμεθα πλουτεῖν πάντες, ἀλλ' οὐ δυνάμεθα:

Omnes cupimus, at non licet ditescere.

πάντες καλῶς ζῆν θέλομεν, ἀλλ' οὐ δυνάμεθα;

Benè uiuere omnes uolumus, at non possumus.

imò inuertendum esset carmen hoc modo,

Benè uiuere omnes possumus, at non uolumus;

si, benè uiuere, moraliter intelligeretur; & non pro, lautè uiuere, ibi acciperetur, & ex animi sententia agere.

Quid Glycerium? parent.

Tertia disquisitio, Glycerium agnita ne sit, ita concluditur, argumenti ex adiuncto frustranei laboris, & maximi incommodi sumpta;

Si Glycerium non reperit suos parentes, inauspicatò ueni:

At eos non reperit: Ergo inauspicatò certè, & frustrà ueni.

Propositio in interrogatione: assumptio in optatione: & cõplexio in hac allegorica, & continuata metaphora à nauib. & augurijs. quæ quidem illustratur, confirmaturq; uarijs argumentis repugnantib. primúm ex adiunctis famæ, sanguinis, & generis; dein difficultatis, & pariũ comparatione; tum amicitiæ, ac tutelæ; ac postremo` infamiæ, & dedecoris. Quæ omnia cum superiorib. signa sunt probitatis in Critone, cui postea credi æquum sit, & fieri debeat. Atq; utinam homines nostræ ætatis Christiani huiusce saltem fictitij Pagani religione, & pietate clari hac in parte non dissimiles essent; & cum lites suscipiunt hæc sibi ob oculos proponerent; ut taceam de communi famæ loco; cui sacris, & humanis denique testimonijs consulendũ est: Melius enim est benè audire, diuitijs multis. & ut uita præstat opib. sic uitæ fama nonnumquam. inde Publij Mimographi sunt hæc;

Honestus rumor alterum est patrimonium.

Bona opinio homini tutior pecunia est.

& nos in I. Centuria Symbolorum iniuria temporum amissa, NOMEN NVMEN. Ideo citaui, ut aliás soleo, ne quis pro suis meas uigilias uendicet.

Obserua autem hic præteritum ingeminatum, tetuli, á tollo, quod &, tuli, habet, ait Diomedes; aliás fit adiectione. Sobrini, quasi sororini, ex sororib. editi. Sycophanta (ἀπὸ τοῦ σύκου, καὶ φαίνω, ostendo ficus,) calumniator; quales sunt hodie, quidam uitæ aliorum exploratores, quos Itali, & Germani, Forfantes, uocant. Caius Iureconsultus, & Sextus Pompeius originem Sycophantiæ, & definitionem tradunt. Ea autem unum de trib. Mundi est monstrum, cum Sophistice, & Hypocrisi.

Optume hospes, pol.

Gratulatio, & approbatio probitatis ingenij, & morum senis rustici, ex adiuncto longinquitatis temporis. ac tandem salutata Myse, quaesita morte Chrysidis, ad puerperam Glycerium uisendam itur: atq; interim Dauus mutus, & sagax explorator habetur.

ACTVS QVINTI SCENA I.

Satis iam satis, &c.

Quintus, & ultimus actus restat, quo fabulae omnino Catastrophe detegitur: cuius tamen hoc primum de quinq; colloquium ad epitasim maiorem pertinet; quo Dauus in uincula conijcitur, quod Glycerium ex testimonio Critonis ciuem Atticam esse affirmaret. Mira poetae Comici prudentiae in reb. inuoluendis ad retinendam maiorem spectatorũ attentionem. Ante congressum autem Dauus (qui mox tristitia summa afficietur) laetitiam suam de aduentu Critonis ex caussis & effectis exprimit. Eiusq; sententia continua est, etsi sermone Simonis, & Chremetis in attendendo, dubitandoq; intercipitur. Finis autem ex adiuncto securitatis (quae otio significatur solicitudini opposita) declaratur, ut & prouerbiali sententia, & metaphora sumpta è nauigantib. Vadum enim fundus est aquae, in quo qui constiterit, in tuto, & in tranquillo esse dicitur. Gallicé, le guet. Scelus, pro scelesto, per metonymiam, ut suprá.

O' salue, bone uir.

Congressus Daui, salutatio ironica, ut & disquisitio; unde ob iurgationis, animaduersionisq; in seruũ arripitur occasio, ex adiunctis repugnantib. Curasse rẽ probé; & tamen Pãphilũ tũ agere cũ Glycerio, quicum seruus intercessisse inimicitias illi dixerat: repugnantiã ueró soluit Chremes ex diuerso fine.

Imò uerò indignum, Chr.

Correctio proximæ solutionis ex dissimilib. caussis; quo testimonium de Glycerij genere, & patria comprobatur; ad quod audiendum conciliatur attentio. Sed & Critonis fit descriptio commendatoria ex adiunctis, & dissimilib. quæ omnia uirum bonum significabant. Et inter cætera hic notanda est φυσιογνομία illa uultus, qui animi est index; is'q; in illo potissimúm relucet. Et quanquam Cicero uultum fallere persæpe; & Satyrographus, fronti non esse fidendum; ut & Epigrammatographus, non credendum, asserunt; quia nemo non eam fingere potest: optimum tamen, & ueriss. animi testem, indicium'q; esse Bias monebat, quúm semper uultum hominis inspiciendum esse præciperet.

Nec aliunde etiam Pythagoras ingenium auditorum, discipulorum'q; suorum explorare consueuit; ut author est Gellius lib. 1. cap. 9. Sic enim ait; Iam á principio adolescentes, qui se ad discendum obtulerant, ἐφυσιογνωμόνει: id uerbum significat mores, naturas'q; hominum coniectatione quadam de oris, uultus'q; ingenio, de'q; totius corporis filo, atque habitu sciscitari. Quin & ipse Cicero (ut de Gellio taceam) in oratione contra Pisonem; oculi, inquit, supercilia, frons, uultus denique totus, qui sermo quidem tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit. Et Quintilianus sic de uultu scribit: Dominatur maximé uultus: hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant etiam antequam dicamus: hic est sæpe pro omnib. uerbis. adde quod & Comicus uultum hominis fingere scelus dicit.

Sed eius rei caussam uideamus. Nemo nescit inter ani-

mum, & corpus esse maximam sympathiam, & harmoniam; ideo ut animus affectus. natura fuerit, & corpus erit; quod illius est ueluti uestis: & ut pro re nata, aut occasione orta ipse animus afficitur; ita & repente corpus quasi mutatur; saltem apparent eius rei indicia in uultu. Sed anomalia talis physiognomiæ est in hypocrisi, qua posterior affectus degenerare uidetur: sed tamen in priore manent uestigia, etsi fiat mutatio; ut in Socrate apud Zopyrum. alter uero non uidetur. Sed hæc satis.

Hem, Dromo, Dromo.

Tandem uero præ impatientia commotus senex iubet Dromoni lorario seruo (id est, qui loris, & zonis coriaceis alios seruos uerberat; qui baille les estriuieres,) ut Dauus cædatur in uincula coniectus. nullus excusationi locus derelictus: adduntur inde minæ graues quidem, sed ubi poeta τὸ πρέπον κωμικὸν seruat: non enim progreditur ultra uincula scilicet ad necem, quod tragicum erat; sed pœna fit remissior. Hinc duplex communis locus est, alter de iratis ob nimios insultus; uulgati sunt Mimi uersiculi:

Furor fit læsa sæpius sapientia.

Bonus uir læsus multó grauiús irascitur.

alter uero de seruis, in quos (ut iam suprá attigimus) heris ius, & imperium olim ad necem usque fuit, pro ratione delicti. Ideo Plato 6. de Legib. ita scribit: Castigandi, cædendiq; semper iure sunt serui, neque ita mo-nendi, ut liberi, ne molliores fiant. Allocutio omnis ad seruos quodammodo imperium sit, neque iocus cum ipsis seu fœminis, seu masculis habeatur. Vide Ciceronis prudentiss. epist. ad Quint. Fr. de administr. Prou. Tamen

moderanda est iracundia, adhibendáq; ratio puniendi non sæua nimiúm: sunt enim, ut heri, homines; ergo & humaniter tractandi. quanquam Phryx (ut est in prouerbio de seruis peculiari,) fit plagis melior. Obserua metaphoram á belluis in uoce, quadrupedem.

Ah, ne sæui tantop.

Occupatiuncula hæc soluitur adiuncto impietatis, (quæ hic εἰρωνεία, καὶ ἀντίφρασι significatur per pietatem,) & laboris paterni in conquirendis filio diuitijs, & otio. Vtriq; igitur filio, & seruo asperé maximé Simo minitatur; estq; eclipsis uerb, uides, aut similia.

SCENA TERTIA.

Quis me uolt? perii, &c.

Tertio dialogo pater accusat grauiter filium; filius uero excusat se; adeóq; paternæ uoluntati, sed coactus, se summittit. Occasio accusationis initió ponitur: Simo admittere non uult, nec pené quidem audire. Syllogismus integer argumento ex adiũctis, effectisq; sumpto ad hũc modũ cõclusus:

In filiũ animaduertendũ est uelut improbum, qui obstinato est animo; qui legib. nec publicis, nec patris paret; qui famam negligit; qui per fas, & nefas animum explet.

At Pamphilus talis est, improbus scilicet: Ergo in eum animaduertendum.

Propositio hic est, in qua obserua aposiopesim irato conuenientem, cúm pro merito peccati non inuenitur conuitium, aut competens nomen. quasi dicat, Omnium sceleratiss. quid ais?

Ita prædicant. ó indig.

Assumptio syllogismi graui exclamatione constans; ubi audacia, impudentia, obstinatio, & inobedientia Pamphili

in patrem uarié exaggeratur, aſſurgendo á minimis ad maiora. Illis autem uitijs laborant improbi adoleſcentes. Sic accuſatur Aeſchinus à Demea patre, in Adelphis, cúm Mitio peteret, quid ille feciſſet, inquit;

---- quid ille fecerit? quem neq; pudet
Quicquam, neq; metuit quemquã, neque legem putat
Tenere ſe ullam. ----

Modó ne id demum.

Confirmatio aſſumptionis ex adiuncto animi obſtinati; tum additur correctio uehementioris acrimoniæ in accuſando ex adiunctis repugnantib. ac fruſtranei laboris. Quib.rur ſum alia correctio adiungitur, & permiſſio ironica, quæ pro ſyllogiſmi complexione haberi poteſt. Ibíq; eſt proſopopeia tertiæ perſonæ, pro ſecunda; & metaphora in uerbis, excrucio, macero, à corporis affectione ad animum.

Quid, mi pater.

Occupatur locus dicturo Pamphilo, ſéq; excuſaturo: non admittitur præfatio amica, & blanda, Mi pater; ſed corrigitur adiuncto repugnante declarato ex cauſſis, & effectis. eſt & alia ibi permiſſio ironica in uerbo, uiceris. tandem'q; maxima difficultate propoſita á Chremete tamen (qui adoleſcentulũ pauló mitiús tractabat) impetratur facultas di- (cẽdi.

Ego me amare.

Inſtituitur ergo Pamphili excuſatio breuiſcula, pro irati patris circunſtantia, & adoleſcentis conditione. Quare & effectæ culpæ confeſſio primúm ponitur ex effecto: dein ſummiſſio paternæ uolũtati: ac poſtremò obteſtatio de adducẽdo Critone, cuius rei facultas impetratur, ſed addita correctione, et cõditione de fallacia uitãda. ãphibologia aũt eſt, cũ de uxore ducẽda fit mentio. ac tandẽ ſentẽtioſa Chremetis gra

tulatio pro impetrata iam aliquantula uenia reponitur. Locus est de lenienda patrib. in filios ira, ne pusillo, demissóq; nimiúm animo fiant: ideóq; D. Paulus Ephesios monet, ne patres prouocent filios suos ad indignationem. Habet enim (ait D. Augustinus lib. 2. de ciuit. Dei) quiddam erga parentes humana uerecundia, quod nec ipsa nequitia auferri possit. Nota uerbum, allegare; quod est, quasi in legationem rogatum pro paruis, priuatisq; caussis mittere. Plautus,

Si allegassem aliquem ad hoc negotium.

Vide Hadrianum Cardinalem. Cæterum hic imitentur pueri Christiani Pamphilum paganum, ubi deliquerint; agnoscant ingenuè erratum suum; ueniam orent, uitæ in melius commutationem, & emendationem imposterum polliceantur: sic enim parentes facilimè placabunt, & reddent mitiores. Sed hæc hic satis.

SCENA QVARTA.

Mitte: orare una har. &c.

Quartus dialogus primúm difficultatem habet assensus Simonis, & accusationem in Andrium Critonem: dein eius defensionem, ac expositionem de Glycerij genere, & patria: postremó assensum, successumq; rei, qua Pamphilo, Dauo, & Senib. denique satisfit. In quib. omnib. obserua Comici ordinem, ac methodum; qua priora posteriore loco ponuntur. Habes enim hic argumentum fabulæ meliús, & breuiús depictum, quám á nostris interpretib. Est igitur hic difficultas audiendi, & accusatio Simonis in Critonem. Quæstio est, An Crito sit sycophanta, & idcirco detestandus: Argumentum eius probandæ sumitur ex effectis; quòd imponat adolescentulis, & meretri-

eios amores nuptijs copulari uelit: unde argumentatio integra est ad hanc formam:

Is sycophanta detestandus est, qui adolescentes imperitos decipit, & ueras nuptias amorib. meretricijs uenatur, ac nectit:

At Crito id facit: Quamobrem Sycophanta, & detestandus uenit.

In hoc congressu propositio est, adiunctis loci, personarum, & rei ornata. ibi salutatio, & admiratio cum quæstione, & purgationis præparatio.

Tu´ne impunè hoc.

Assumptio syllogismi ut effectis contexta, ita & adiunctis ornata disputatur. quæ grauitatem periculi ostendunt: nã (ut communem locum paucis attingamus) & imperatoriæ leges pœnam corruptorib. & impostorib. adolescentulorum ingenuorum statuunt; qui quidem à Terentio rerum imperiti, et rudes, ut à Græcis εὐήθεις, ἀπὸ τοῦ εὖ, καὶ ἦθος, hoc est, à simplicib. morib. dicuntur; Gallicè, bongarsons, ut & dicitur, bonhomme. Illicere in fraudem, metaph. est ab aucupib. ut & in, lactas, quæ iam suprà fuit. Conglutinas, alia metaph. ab opificib. pro, iungis.

Si, Simo, hunc.

Occupatio accusationis à Chremete, ex adiuncto probitatis; quæ dissoluitur ex adiuncto importunitatis. Vbi Germanus ille Magnus more patrio ironiam esse annotauit. Nó enim sic apud Latinos (ut etiam hic, & ex antecedentib. consequentibusq́; sensus ostendit) bonus uir dicitur; sed morali bonitate. Quod Cicero 9. epistola ad Lentulum, & Aristoteles 3. Politico ostendunt. Bonus uir, ait hic, à morib. probus, & optima uiuendi ratione dictus est. Ergo non

est hic ironia, ut sentit ille. Est autem & hic in concessione, epanodos, repetitio.

Sycophanta.

Complexio, quæ illustratur contradictione, defensioneq; Critonis, qui iratior pauló factus non fert contumelias. ibi est Chremetis sermo abruptior, & propterea imperfectior. Volebat enim dicere; Sic est hic iratus, & perturbatus, ut humanitatem uerbis demonstrare non possit. Hinc ad confirmationem, illustrationemq; contradictionis additur comminatio ex paris comparatione reposita: ubi prudentis, & boni uiri decorum semper tamen retinetur uel apud iratum, & contumeliosum: id'q; est uelut præfationis loco. Similis autem sententia est prouerbialis apud Homerum lib. λ.

Ὁππποῖον κ'εἴπησθα ἔπος, ποῖον κ'ἐπακούσαις.

Talia dicentur tibi, qualia dixeris ipse.

usu enim uenire solet, ut qui, quæ uult, dicit; quæ non uult, audiat uicissim. unde illud uulgare; ut salutabis, ita & resalutaberis. Hesiodus item;

εἰ δ'ὲ κακόν τ' εἴποις τάχα κ'αὐτὸς μεῖζον ἀκούσαις.

Fors malé dicenti dicentur plura uicissim.

& Solomon in Prouerbijs; Dat pœnas, inquit, stultitiæ, os futile. Additur autem & propositio, siue quæstio, quæ argumento ex ueritatis adiuncto ita concludi potest:

Si uera dico, non sum Sycophanta, ait:
Sed uera dico: Ergo non sum Sycophanta.

Atticus quidam olim.

Præcessit propositio, hic assumptio est longa expositione totius historiæ Glycerij ex caussis, & effectus declarata: & qui-

dem in ipsa Catastrophes uis est, & nodus fabulæ erroris solutus. Qua de re uide Rodolphum Agricolam Inuentionis Dialect. lib. 3. cap. 7. Est igitur hic fabulæ argumentum, cum his, quæ præcesserunt; ac totius rei contentionis explicatio. Prima autem pars descriptionis huius est de naufragio Phaniæ, quæ interrumpitur à Simone. est & acclamatio; sed Crito tamen prosequitur.

Tum is mihi cogn.

Secunda pars narrationis, uel descriptionis; in qua disquiritur nomen Phaniæ, & eius patria Rhamnus, pagus Atticæ maritimus. Cui additur illustratio, & assumptio multorum testimonio. unde parasceue ad assensum futurum; & impulsus ad tertiam partem narrationis.

Eho, dic mihi, quid.

Occupatio, & tertia pars expositionis descriptæ de patre Glycerij. hinc Chremes ipse arripit occasionem confirmationis ex effecto caussa occasione eadem declarato. estq; ita quarta pars expositionis, in qua Pamphilus miré iam, & affectuosé incipit exultare caußis adductis, sed præ cæteris, gaudio rei inuentæ. ut autem nimia tristitia; ita subita quoque, ac repentina, inopinataq; lætitia hominem extra se rapit. Vt enim in tristitia recedentes nimiúm ad cor spiritus suffocantur, & pereunt: sic in uoluptate maxima, maximé se dilatantes, & exilientes extinguũtur, & euanescunt. Vnde legimus apud Plin. permultos repentino quodã gaudio mortuos statim fuisse. Vide Gelliũ, lib. 2. cap. 15. et Liuium Dec. 3. lib. 2. Valeriũ itẽ lib. 9. cap. 11. Cæterúm obserua prosopopeiam propriã in secũda persona; et metaphoram prouerbialem, sed catachresticã, in eos

quadrantem, qui sitienter, atque auidè ausculant, expectantq; quid dicendum sit. Sumptum à ceruis, uel alijs animantib. nam natura arrigere aures negauit hominib.

Næ istam tuam multimodis.

Locus uariè à uarijs emendatus, propter uoculam antiquã (quæ hic semel apud Terentium inuenitur,) multimodis. Sic Lucretius lib. 3. de semine humano loquens;

Est aliud tamen in nobis, quod tempore in illo
Multimodis agitatur. ---

& libris 4. & 5. apud eundem authorem:

Ducere multimodis uoces, & flectere cantus.

Qua de re uide Ciceron. in Oratore. Variè enim, multus, compositum nomen fuit; ut, multiformis, multijugis, & similia. nec enim est, quòd hic elisionem, s, literæ dicamus; etsi crebra est.

At mihi unus scrupulus.

Quinta, & ultima pars descriptionis de nomine Glycerij immutato (nam Pasibula dicebatur antè) occupatione texitur; quæ primúm á Pamphilo ridetur ex adiunctis repugnantib. & difficultatis: deinde ab eodem expresso nomine soluitur, & adiuncto amoris illustratur, ut & memoriæ Pamphili. Solutio autem huiusmodi ut dilatior, ita gratior, & iucundior effecta; quæ Glycerij pro testimonio illustratur. Quod autem liceat immutare nomina, & lex permittit: modò ne id ad quempiam defraudandum fiat. ut, C. de Leg. l. Nom.

Pasibula autem dicta est quasi, πᾶς, καὶ βουλὴ, uniuersum consilium, uel omnib. consulens. metaphora est in nomine, scrupulus, non qualem interpretantur mul-

ti cum Donato: sed à genere ponderis, quod nonnulli scriptulū malunt dicere; qui idem est cum Grammate, ut sit uigesima quarta pars unciæ. Ergo multó minús hic erit lapis, qui pedes offendit: pro difficultate. Obserua item prouerbium huic rei maximè congruens, nodum in scirpo quærere, de quo suprá.

Omnes nos gaudere hoc.

Hæc gratulatio, & reditus patris in gratiam cum filio pro complexione syllogismi superioris habenda uenit. fitq́; hinc omnino transitus ad catastrophen, lætum'q; rei successum; quo primùm Pamphilo satis fit, ut primas hic partes habuit, assentientib. senib. Additur tamen occupatiuncula, & correctiuncula de dote, quæ est 10. talentorum: quæ summa erat, (ut Budæus de asse colligit) sexaginta millium coronatorum nostræ monetæ. Nam talentum ualebat sexaginta libras, libra ueró decem aureos.

Propero ad filiam.

Tum de accersenda, agnoscenda, nupturaq́; Glycerio fit sermo; & interim bellè occasio Daui soluendi uinculis hic sese offert, qui illam accersat: Pamphilus ex adiuncto fœlicitatis exclamat. In summa, Summa rei est in tranquillo: omnia enim sunt rectè, & ex animo composita.

SCENA QVINTA.

Prouiso quid agat, &c.

Quintum, & ultimum colloquium totius Comœdiæ describit primùm gratulationem Pamphili sibi, & Dijs immortalib. quòd omnia ex uoto contigerint: deinde narrantur omnia Dauo iamiam liberato: ac postremò deliberatio Charini de ducenda Philumena, inito patris consilio, & nutu. Atque sic est fabulæ summa. Prima igitur colloquij pars

hæc eſt diſsimilib. declarata, & adiuncto diuinitatis comparato pari, ſed hyperbolico quantumuis conditionali. Inde occaſio ſecundæ partis texitur ex adiuncto communicationis; quæ gratiſs. eſt: ſic enim magna animo delectatio uenit. Et cum (ut 1. Politic. ait Ariſtoteles) homo ſit animal ciuile, ſermonem equidem habet præ cæteris, quo utile, iucundum, iuſtum, iniuſtumq́; iudicantur. At earũ rerum communicatio & domum, & ciuitatem inſtituit. unde apparet, hominem eſſe magis ſocietatis ſtudioſum, quàm apes, & cætera animalia, quæ natura in unum coegit, Et bellè Archytas Tarentinus (ut ſcribit Cicero in Lælio) nihil gratum dicebat, cui narrari non poſsit. ſed & ipſa natura ſolitarium nihil amat. Extat & emblema μυθολογικὸν de Fluuijs, qui unà in mare magna aquæ abundantia fluebant iuncti; ſed unus ab ijs recedens exſiccabatur ſolus: quo ſignificatur ſocietatis, & communicationis iſtius uis permagna. Id autem quod lepidum ſit, & utile imprimis non pigebis aſcribere: ſic igitur habet:

Fortè profecturi quinq;, aut ſex ad mare Riui
  Conuenere ſimul rupe ſub aeria.
Conſilioq; habito, uiſum eſt coeuntib. una
  Ire patrem uerſum fluctibus Oceanum.
Virib. ut plures iunctis maiorib. eſſent;
  Nec ſe exſiccarent æſtus, & ariditas.
Ergo quod ad naues potuit ſatis eſſe uehendas,
  Fecerunt mixtis nabile Flumen aquis.
Vnus at indignans alijs ſe iungere Riuis,
  Solus in aridulo reſtitit alueolo.
Ingenuè accliuis contraxit membra; nec ultrà

Fusus ad Oceanum tendere non potuit.
Quinetiam lachrymis penitus defecit abortis,
Fons ipse arenti puluerulentus humo.
Exemplum minimis hoc mercatorib. esto,
Qui quærunt magnas per mare diuitias:
Ne socios fugiant: simul at commercia tractent.
Nam si non possunt singula, cuncta ualent.
Quinetiam ueri sit pulchrum symbolum amoris,
Sint dicti, ac facti ut participes socij.

Cæterùm obseruabis & aliàs, & hic in uoce, Dauom, o, pro, u, positum esse, non quod ita docti antiqui uellent, aut scriberent, sed uulgus; quod sequuntur Comici, cuiq; se se maximè data opera accommodant: exprimunt enim apud populum, populari sermone, populi affectus, et mores. unde coniecturam facio de fragmentis illis, monumentorumq; reliquijs antiquitatis; quorum pars magna uulgarib. & quasi Gotthico quodam more, ac forma descripta est. ut si quis recentiorum Patrum epitaphia describere, & literis Posteritati mandare uelit. Sed de his aliàs.

Solum gauisurum gaud.

Paronomasia, & coniugata numeri concinnitatem aurib. gratam, ac delectabilem hic auditam habent. Gaudere autem cum accusatiuo ponitur: quemadmodum apud Ciceronem lib. 8. & 15. Familiar. In theatrum Curionis Hortensius introijt, puto, ut suum gaudium gauderemus.

Pamphilus ubinam est?

Hæc expositio, descriptioq; caussæ gaudij Pãphili apud Dauũ ex effectis, quæ adiũcto rumoris ornãtur, pro sexto colloquio haberi potest: sed parũ admodũ refert. Quãtas aũt ru

mor (de quo hic fit mentio) uires habeat, uel te illud Virgilianum 4. Aen facilè docet, ad quod hic alluditur:

Fama, malum, quo non aliud uelocius ullum,
Mobilitate uiget, uiresq; acquirit eundo, &c.

Num ille somniat.

Interseritur narrationi Pamphilinæ difficultas credendi à Charino hic obseruatore ex caussa efficiente idea, & exemplari rei uidelicet remanente, & rursum se apprehensioni ad maiorem impreßionem offerente. Fit enim ferè (ait Ciceronianus Scipio) ut cogitationes, sermonesq; nostri pariant aliquid in sommo tale, quale de Homero scribit Ennius; de quo uidelicet sæpissimè uigilans solebat cogitare, & loqui. Vide Commentarios nostros in Somniũ illud Scipionis. Est & hic parœmia. Sic Aristophanes de iuuene prodigo, & nepote in alendis equis scripsit:

Ὀνειροπολεῖ, καὶ καθεύδων ἱππικήν:
Dormiens equestre studium somniat.

sic somnia ex affectib. nonnumquam uigilantium fiunt; ut apud Virgil.

Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?

Colloquar. quis homo.

Post gaudij expositionem, Dauiq; gratulationem ex effecto hyperbolico tandem attexitur ultimum colloquij membrũ de Charino; cui etiam satisfit, ex adiuncto certæ spei, officij, & facultatis. Veri enim est amici neque in prosperis, neque in aduersis reb. suis deesse. Hic ita legendum carmen, etsi quidam aliter immutarunt, & resoluerunt;

P. Colloquar. P. Quis homo est? Charine, in ipso tempore mihi aduenis.

EPILOGVS.

Ne expectetis dum exe. &c.

Tandem uero breuiss. peroratio à Dauo, uel (quod magis placet) ab actore Calliopio attexitur; qua populi attentionem interrumpit, ex adiuncta loci occasione fictitia. id'q; per occupationem reliqui; qualis erat, iusta petitio hæreditatis Chrysidis, quæ iure hæreditario ad Critonem spectabat; & Charini nuptiarum faciendarum cum Philumena ratio: Itaque proprijs uocabulis utrumq; attigit; ut nihil deesset, quo omnib. satisfaciendum uideretur. Et quia tam Poetæ, quàm Actori gratulationis uerbum, PLAVDITE, petitur, ac tribuitur; cur & mihi interpreti á studiosis politioris literaturæ, dum alias aggredior Comœdias, non tribuetur?

OBSERVATIO,
& perorationcula.

ANALYSIS Methodica breuis, omnia tamen complectens hic superest: qua Fabula Andria distincta fuit in prologum defensorium, contentionem, & epilogum excusatorium; ac rursum contentionis, præter illas partes, protasim, epitasim, & catastrophen; Quæstio princeps in Consultatione fuit, An adolescentes deberent uxores ducere, Pamphilus uidelicet Glycerium, Charinus uero Philumenam. Cuius tractandæ utrinque confirmatio, & confutatio fuere; illa iuuenum, hæc senum. Serui enim permixti sunt, quorum alij iuuenib. alij uero senib. quasi sponsores fauent. Confirmatio igitur constat hoc syllogismo:

Qui dedit fidem, æquum est seruare, & præstare:

At adolescentes dederunt fidem puellis, se in uxores ducturos:

Quare id præstare debent, & fidem hic seruare.

Confutatio uerò hoc constat itidem:

Parentib. æquum est à liberis in re honesta parere:

At Simo, & Chremes patres nolunt ut filij illas ducant uxores:

Ergo id liberos æquum est omnino præstare hic.

Ex hoc protaseos conflictu nata epitasis; unde turbæ, con questiones, angustiæ, curæ; consilia utrinq;, utrinque delusiones; & rerum summa desperatio in earum ipsarum ominum permixtione, ac perturbatione; præsentiß. utrisq; partib. periculum imminens; donec arbiter honorarius Andrius Crito inducat Catastrophen: quo inopinatò omnia sedentur, & ex animi sententia componantur. Vides paucis multa, candide Lector, & quæ numquam ita fœliciter uisa sunt: quæ tamen non à Rhetorib. uel Dialecticis Doctorib. uel Interpretib. didici; sed cúm essem puer sub patre priuatim, & domi de litib. consultando cum clientib. differente obseruaui. ne putes me uelle istam methodum acceptam referre alij; quàm Naturæ ipsi, & eius filio unico legitimo Vsui. Sed hæc satis, quæ & initiò, & sub finem erunt instar Commentationis Clauis: quæ hac breui tabella subijcere uisum est.

ANDRIA.

Prologus, Contentio, Epilogus,

Quæstio,

An iuuenes ducere uxores debeant, alter Glycerium, alter uerò Philumenam:

Confirmatio iuuenum,	Serui permixti,	Confutatio senum,
Sic; quia dederant fidem puellis; Aequum est:		Non; quia filij debent parere parentib. Aequum est:

Hinc,

Consilia,		Delusiones,
Gratulationes,	Periculum,	Conquestiones,

Catastrophe à Critone,

VINCENTII CORDATI VESVLANI BVRG. SVMMARIA, VEL EPITOMAE, ET ANNOTATIONES, VEL SCHOLIA METHODI, AC REI IN P. TERENTII AFRI EVNVCHVM.

INSCRIPTIO, uel titulus.

HAEC Comœdia inscribitur Eunuchus à facto adolescentis Chæreæ, qui non minimas partes in ipsa habet; quód cúm pro Eunucho haberetur, uirginem adamatam uitiauit. Eunuchus autem dicitur, qui uirilib. carens custodiendis, & asseruandis matronarum diuitum cubilib. præficitur. Nam ἐυνὴ*, cubile est, &* ἔχω*, habeo; quasi conclauis mulie bris custos.*

Protasis fabulæ.

Thraso miles Thaidem meretricem amabat; illo profecto in Cariam, hæc Phædriam Lachetis filium adolescentem admittit: miles ueró reuersus cúm riualem offendisset, negat se dono daturum Thaidi puellam Pamphilam, quam ut gratularetur amicæ reditu suo uenditam, á mercatorib. emerat; nisi Phædriam expellat. Thais autem cúm æquè amore adolescentis, & puellæ (quæ cum ipsa educata fuerat, & pro sorore semper habita) teneretur, modum excogitauit, quo utroque potiretur, etiam inuito milite. Im-

petrat igitur, sed magna difficultate, ut per biduum Phædria secedat: qui ægré tamen consilio credidit; & ne interim Thaide munerib. corrupta á milite perpetuo excluderetur, emptum Eunuchum, & Aethiopissam deduci ad Thaidem mandat. Atque ibi & Thrasonis, & Phædriæ uariæ modó secũ priuatim, modó cũ parasito, et seruo conquestiones de fortuna ipsorũ, et iniuria Thaidis, qua uterque afficitur, ac fallitur; deq́; æmulatione.

Epitasis.

Tandem & Thraso minatur propterea ui se oppugnaturum ædes Thaidis, nisi amorib. ultró potiatur; & Chærea frater Phædriæ minor natu Pamphilam ex ædib. Thrasonis ad Thaidem deducendam conspicatus, & amore inflammatus, iam Parmenonis opera deductus pro Eunucho (erat enim ephebus) ad uirginem, eam prima nocte compresserat; unde tot rixæ, turbæq́; concitatæ sunt aduersus ipsum Chæream, & Thrasonem; resq́; eó deducta est, ut nemo sciret, quò se uorteret. Graues itaq; sunt hinc accusationes, grauiaq́; pericula; omnes & proprio consilio falluntur.

Catastrophe.

Sed tamen omnia casu componuntur facilimé; inuenta est enim puella ciuis Attica, ac ideo uxor adolescenti, qui compresserat, ipsa datur: Phædria ueró, & Thraso parasiti opera concordes ambo communi amica potiuntur, et Thais in fidem, & clientelam à Lachete recipitur: & sic lætus Comœdiæ exitus est.

Iudicium, & doctrina.

Hæc fabula præter obseruationem casus, & fortunæ, quæ non numquam in reb. humanis plus uirium habet, quam ra-

tio; duo nobis egregiè pingit: alterum, amores turpes, atq; meretricios esse fugiendos: quippe qui omnino sui, totius'q; honestatis oblitos reddit, & ueluti de sede, quod aiunt, deijcit, quos semel complexi fuerint: qualis hic nobis Phædria pingitur. alterum ueró, nullum genus hominum Rebusp. aut Aulis regijs pestilentius, Thrasonum, sicubi contigerit eos imperitare. nihil non enim moliuntur, ac turbant, ut auram popularem uenentur: ut hic Thrasonis ardelionis imago nobis proponitur, sed à pictore Gnathone dignißimo exprimenda, ut uerum sit prouerbium, Dignum patella operculum. Sic Martialis lib. 2. epigram. 7. in Attalum, qui πάνουργον quemdam, & Gallicum, Maistre Alliboron, representabat:

Declamas bellè, caussas agis, Attale, bellè;
Historias bellas, carmina bella facis.
Componis bellè mimos, epigrammata bellè;
Bellus Grammaticus, bellus es Astrologus.
Et bellè cantas, & saltas, Attale, bellè;
Bellus es arte Lyræ, bellus es arte pilæ.
Nil benè cùm facias, facis attamen omnia bellé.
Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.

PROLOGVS.

Prologus, præfatiuncula adiuncto beneuolentiæ dißimili, & peroratiuncula effecto pari contexta utrinq; contentionem accusando Lauinium ex repugnantib. & excusando Terentium ex dißimili, & pari habet.

Qui placere se studeat.

Etsi multi hunc locum attigerunt, & rectè in hunc sensum, (diuisis uocib. quàm, plurimis,) legendum esse censuerũt;

Si quiſpiam eſt, qui eó ſtudium ſuum referat, ut bonis potiús, quám ut plurimis placeat; ſubintelligendo particulam, potiús, quæ aliás nonnumquam redundat: tamen nullus, quód ſciam, rationem eius phraſis adhuc ſatis explicuit. Natura enim uerbi, ſtudere; quia uehementem quemdam animi affectum ad aliquid agendum ſignificat; ideo comparationis particulam illam in ſe includit; unde fit ut tanquam non ita neceſſaria omittatur. Id'q; non ſolúm uerbi ſignificatio, ſed etiam ſenſus ipſius rei, & ſententiæ ueritatis oſtendit: ne Terentium adulatorem faciamus; qui non poteſt quamplurimis bonis placere, cúm tam pauci ſint. Eſt enim uir bonus, ut poeta Satyrographus ait,

Rara auis in terris, nigro'q; ſimillima cycno.
--- qualem uix repperit unum
Millibus è multis hominum conſultus Apollo.

Quod ſi ita eſt, ut non dubito, ſubintelligenda item erit particula, tamen, poſt, &; ut ſit ſenſus per occupationem breuiſculam ex diſſimilib. adiunctis officij; & tamen minimè multos lædere. Nam conſentaneum feré uideri poſſet, diſplicere multis poetam, cúm placere uellet paucis, ijſdem'q; bonis; ac idcirco multos lædere tacité. Sed medium quiddam hic oſtenditur, ut modeſtia, & humanitas in ſocietate retineatur; quam Græci ἐπιείκειαν uocant; unde ἐπιεικίζειν apud Latinos idem ſonat, ac ex æquo, & bono ſtatuere; aller rondement en beſongne; ut conuictus ratio perpetuó ex mediocritate habeatur, & aliorum dicta, ac facta candidé ſemper interpretemur. Hic ſenſus eſt huiuſce loci, ni fallor, genuinus; & uera eiuſdem ratio.

ACTVS I.

PRIMVS huius Comœdiæ actus cõtinet partẽ protaseos duob. dialogis, uel colloquijs (quæ scenas uulgó appellant,) tum Phœdriæ, tũ Thaidis. quorũ primũ consultatio est adolescentis, & dissuasio ne ad meretricem redeat: ubi amoris impotentia, & Phædriæ addubitatio uariè depingitur.

Secundum ueró continet assensum difficilem Phædriæ ad Thaidis uotum, quo hæc ab illo impetratur biduo absentia, ut Thrasoni sit locus. Methodus obliqua est, & prudentiæ referenda. Longa enim insinuatione captat meretrix cauta irati adolescentis animum imprudentem nulla rei mentione facta: narrauitq; longo sermone antecedentia, propter quæ uellet impetrare, & προσυλλογισμοῦς longißimé repetiuit, nihil adhuc Phædria suspicante de exclusione: tandem cúm satis omnia tuta existimat, mitigato priús irati adolescentis animo, etiam ex parte reconciliato, quæstionem, & petitionem subiunxit. Occasio autem longa expositione puellæ Pamphilæ, quam Thraso Thaidi cupidißimæ offerebat, illhic describitur ex euentis effectus. Qui locus totus prudentiæ miræ ascribendus est.

Proin'tu, dum est.

Qui non dubitauit interiectam personam Phædriæ tollere, & asserere hoc loco esse continuatam sententiam, præterquã quód id sua authoritate fecit; non animaduertit primúm styli terentiani rationem, qui creber est in intersitionib. eiusmodi; adeo ut nonnumquam sententia ipsa interrumpatur, ut in Andria notauimus. Deinde non obseruauit forté speciem prosopopeiæ propriæ in tertia persona; sicuti

cuti est illa Chremetis in Andria;

Non herclè faciet. ---

& illa Pamphili in secunda;

--- arrige aures, Pamphile.

& similes. Postremò sensus idem est, ac initio colloquij, cùm Phædria consultat secum, num redire debeat. ut interim de herili decoro taceam: nam etsi aliquando serui heris præcipere uidentur, & sub finem huius colloquij ferè simile quiddam est: tamen nihil propterea detrahi analogæ rationi, & ueritati debet ab illa τοῦ πρέπου (ut ita loquar) anomalia. Nam quod attinet ad locum Horatij ex lib. 2. Sat. 3. hoc potiùs confirmare, quã illud, uidetur; coniungit enim utramque conuenientem sententiam heri, & serui, sed notatis personis ad hunc modum:

Exclusit, reuocat. redeam? non, si obsecret. ecce
Seruus non paulò sapientior; O here, quæ res &c,

& seruus inde arripit occasionem confirmandæ Phædriæ deliberationis ex repugnantib. ubi est integer syllogismus; quo Parmeno seruus adolescenti hero suo amenti suadet, ut sese redimat captum, quanti queat: neque molestias molestijs amoris addat, & quas habet rectè ferat.

At ego nesciebam quor.

Acclamatio Phædriæ persuasi præter opinionem affectuosa, propter crypsim Thaidis occultam, quæ legitimum, & artificiosum rerum (quas hic ille prosopopeικῶς, & dialogistικῶς repetit) ordinem perturbatum. Quod proprium est cùm omnium ferè Poematum, tum Comicorum: Cùm enim poetæ magis quàm Oratores, docendum populum, id est belluam multorum capitum sibi proposue-

DD

rint, non modó uarijs affectib. delectationis. admirationis, indignationis, commiserationis, & alijs Rhetoricæ proprijs fallit: sed etiam à medijs incipit; prima medio plerumq. loco comprehendit; postrema incerto, & inopinato euentu tandem concludit, ac, ut Horatius ait in Arte poet.

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo. &c.

Cumq; rectum nauigationis cursum tenere non potest, uelificationem mutat, & quib. uentis potest incolumem nauem ad portum deducit: quin & quam laudem Spartiatæ quondam (ut Plato 1. de Legib. ait) ἐν τῇ τῶν ἁρπαγῶν κρυπτείᾳ, in furtorum occultatione ferebant, etiam hic ἐν τῇ λόγων κρύψει, in disputatione iudicio multó maiorem ferunt. Qua de re Aristoteles 2. lib. Analyt. prior. cap. 20. & 1. lib. Topic. cap. 8. item lib. 1. Elench. cap. 14. Vide regium Eloquentiæ & Philosophiæ professorem; et nostrũ de Dialect. opusculũ. Ergo hinc inde uides qui Phædria ipse cogatur κρύψιν detectam sibi, sed serò prodere, & finem consilij Thaidis, ueluti scopum ante ignotum ueluti digito ostendere, dum ait:

Nempe omnia hæc nunc uerba huc redeunt deniq.
Ego excludor, ille, recipitur. ---

ACTVS II.

Secundus actus etiam ad protasim referri debet, is trib. colloquijs absoluitur; quorum primum Phædriæ mandatum ad Parmenonem habet, de ducendis Eunucho, & Aethiopissa ad Thaidem, déq; ipsis commendandis; tũ consultationem de facile tollerando biduo ex caussis occupandi animi: ac postremo eius rei digressiunculã per occasionẽ cõspectæ Pãph. quæ ad Thaidẽ iussu Thrasonis mittebatur.

Secundum uerò perpulchrè, & suis, quod aiunt, colorib. Gnathonem ex effectis, & subiectis depingit; tũ fit ab illo Parmenoni insultatio, quæ insultatione retorquetur. Quo nihil conuenientius temporib. nostris, & uel Aulicorum, uel aliorũ huius farinæ hominum morib. accommodatum magis. Sunt enim, qui modò possint inescare homines, sibi satis esse putant; quòd ij ultrò ita philotesijs, & blanditijs inescari uelint.

Tertium autem maiorem protasim facit, tanquã noua fabula; qua Chæreæ adolescentuli amor exprimitur addubitatione, descriptione pulchritudinis Pamphilæ absolutiss. deinde Parmenoni rogato obnixè ut medeatur, res creditur: ac postremò consiliũ capitur, quo facilè Chærea uirgine Pamphila potiatur. Ibi sunt ingentes amatorij affectus.

Opus faciam, ut defatig.

Obiectionem Parmenonis difficultatem expellendi amoris, (qui, ut Mimus ait,

--- animi arbitrio sumitur, non ponitur;)

soluit Phædria ex adiuncto laboris, & absentiæ; ut sit allusio ad illud Ouidij lib. 1. de Rem. amoris;

Cedit amor rebus; res age tutus eris.
Desidiam puer ille sequi solet, odit agentes,
Dat uacuæ menti quod teneatur opus.
Quæritur Aegisthus quare sit factus adulter:
In promptu caussa est, desidiosus erat.

& lib. 3. ibidem, idem;

Otia si tollas, periere cupidinis arcus,
Contemptæq; iacent, & sine luce faces.

Quòd autem labor, & tam animi, quàm corporis defatigatio huic morbo remedium præsens adferat, experientia con-

stat. Sic enim totus homo paulatim ab amore alienatur, & spiritib. ac facultatib. animi implicatis memoria languescit, ac minuitur; indéq; fit, ut longinquitate temporis, æque ac laboris occupatione deleatur. Curantur enim non modó iussu uoluntatis, sed etiam contrarijs, aut diuersis, & repugnantib. affectus. Amor autem affectus est obiecto rei cupitæ excitatus: Quamobrem & diuersa actione, longáq; habitudine curari potest. sed non Phædriæ, qui præclare hic (ut omnib. usu etiam uenire solet) de solutione, ac liberatione morbi philosophatur, & egregie quidem sibi uel sponte pharmacum præscribit medicus; sed quem nec uult, nec forté inueterato nimiúm morbo potest sumere.

Viden' otium, & cibu'.

Vulgare est illud, propter sententiam uerba in oratione esse, non contra sensum propter uerba; tametsi mutua est utrorúmq; ratio. Quo fit in emendandis locis, quib. ob salebras offendi lector poßit, cúm & uetera exemplaria, & testimonia digna mihi desunt, ut ad sensum rei, & (ut ita dicam) ipsius consecutionem recurram. ut hic, ubi, otium, non, ossum, (quicquid comminiscatur Charisius,) legendum putem. Cúm enim parasiti finis sit otium, & securitas uictus, ac uestitus, hoc est, ut absque opere, labore, profeßionéq; alia, quám adulandi (quæ omnium iucundißima, facilima est) uentri suo in aulis, & Magnatum ædib. indulgeat; forté consentaneum est, ut ista securitas, & otium hic intelligatur. Parasitus autem ἀπὸ τοῦ παρὰ, καὶ σῖτου, ab, ad, & cibum, dictus est, unde σιτεῖα, sagina. & à reb. diuinis primúm ad duo genera deinceps manauit, ut ex Athenæo, & Plutarcho

colligimus; & ut Sophista, Tyrannus, in malam postea partem acceptum nomen fuit: indéq; colaces, & plagipatidæ dicti à Plauto parasiti; quib. omnia uel nostro tempore sunt plena: nam ut parasiti testimonio pro parasitis utamur.

Obsequium amicos, ueritas odium parit.

Demissis humeris esse.

Descriptio hæc pulchritudinis ex dissimili petita Medicis, ac imprimis Galeno placet, qui 2. lib. de morborum interstitijs propterea matres, & nutrices acriter reprehendit ex adiunctis periculi. Dum enim illæ student coxas augere, ac latera, ut magnitudine thoracem exuperent, uittis cum totum corpus, tum partes thoracis comprehendunt, cohibent, & comprimunt uehementiús. unde fit maxima non numquam totius corporis disformitas. Placet igitur natiua forma non ui, non arte, non uictu, quasi Athletarum more, (quod Budæus in Annotat. in Pandect. & Aristoteles in Politicis describunt,) quæsita. Omnia enim fucata contemni, ut adulterina debent. Cur autem pulchritudo subiecta oculis ad amandum pelliceat, hic nobis explicandum est non frustrà, ut puto. Vt sermo (quod Plutarchus ait;) ita & forma corporis est mentis nota ijs, qui Physiognomiam profitentur: quod fortè Plato significari uolebat inscriptione suæ Scholæ, Μὴ τὶς ἀγεώμετρος εἰσίτω. quasi dixisset, Ne quis habitudine, ac lineamentis corporis malè cohærentib. ingreditor. Id quod & Pythoræ imitatione faciebat. unde apud Homerum 2. Iliados Thersites turpis & sermone, & forma describitur, ac inter cætera in hunc modum adiuncta sunt; (ὤμω φολκὸς ἔην, χωλὸς δ᾽ ἕτερον πόδα: τὼ δέ οἱ

Κυρτὼ, ἐπὶ στῆθος σηνοχηκότε, ἀυτὰς ὕπερθεν
Φοξὸς ἔην κεφαλὴν. ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη.
Ἔχθιστος δ' ἀχιλλῆϊ μάλιστ' ἦ, ἠδ' ὀδυσσῆϊ.
Strabus erat, claudus alterum pedem: humeri ei
Angusti, in pectus contracti, sed desuper
Acuminatus erat capite; rarus autẽ defloruit capillus.
Infensus uero Achilli maximè erat, ac Vlysi.

Et ea de re Aristotelis extat philosophia è figuris, & affectib. animalium, cuiusmodi est etiam Adamantini. Si quid autẽ pulchri fuerit in animo, forma corporis, ob sympathiam, & harmoniam utriusq. (ut in Andria iã attigimus) facilè ostendet. Omne autem pulchrũ (ut Mercurius, & Plato disputãt) bonũ est, et amabile. Quin & pulchra (ut Maximus Tyrius Serm. 38. testatur) diuina nuncupantur; sed id fit tum dum sequimur amãtium illũ affectum, quib. eorum, quos amant, simulachrum præbere iucundiss. solet spectaculũ. Nam (ut nodũ anomaliæ soluere incipiã) illa demũ pulchritudo bonum est, quæ sine cõparatione, & imitatione est; qualis est Deus, ut rectè Hermes Trismegistus ait in 6. Pimandri Dialogo. Pulchrum enim, et bonum in mundo, aut mundi partib. inuenire non licet. utq; acies oculi Deũ non cernit, sic neq. pulchrum bonumq; cognoscit. Quodq; pulchrũ est, id neq. exitiosum est unquã, neq. lubricum, neq. flagitiosum, neq. infortunatũ, neq. calamitosum, neq. in pœnitentiam desinit, ait ille Maximus in Serm. 11. Qui fit igitur, ut ita uulgò loquamur, et forma corporis amorem conciliari, tãquam pulchro dicamus? nũquid amor alterius rei, quàm illius pulchri, boni, diuini est amor? et nequaquã quidẽ: frustrá enim amor existat, nisi pulchritudinem petat. Sed quia rerum pretijs corruptis amo

ris nomine abutimur; ideo fit, ut Chæream Pãphilæ pulchræ amore incendatur. Nam si uerè loqueremur, Chæreã Pamphilæ formosæ cupiditate teneri diceremus; & ita amare, et cupere; pulchritudinẽ, & uoluptatẽ, uel iucunditatẽ distingueremus. Vt enim amor pulchro, ita & cupiditas iucundo per nominum, rerumq́; imitationem, mouentur. Quæcunq. autem sensus mouent, idola sunt, et uanæ quædã admirationes (ait Mercurius;) quæ uerò sensuum organa subterfugiunt, ad pulchrum, bonumq́; pertinent. Vnde fit, ut rarus amor deprehendatur, & frequens cupiditas contrà sit. Sed hæc de amore, deq́; pulchritudine satis.

ACTVS III.

Tertius actus quinq. Dialogis distinctus uulgò, etiam ad Protasim fabulæ spectat. Primum autem colloquiũ, uel dialogus describit uarias Thrasonis nugas, & pulchrorũ factorum scilicet narrationes gloriosas, quib. assentitur ubique Gnatho, & per omnia laudat, ac probat: nisi quòd in quibusd. tacitam irrisionem subdit, ut ibi, Plus millies iam audiui; quã hyperbolẽ intellexit Germanus. Additur et cõsiliũ de nõ purgando se Thaidi de amoris suspicione Pãph.

Secundum uerò blanditias Thrasonis cum Thaide; tum munerum oblationẽ Phædriæ à Parmenone, eorumq́; uidelicet Eunuchi, & Aethiopissæ commendationem habet.

Tertium est, suspicio Chremetis de amore Thaidis in ipsum, quẽ effugere conatur. ubi simplicitas adolescentis, cũ ancilla colloquentis, ostenditur.

Quarto introducitur adolescens, æqualis Chremeti, qui, quorsum is abierit, miratur ex adiũctis, et effectis repugnãtib. quod fit, ut sequentis facti exponendi sit occasio.

Quarto autẽ, et postremò facti Chereæ descriptio fit An

tiphoni ex effectis, & caußis, & adiunctis: deinde sub finem de symbolis, & mutanda ueste Eunuchi agitur. Quo dialogo nihil in re obscœna dici castiùs, aut honestiùs; nec in tam iucunda modestiùs potest.

Vbi nominabit Phædriam.

Hic locus ex uaria parium comparatione textus citatur à Cicerone epistola 9. ad Lentulum, ubi de laudatione, defensioneq; Vatinij agitur; de qua sese excusat; faceturq; se id fecisse Cicero, ut aduersarios suos repungeret, & præstaret quod parasitus militi suadet. Sunt autem uariæ effectorum species, quæ tandem sub finem ad genus adiguntur, sed parœmiacum, sed metaphoricum, & quod adiecta uocula, sic, ad carmen absoluendum legi ad hunc modum poßit;

Par sic pari referto, quod eam remordeat.

sed tunc loco, quòd, uideretur legendum, ut; quod rursum non quadraret propter elisionem uocalis. Quid igitur? Censeo addendum emphaticum, & superiorib. simile, tu, loco, sic; quod detractum est à superstitioso quodam doctorculo forté, cúm emphasim, & discretionem hic crebram non intelligeret. Est autem sententia, eadem, quæ in Andria fuit; sic ars deluditur arte. clauus clauum trudit. & similia. Extat & epigramma cuiusdam ea de re consulto Apollinis Oraculo, ubi nter cætera ita legitur.

Lætitiam simules, uretur & illa uicißim:
Si te ridentem uiderit, illa gemet.

Fac periculum in litt.

Vulgaris, & Leguleiorum uox est, qui tacet, consentire uidetur. id cúm Parmeno intelligeret, & ab omnib. Eunu-

chum fictitium laudari uideret, exultans uoluit excitare Thrasonem hoc ueluti reciproce testimonio; quo utimur, cúm affirmationis nostræ approbationem, & experientiam præsentem, id est, βάσανον, proponimus. Qua Cicero 4. Verrina usus est: Veniat nunc, inquit, experiatur: tecto recipiet nemo. Sic Ouidius 3. de Trist.

Quod magis ut liqueat, néue hoc ego fingere credar;
Ipse uelim pœnas experiare meas.

Id autem in Dialectica cum effectis destinatis comprehendimus; ut enim caussa est actu, & potentia (ut uocant:) sic & effectum factum, & experiundum; quale hic est. Ex quo discimus quibusnam olim studijs operam iuuenes dabant, quibusq; artib. instituebantur; nimirum Palæstra, & Musica: quarum altera motum corporis, altera ueró animi componebat. nisi per hanc uelimus antiquorum more omnes disciplinas, id est, ἐνκυκλοπαιδίαν intelligere; ut per illam reliqua exercitia, quæ ad corpus spectant: ut temperantia etiam omnes uirtutes continebat. sed & hic locus, & qui est apud Ciceronem I. Tuscul. de Themistocle lyram oblatam in conuiuio (ut mos erat) recusante; quo habitus est indoctior; & item ætas adolescentuli Chæreæ repugnaret. Cæterúm similis feré, etsi generalior, sententia eiusdem Parmenonis pauló anté fuerat, cúm dixit, Res indicabit; id est, experimento, & euentu rei ueritas ostendetur. Sic Pindarus in Nemeis: ἐν δὲ πειρᾶ τέλος διαφαίνεται ὧντις ἐξοχώτερος γένηται: Experimento ueró tandem apparet, quib. sit aliquis præstantior.

Thais, ego quàm sum, maiusc.

Hic, diminutiuum nomen, maiuscula, retinet uim auctionis

minoris, id est, ut uulgó uocant, comparatiui; unde & formata uox naturam eiusdem retinet. quare póst, sequitur, quám. Hinc colligis Thaidem artem meretriciam, adolescentem eam, maximé exercuisse. Fuit enim re uera, nobilis meretrix Athenis tempore Demosthenis; qui, cúm ab ea sui talento facta esset copia, tanti, inquit, pœnitere non emo. Eam Menander carmine nobilitauit: nomenq; habuit à pauone, qui Græcis ταὼς est, addita aspiratione. Cúm sint fœminæ duodecimo anno uiris aptæ (ait Plinius;) certé ab eo tempore cauendum est ne corrumpantur.

Heri aliquot adolesc.

Quid esset symbolum in Andria notauimus. hic edere de symbolis, est, particeps esse mutui conuiuij. ut olim adolescentulis fieri permittebatur; & nunc item, sed plus satis. nisi quòd (ut Cicero I. Offic. ait) pueris ut non omnem licentiam damus; sic nec, quæ ab honestatis actionib. non aliena est, negamus. quin & ipsa natura (inquit ille pro M. Cælio) profundit adolescentiæ cupiditates: quæ si ita erumpunt, ut nullius uitam labefactent, nullius domum euertant, faciles, & tollerabiles haberi solent. & poeta;

Prima cum tenera resecentur crimina barba.

hic uidetur alludere. Colligis & hinc annulos gestari solitos ab adolescentulis.

Quædam hodie est ei.

Aut, hodie, hic redundat, aut lapsus est Chremes Terentianus. nam pridie (ut conijci potest, & debet) oblata fuerat uirgo, & nocte sequente ab adolescentulo stuprata. Sic igitur uersus tetrameter acatalecticus legendus:

C. Istam ipsam. A. Sic commemineram. C. Quædam est ei dono data.

Miror hunc locum á tam multis, & lynceis interpretib. prætermissum esse. longé plures annotarem, nisi & breuitati studerem, & otium deesset. Nec tamen hic obest, quod sequente actu dicetur: nam temporis ratio non ita bené habita est.

Quo pacto Danae mis.

Hanc fabulam Ouidius 4. Metamorph. & Horatius Ode 16. lib. 3. Carm. & Prudentius in Symmachum describunt, & interpretantur; sed de auro, & pecunia tantúm, qua nihil non expugnatur. Ego uero, si quid in Mythologijs explicandis (quod sentio quám sit exiguum) sapio, etsi illud non reprobo; tamen et longé aliud addo; nimirum hoc; Iupiter, id est, Deus, & caussa prima, operatur caussa secunda, quæ natura est, nomine Danaes significata: quæ ideo ἀπὸ τοῦ δανίζειν, id est, mutuó dare, & ueluti ad usuram tradere, appellata est. hinc δάνειον, mutuum, debitum, usura. Fuit Acrisij filia Danae, quæ á Ioue in aurei imbris effigiem conuerso compressa Perseum peperit, qui auum suum occidit. Quód autem summis quibusdã philosophis, ut Platoni 1. & 2. de Rep. & Ciceroni 1. Offic. & 1. Tuscul. eiusmodi fabulæ de Deo non placuerint, haud ab re contigit. mouebantur enim eo, quod Vulgus (cui fabulæ pingebantur, ut hic) de illis in ludibrium referebant. sed si diuinitatem mythologiarum attentiús cõsideraßent, habuissentq; rationem indignationis de Dei, & Naturæ arcanis uulgó referendis; haud dubium est, quin aliter sensissent. Sed de his plura in nostris Mythologijs, quas non sine labore parimus

ACTVS IIII.

Actus autem quartus scenis, uel colloquijs septem constans ad Epitasim feré totus pertinet. primum colloquium est descriptio suspicionis ancillæ de ui inferenda Pamphilæ, uel Thaidi à Thrasone, ex adiunctis. syllogismus est integer.

Secundum ueró descriptio etiam sollicitudinis Phædriæ ex caußis, & effectis.

Tertium grauis conquestio Pythiæ ancillæ de stuprata Virgine Pamphila á Chærea.

Quartum disquisitio de stupratore Chærea, non Doro eunucho; accusatio Parmenonis, & Chæreæ paratur.

Quintum descriptio temulenti Chremetis adolescentis ex caußis, & effectis etiam.

Sextum exponit uiolentiam militis futuram in rapienda uirgine, quæ soror Chremetis asseritur: is ad magistratum accurrere propterea instituit.

Septimum, et ultimum exprimit uanitatem Thrasonis in oppugnandis quasi hostili exercitu Thaidis ædib. accurrit Chremes, minitaturq́; : tandem utcũque remissa fit ira militis.

Extrema linea amare.

Variæ fuerunt interpretum opiniones de linea extrema, ut Ioannes Theodoricus annotauit; nec tamen adhuc certa metaphoræ huius loci ratio deprehensa est; tametsi permulti opinionem uerisimilem attulisse uidentur: ideoq́; adhuc liberum est suam de hac re dicere sententiam. Dicam igitur, omißis, quæ de lineis Musicis, & Geomanticis ueniebant in mentem, cúm hæc scriberem: Linea igitur est magnitudo tantúm longa: sed ipsa magnitudo, linea, uel

lineatum. Quod autem ponitur in medio lineæ, uidetur principatum loci obtinere quidem; ſed & quod in extremo eſt, locum aliquem ſaltem occupat, & ita eſt aliquid. Sic ex reb. corporeis, & imaginarijs, hoc eſt, mathematicis, & Geometricis metaphora ducta eſt ad ea, quæ ſunt animi, rerumq́; ciuilium, & actionum humanarum. Nam qui ſunt in medio maximi habentur, ut principes, & iudices: hiq́; cum cæteris ex loci ordine ita collocantur, ac ſi eſſet linea. Sic nihil eſt rationis, cauſſæ, argumenti, rei denique cuiuſuis, qui cum cæteris ſuum locum, ſuamq; dignitatem non habeat. In amore igitur etſi multæ ſunt cauſſæ, quæ ad amandum prouocant, quæq́; uoluptatem adferunt, ut colloquia, oſcula, tactus, & uiſus; tamen ſi ea defuerint in medio magnitudinis illius, ſaltem in extremo erit, amare; & ideo aliquid etiam erit: nam ultra lineam nihil eſt; extremumq́; illud utrinq; finis eſt. Quòd autem negotium faceßit, dicere, extremam lineam; facilè id dirimetur ex reſolutione adiectiui in ſubſtantiuum; dicemusq́; extremam lineam poni, pro extremo lineæ. Quod Latinis uſitatiß. eſt. tametſi propriè differunt: nam illud de ordine; hoc uerò de ſubiecto intelligitur. Quod ſi alijs non ſatis id erit, ipſi ingenium ſuum excitent ad melius quicquam excogitandum quoad melius nobis occurrat. Cæterùm ſuprà legendum eſt, cupibat, non cupiebat: nec diuidendũ ob ſequens uerſum.

Amatores audieram eſſe.

Philoſtratus in uita Apollonij Thianæi id aſſeuerat, exemplo in aula regis Babyloniæ edito. quod & ipſe Thianæus biduo antè Damidi in itinere ſocio prædixerat, certisq́; rationib. comprobarat. Nam in re uenerea non ſolùm inſtru

mẽta naturæ apta. ſed et imaginatio, atq. cupiditas requirũtur; quib. Eunuchi non carent. quid quód ipſis eſt uenus puerilis, & flatuoſa?

Quod ſcis, neſcis.

Non modó prudentiæ, ſed etiam neceßitatis eſt nonnunquam permulta celare ad tempus, & ſupprimere loco, quaſi facta non eſſent; ut hic Phædria facere conſulitur; & ſanè quidem, ne in tanto iam imminente, iamq́; excitato periculo Thais, & Chremes uitium uirginis tam citó reſciant, unde turbæ tragicæ pené oriantur. Eſt igitur prouerbiũ, quó rem, & conſilium noſtrum ueluti ad maturitatem peruenire ſinimus; ne fructus acidus ante tempus comedatur: & pené dixerim uoluntariam, ſpontaneamq́; ignorantiam. Videtur autem alludere ad illud Socraticum, et Academicum; Hoc unum ſcio, me nihil ſcire: τὸ ἓν γινώσκω, ἐμὲ οὔδεν γινώσκειν.

Sine Cerere, & Baccho.

Et hæc ſententia prouerbialis eſt, ex caußis rei Venereæ per metonymiam contexta: ſed quæ tamen non de maxima intemperantia intelligi debeat: tunc enim Venus langueſcit, & minùs poteſt exerere ſuas uires, quám ſi maxima anté præceßiſſet ſobrietas. ſunt enim ebrÿ, nimiumq́; intẽperantes, ad hoc natura conceſſum munus in liberorum legitimam procreationem impotentes. unde illud Diogenis in temulentum, & imbecillem adoleſcentulum; Ebrius, inquit, te ſeminauit pater. Quare ſi & rationi, & experientiæ credimus, id uidebitur paradoxon.

Omnia priùs uerbis.

Variè legitur hæc ſententia prouerbialis; Quidam enim ſic habent libri.

cõsilio omnia prius experiri, quàm armis sapiētē decet. Sed gratiùs quiddam aurib. sonat propter paronomasiam, quæ hic est, (cet.

Omnia priùs experiri uerbis, quàm armis sapientē de-

Id quod & magis subsequentib. Thrasonis (qui more bellico cum hostib. uolebat contendere, uulgó, parlementer,) effectis congruit. Similis autem huic fuit proximo colloquio, his uerbis.

--- Sed tu quod cauere poßis, stultum admittere est.

Sic Cicero interpretari uidetur hanc sententiam pro Cecinna; Considerati hominis est, inquit, iure decertare, armis non contendere. Hoc enim aliquando prodest, illud semper, & certó. Quare (ut idem I. Officior. ait) expetenda magis est decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo. Parua enim sunt arma foris, nisi est consilium domi. Sic Iuppiter apud Ouid. I. Metaph.

Cuncta prius tentanda mihi.

ACTVS V.

Quintus, & ultimus actus sequitur, sed pauló prolixior; nouem enim dialogis absoluitur propter alteram partem Epitaseos fabulæ in deprehenso Chærea. Primus igitur dialogus est, quo Thais rescit ab ancilla Pythia uitiatam esse uirginem à Chærea; unde grauis conquestio.

Secundus uero contentio pathetica Thaidis cum Chærea de uitiata uirgine; placatur tamen illa, quód hanc in uxorem ducere adolescens pollicetur.

Tertiùs uidetur esse appendix epitaseos, ad suspendendam Catastrophem, quæ in secundo incæpit: ex adiunctis adinuentionis doli, quo Pythias Parmenonem ulcisci poßit.

Quarto gloriatur, & exultat Parmeno de facto suo accusans meretrices.

Quinto ueró terretur Parmeno à Pythia ex effectis fictitijs, quib. illa Chæream ob stuprum asserit colligatũ, & uinctum à Chremete.

Sexto Lacheti seni à uilla redeunti Parmeno historiam totam narrat: unde non parúm commouetur senex ob aduentitans, ni caueat, incommodum.

Septimo ridetur Parmeno credulus ab ancilla: quin et timore totus concutitur.

Octauus habet sententiam Catastrophes in partem; qua Thraso deliberat se Thaidis uoluntati dedere, argumento ex paris comparatione sumpto.

Nonus omnino Catastrophen habet, qua exultanti Chææ, & ducenti uxorem, ut & Thaidi, sed primum Phædriæ satisfit: unde Gnatho item gaudet. Nam Thraso utcunq. admittitur.

Scio, nescio; abiit.

Prosopopeia alienæ personæ, utpote Pythiæ, ex adiunctis effectis dissentaneis incertitudinis, & inscitiæ coactæ; qua tandem premitur ancilla, & uerum fateri cogitur. Qui modus loquendi est admodum auditorib. gratus; habet enim aliquid peculiare, quod satis scripto exprimi nequit.

Digna hac contumelia.

Hic dißimile non est, sed dissentaneum diuersum argumentum, quod sola ratione à re dissentit: quanquam inter se magnam habent affinitatẽ. Est'q; utrinq; diuersum hic affirmatum; ut & soluendi quædam species, quæ non à rei modó natura, uel quæstionis altera parte, sed ex persona petitur: cúm uidelicet regerimus, ostendimus'q; non decere

personam

aduersarij, ut hæc nobis obijciat, etiamsi constet ea ueré esse. Vide Rod. Agricolam lib. 2. cap. 21. & nos ea de re in Exercitatione Dialectica. Cæterúm hic locus est communis de personarum decoro, περὶ τοῦ τῶν προσώπων πρέπου.

Meretricum ingenia, & mores.

Qui accusant Terentium, & uetant ne pueris prælegatur, (sunt autem ij, qui nunquam Terentium sunt assecuti, quiq; nunquam intellexerunt,) uel á seruo comico discant, quis Comœdiæ finis sit, & eorum omnium, quæ in comœdia fiunt, aut dicuntur, scopus: uereanturq; ne ipsi longè sint hic dißimiles, quód non audiendo innuant, sinant, faciant deniq. ne quid peius addam. Tamen hoc libenter confiteor;

Sunt bona, sunt mala, sunt mediocria quædam,
Quæ legis hic; aliter non fit, Auite, libenter:

Obserua autē hic meretricū perelegantem descriptionem ex effectis dissimilib. turpitudinis. & in uerbo, liguriunt, non debet esse duplex r: est enim á Græco λιγύς, υος; uel λιγυρός, quod est, suauis, canorus, stridulus, facundus: unde λιγυρίζω, canto: ubi secunda syllaba semper longa est; Sic Horat. Serm. lib. 2. Sat. 2.

--- puer unctis
Tractauit calicem manibus, dum furta ligurit.

sed hic ligurire degenerat à Græca significatione in peiorem partem.

Id quod Mœchis solet.

Vrbana periphrasis uirilium, & rei pudendæ pœnæ, quā sic ita pauló altiús repetitam intelligas. Caussæ præcipué, cur tam Philosophi, quàm Legumlatores pœnas alicui de

linquenti contra Leges statuerint, hæ sunt; nam aut castigationis, & meriti; aut uiolatæ dignitatis; aut edendi exempli, & metus aliorum (ne impunè peccetur) concitandi gratia (quæ singula Plato II. de Legib. nomine κολάσεως, τιμωρίας, καὶ παραδείγματος intellexit,) pœnæ infliguntur. quarum genera octo in libris de Legib. Cicero enumerat, damnum, ignominiam, seruitutem, uinculum, uerbera, talionem, exilium, mortem. quæ singula percurrit Ouidius libro in Ibim, uti nos in nostris Commentarijs (quos Inuidis nostris dedicauimus) copiosè demonstrauimus. Athenienses autem Mœchis, id est, adulteris hanc pœnam infligebant, quæ παρατιλμὸς dicebatur, & ἀπορραφανίδωσις: Nam pauperi insperso cinere calido nates depilabantur, & in anum, seu podicem raphani immittebantur, ac intrudebantur: Inopi uerò sedes, & pudenda expilabantur. Nam diuites se pecunia redimebant. Extat & lex ea de re, sed obscœniori pœna in aliam conuersa. Huc ut Terentius, ita & Catullus, & Iuuenalis plerisq. in locis respexerunt: sed abusiuè Pythias Terentiana, ut à Parmenone ex repugnante reprehenditur.

Rectè sanè interrogasti.

Hac approbatione, correctione, & reuocatione fingit seruus se hallucinatum fuisse in dicendo; quod data opera fecerat. Methodo enim prudentiæ ordinem, sed appositè perturbarat; insinuationeq; id quod erat ultimum supremo loco posuit: ut inde iam occasionem purgationis, & excusationis arriperet.

Ni miserum insuper.

Argutè dictum: cuius sensus est, alia ratione, & modo

huic rei consultum esse uero ut satisfieret amoris uehementiæ Chæreæ, & puellæ agnoscendæ, adeoq; in uxorem dandæ, quicquam melius accidere potuisset. Quód uero attinet ad comminationes sequentes, Tu pendebis, qui stult. &c. res quidem uera est per se, tametsi à leuiscula meretrice citata. Nam si leges ciuiles, ac imperatoriæ (ut in Andria iam notauimus) decernunt pœnas ijs, qui alienos seruos uel seducunt, uel rapiunt; quid faciendũ est ijs, qui liberos, & ingenuos?

Nunquid, Gnatho, dubitas.

Hic aliud esse colloquium uidetur; sed tamen ultimo huiusce actus, ac fabulæ permixtum est pauló (ut uidere est in trib. locis) perturbatius. Quod ideo factum est à Poeta, ne catastrophe tam diu expectaretur, neue, tot essent separata colloquia, propter occasionem iam unà conuenientium personarum. Id annotare ideo uisum est, quód hic pueri forté in legendo tam præfractam sententiam hallucinari possent: & ideo uoluptatem in ediscendo, quam spectatores concipiunt in audiendo, uidendoq;, non capere in exitu fabulæ huius; quæ tota est elegans, & sua uis. Cæterúm obserua in oratione Gnathonis adulationem uarietate numeri pluralis cum uno Phædria expressam; & præcipué hic diuersum eius modum uidebis in uerbis, Recipiatis, & Recipimus. Nam quod de attica Eloquentia dicit, ironia est, non assentatio modò gnathonica.

EPILOGVS.

Vos ualete, & plaudite.

Epilogus breuiſcula congratulatione contextus ex adiuncto duplici, ſcitè cum præcedenti ſermone Gnathonis loquentis cohæret: ecquid interpreti mihi, ſed non gnathonico apud uos, ſtudioſi tyrones, non cohærebit?

VINCENTII CORDATI VESVL. EPITOMAE, ET ANNOTATIONES REI, AC STYLI IN P. TERENTII AFRI HEAVTONTIMORVMENON.

INCRIPTIO, ET SVMMA Fabulæ.

Hæc Comœdia inſcribitur Ἑαυτοντιμωρούμενος, *Seipſum excrucians, ab euentu, & facto Menedemi, qui fruſtrà ſe laborib. affligebat. Greca eſt ex Menandro, nomine etiam Græci authoris retento.*

Protaſis.

In protaſi huius fabulæ deſcribitur primùm aſperitas Menedemi in filium Cliniam, quem liberaliter, honeſtéq; amantem (ut adoleſcentib. ferè contingit) immodeſtius tractatum, licet frugi, perpetuis iurgijs, atq. contumelijs ui-

ctum domo eiecit, & militatum in Asiam coegit. Deinde ingentem dolorem narrat Chremeti Menedemus, quem de filij absentia cepit: qua omnia pené uendere, & agrum sibi comparare, ubi semper sese exerceret, quasi ultrò de se supplicium absenti filio dando, impulsus est: sed ubi Vicinus Menedemus uicino Chremeti solando non desit; cui uel inscio multó peiora contingunt; dum non sentit se á scorto sumptuoso expilari propter amatorem filium: quod tamen ubi rescit multó fert impotentiús, sed seró, ut dicitur.

Epitasis.

Interim ueró Clinia post aliquot menses reuerso, exultante ipsius patre, & ad Clitiphonem amicum digresso, techna Syri serui Chremeti uelut mente capto adducitur Bacchis filij amica uná cum Antiphila, prætextu seruili: & á Chremete priús argentum emungitur Bacchidi numerandum, pro arrhabone Pamphilæ agnitæ pro filia ipsius Chremetis, annulo uná uidelicet dato, cúm á matre anui committeretur, & daretur; quám compertum sit res agi filij Clitiphonis. Fallitur enim cúm putat Bacchidem esse Cliniæ amicam.

Catastrophe.

Tandem ueró etsi Chremes re omnino cognita grauiter irascitur, & excandescit; tamen postquam Antiphilam Cliniа in uxorem omnium consensu duxit, tum ille filio Clitiphoni, relicta Bacchide, aliam dat coniugem. & sic unicuiq. satisfit ex animi sententia.

Iudicium, & doctrina.

Quám elegans, & uenusta sit hæc fabula, non modó alij, sed etiam poeta ipse testatus est; qua mirifica omnino hu-

manorum consiliorum, euentuumq; imago primúm depingitur; ut uere sit dictum illud, Foris, non domi sapimus. Deinde ostenditur nimia in Liberos nonnunquam parentum asperitas, ut nonnunquam indulgentia; qua illi solent pusillanimes fieri. Id'q; uitium maxime commune est praeceptorib. in quos illud non immeritó descriptũ extat emblema, aequé ac in parentes: fingitur enim Dea tanta esse in famulas saeuitia, ut eae in belluas degenerẽt:

En Dea saeua nimis factu, cultu'q; superbo,
Quae famulam manibus tam imperiosa ferit?
Ad cuius prostrata pedes mutatur in ursam
Virgo; cui fuerat libera forma priús.
Picta Magistrorum tali est eicone tyrannis,
Quae puerum naturam efferat ingenuam.
Liberiore priús fuerant ut qui indole nati,
Supprimat abiectos, cogat & esse feros.

PROLOGVS.

Ne cui sit uestrum mirum.

Huius prologi duae sunt partes initio positae; altera igitur est de nomine Comoediae indito ex adiunctis nouitatis, & authoritatis, quae praeteritione attingitur. altera uero duplicem accusationem aduersariorum habet, & idcirco duplicem poetae defensionem, quam antecedit praefatiuncula beneuola, & excusatoria ex dißimilib. adiunctis officij, & muneris: ubi per oratorẽ, eũ qui caussas dicit, et agit, intelligimus; per prologũ uero, qui de re praefatur: quãquã ea leuiscula distinctio est, et allusio tãtũ ad causidicos: nisi quid hic obijci poßit ob diuersarũ profeßionũ rationem. Prima igitur defensio concluditur ex inuersione rei confeßionis, id est, ex adiunctis laudis. Secunda uero tractat hanc quae-

ſtionē, An ſit poeta repentino ſtudio, non proprio ingenio: ad quam concludendam argum. ſumitur ex parium adiunctorum comparatione, ad hunc modum:

Si ueſtra exiſtimatio, & arbitrium ueſtrum hac in parte ualebit, certè Terentius natura eſt poeta, & falsò ab inuidis calumniatus:

At ualebit: Quamobrem & iſtud uerum comperietur. Aſſumptio cuius ut pendet ex opinione, & iudicio populi obteſtati hic ſæpiùs; ita duob. præcipuè argumentis innititur; alterum eſt ex effecto, & adiuncto puritatis, mutua aduerſarij ab effectis repugnantib. accuſatione illuſtratum; (ubi digreßio eſt obteſtatoria ex fine facultatis, qui uarijs adiunctis declaratur, ut & diuerſis diſſentaneis, cum renouatione obteſtationis;) alterum uerò ex adiuncto puritatis repetito: ubi fit cum poetæ, tum actoris commendatio ex adiunctis officij, & beneuolentiæ. Sed hic eſt initiò uidelicet, quod (ut ait de ſeipſo Theodoricus, alioqui, meo iudicio, uir acutiſsimi ingenij) multos torſit, uel propter immutatum rerum propoſitarum ordinem, uel quidem uerborum. Etſi autem (quod ad me attinet) prima fronte, cùm hæc annotarem, ſentiebam, interpretandum illud, Id dicam primùm, ita ut partim ad præcedens referretur; partim ut, dicam, pro, dico, per quandam parentheſim acciperetur: tamen longè aliud ſtatim ſeſe mihi ob oculos animi obtulit, quo nihil præpoſtero ordine explicatur. Nam quãuis omnia, quæ ſequuntur ad poſterius propoſiti membrum referri poßit; tamen quod ſequitur à tertio carmine uſq. ad decimū, propriè ad prius, ſi rectè aduertis, pertinet. Vbi enim aliàs tractaretur, & explicaretur? ſuì ne ita poetam, & actorem ſtatim initio

(ubi maximé elaborandum est) oblitos putes? Quid quód transitione ad alteram partem illo uersu decimo utitur? Atq. ita bellum illud Latomi, & artificiosum (ut sibi uidetur) commentum quid hic proderit? Sed erroris nodus est, quod locum nemo recté intellexerit; ut nec caussas, quib. impulsus fuerit poeta, ut primas seni daret, unde & fabula nomen habuit. Quæ sunt ergo illæ? nouitas, & authoritas. Nam si Comœdia noua est, & à nouo poeta descripta nouo pené more, nouo argumento, ingeminato nempe; cur primas partes alij non tribuet poeta? Vides igitur quám in re aperta nonnumquam cæcutiamus. Miror equidem Muretum uirũ alioqui ingeniosißimum hũc locum prætermisisse. Vbi forté prolixiores fuimus; sed suscipienda erat caussa defendendi utrumq. poetam uidelicet, & actorem; qui me idcirco non prologum hic, sed oratorem esse uoluerunt.

ACTVS I.

Actus primus trib. tantúm colloquijs (sed quorum prius est paulò prolixius) constans, ad protaseos primam partem spectat. Primo autem illo describitur accusatio Chremetis in Menedemum, & huius excusationem, quód se laborib. maximis conficiat; caussam longa narratione, ac descriptione exprimit, ubi de amorib. filij multa, sed longè plura de ipsius Menedemi propterea asperitate in illum: quam tanta secuta est ægritudo, ac mœstitia, ut inde perpetuis se laborib. quasi pœnis quibusdam, sponté affligeret. tãdemq; senem senex Chremes solatur, & ut sit bono animo iubet: ibiq; maxima uis amicitiæ ostenditur, ut & parentis pietas, & amor in filium etiam post asperitatem.

Secundum ueró describit aduentum Cliniæ, ut & eius,

inuitatio est ad cœnam: tum immanitas patris illius; ac postremò excusatio huius: unde occasio fit admonendi Cliiphonis. dignum patre cum filio colloquium, & graue.

Tertium habet conquestionem, & contemptum de paternis admoniitionib. quod ut actus secundi non est, ita nec præcedentis colloquij.

ACTVS II.

Secundus actus etiam ad protasim spectans habet quatuor colloquia: Primum igitur est sollicitudo Cliniæ de mora mulierum inuitatarum. Syllogismus hic est connexus: Si nihil mali esset, iam hic adessent: at iam hic aderunt: ergo nihil mali est. ita soluitur sollicitudo.

Secundum uerò prolixum est, quo narrat Cliniæ Syrus, quàm Antiphila illo absente pudicè uixerit: tum initur consilium de fingenda Bacchide amica Cliniæ, ut sic Clitipho delectetur, & potiatur.

Quartum & postremum habet Bacchidis gratulationem apud Antiphilam, & congressum, ac salutationem cum Clinia.

ACTVS III.

Tertius uerò actus in tria colloquia distinctus ad epitasim totus pertinet. Primum illorum describit Menedemo reditum filij Cliniæ ex Asia: item illius lætitiam, quam proinde capit, ac postremò sanum Chremetis consilium de celando maximo illo amore quodammodo.

Secundum describit consilium Chremetis, quo Syrus dolo pecuniã à Menedemo extorqueat. quod tandem in ipsius caput redundat postea.

Tertium describit reprehensionem Clitiphonis à patre, quod ille se cum Bacchide paulò immodestiùs gessis-

ſet; tum conſilium ſerui, & occaſio exponitur, qua pecuniam extorquere à ſene poßit. Vbi eſt & paraſceue ad cataſtrophen.

ACTVS IIII.

Actus quartus etſi continet cataſtrophes occaſionem; tamen ea longiús ſuſpenditur. continet autem ille octo dialogos, uel colloquia; quorum primum eſt agnitio Pamphilæ ex annulo; unde iurgium uiri, & uxoris.

Secundum conſultationem Syri de alio modo emungenda pecunia à ſene habet.

Tertium exprimit Cliniæ lætitiam de agnita Pamphila conceptam; ubi & ille Syrum monet, ut Clitiphoni adſit.

Quartum fictionem Bacchidis in contendendo cũ Syro ob pecuniam corradendam dipingit.

Quinto Syrus à Chremete argentum accipit. & fit commiſeratio Menedemi ob traductam ad ipſum Bacchidem cúm omni pompa.

Sexto fit conqueſtio Clitiphonis in Syrum, á quo tandem inito remedij conſilio placatur.

Septimo offertur pecunia danda Bacchidi: tum de ornatu, ac ſumptu faciundo filiæ gratia agitur.

Octauo omnia deteguntur Menedemo á Chremete, & agitur de faciendis citò nuptijs.

ACTVS V.

Quintus & poſtremus actus ad Cataſtrophen pertinet; quæ tamen in partem aſperitate Chremetis ſuſpenditur. Continet autem ille quinque colloquia: primum detegit fallaciam Syri, qua uolebat Antiphilam Cliniæ dari: tum Bacchis probatur amica Clitiphonis; unde non parùm

commouetur apud Menedemum Chremes.

Secundum continet eiusdem Chremetis in filium increpationem grauißimam; tum Syri consilium, quo Clitipho uult rescire, num legitimus sit filius.

Tertio reprehensio Sostratæ à Chremete facta mordacib. nimiúm dictis, & salib. non illepidis tamen. rogaturq; illa ut fingat Clitiphonem suum non esse filium.

Quarto rescire uult Clitipho, qui sui sint parentes; idq; à Sostrata matre sciscitatur, ut Syrus consuluerat. Vbi grauiter à patre accusatur, & contumeliis afficitur.

Quinto ueró & ultimo altera pars Catastrophes detegitur interuentu Menedemi: Clitipho etiam inuitus uxorem Archonidis filiam scilicet ducit; & ita omnia fiunt tranquilla: nam & á Chremete seruo ignoscitur.

Mihi sic est usus.

Cúm defensionem Chremes rursum dilueret, & argueret, Menedemus pauló concitatior hanc permißionem ex comparatione parium caussarum, & studiorum statim reposuit: cui similis est in Adelphis, etiam absque notis comparationis:

Quando ego non curo tuum, ne cura meum.

Vbi obseruabis admonitionē, quæ nullo iure fit, magis irritare solere. Id quod cúm experientia discimus, tum illo ἐπιμυθίῳ Ouidiano lib. 3. Metamorph. cum agitur de Pentheo Echionis filio; qui cum diuinatore contendens ab auo, & patruo Athama propterea reprehensus multó grauiùs irascitur, & excandescit. Id nominatim annotare uolui, quòd sciam permultos esse Μωροσόφους, qui cúm alios immeritó reprehendunt nolunt ipsi reprehendi: sed illud sibi quasi iure peculiari quodam uendicant.

Signum, & non instrenui.

Vel hic uersus claudicat, uel aliquid addendum puto, nimirũ uoculam, ut, hoc modo:

Animi est prudentis signum, ut & non instrenu'.

ut, i, in ultima uoce, instrenui, elidatur propter sequentem uersum inchoatum à uocali. atq. ita sensus huius loci erit clarior. nam ista correctiuncula occupationis, & accusationis Chremes uult adolescentem obiter commendare, & aliquid mediocritatis inter pudorem, & audaciam nimiam colligere. quin erit paris comparatio ad hanc rem exprimendam non illepida. Miror hunc uersum non obseruatum ab alijs tam Lynceis fuisse.

Sed reprimam me; nam.

Id quidem prudenter dictum, si mediocritas adsit: nam & ipse Chremes postea experietur quàm nimius metus degeneres pueros reddat; cùm Clitipho quæret quosnam habeat parentes. Ita hic se gerere unumquemq. puto debere; norint filij genuinum, & uerum patris amorem; norint & odium si deliquerint. Aduerte & commentum prudentis senis in prouerbiali metaphorica sententia.

Nnnc ait. astutus.

Vox, astutus, ad, nunc ait, referenda est; ut sententia prosopopeiæ includatur. Vbi uide quanta filij in patrem petulantia sit, ex comparatione dictorum meretricis, quæ hic illis longe præponit, & maiora censet.

Dum sermones cædimus.

Cædere sermones, id est, mutuo colloqui, iaser ensemble: uel colloquia permiscere. ut sit metaphora à reb. corporeis frustillatim concisis, ad rem incorpoream. Idq; per diphthongum: sine diphthongo uerò non ita propriè absq. datiuo:

Cicero de Legib. Te historiam tractante effici potest, ut in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. Ego uerò puto legendum esse, edimus: ut apud eundem Ciceronem de Finib. edere clamores. & ad Q. Fratrem, edere miros risus. sic apud Ouid. in Fastis,

Intempestiuos edidit ille sonos.

Texentem telam stud.

Sic Ouidius, & alij hoc adiũcto honesti exercitij, & uerè muliebris laboris Penelopes arguunt pudicitiam. Cultus enim, & uictus mediocris, & familiaris uitam indicant modestam, ac temperatam. Hinc ergo facilè colligere est, quàm multæ nostro tempore mulieres, si non reipsa, animo tamen sint impudicæ, dum, adiuncto otio, utrarumq. rerum luxu, ac delicijs totæ perfluunt.

Si quidem id sapere.

Imò uerò, Syre adulator, & impostor, omnino desipere est. nam sententia contraria fuit aliàs:

Cùm id, quod uis non posis, quod tu potes, uelis.

Ergo hic Sophistã se præbet Syrus: nisi quòd euentu res benè succedet, quæ consilio fieri uix poterat: quin nec omnino Clitiphoni ex animi sententia succeßit.

Gemitus, screatus, tusseis.

Erasmus libello de Ciuilitate morum puerilium, cùm de corporis totius cultu agit citat obiter hunc locum, sed non satis apposite ad rem, quam tractat: nam seruus hæc uitia non notat in adolescente tamquam naturalia, sed amatorib. communia: ideóq; monet, ne coram patre quicquam tale faciat, ne is amorem deprehendat. Euersæ autem ceruices hic significant synecdochικῶς gestum quemdam corporis demissum, aut resupinum, aut in dextram, uel sini-

ſtram partem protenſum, quaſi uelimus quempiam in mẽſa alloqui; quod amatorium eſt, tametſi ruſticum.

Formæ mores ut conſimil.

Alluſio ad illud Virgilianum 5. Aeneid.

Gratior eſt pulchro ueniens è corpore uirtus.

Et, Socrates formoſis, ſequimini, inquit, quæ formam deceant. ſunt autem hæc, uirtus, eruditio, & ſimilia. Citatur ab Ariſtotele I. Ethic. illud Theognidis:

Κάλλιϛον τὸ δικαιότατον, λῷϛον δ᾽ ὑγιαίνειν:
Πρᾶγμα δὲ τερπνότατον, οὗτις ἐρᾷ τὸ τυχεῖν.
Pulchrius aſtræa, melius nil corpore ſano,
Suauius & uoti compote mente nihil.

Diem adimere ægritud.

Sic Seruius ad Cic. 4. lib. Famil. Nullus eſt dolor, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat. & Plautus in Aſin.

Fortiter malum qui patitur, idem póſt potitur bonum.

Itan' comparatam eſſe.

In hoc epiphonemate incluſa eſt elegans quidem ſententia, ſed à multis uel in alium ſenſum diſtorta, uel non ſatis intellecta: tametſi hic palàm terentianus Chremes in optimam partem accipit: ſed ita, ut egregiè diſſerens nobis problema aliquod ex cauſsis affectib. proponere uideatur. Cupiditatem autem, hoc eſt, ratione hominis partem uacantem, rationi obtemperare admonitiones, increpationes, & cohortationes inducunt, ut aliena meliùs uideant, ait Ariſtoteles I. Ethic. Sed & illud non ſine magna Dei prouidentia fit, ut humana ſocietas meliùs conſeruetur, & ſit neceſsitudo communis. quod ipſe Menedemus innuere uidetur obteſtatione illa Deorum inuocatorum tan-

quam eius rei authorum. Vide rustici Pagani sapientiã.

Non'ne ad senem aliquam.

Hic metaphora est à machinis bellicis. ubi notandum illud Hesiodi, quod iampridem abijt in prouerbium:

Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Malum consilium consultori peßimum.

quod postea apparebit, cùm nollet Chremes.

Apud alium prohibet.

In dictis, & factis quid neceßitas, & decorum iubeant obseruandum. nam ut ἐπίκλημα frequens; ita hodie apud omnes rara ἐπιείκεια.

Interminatum. tolli. sustulisti.

Obserua phrasim, interminari alicui. & uocem, tollo, praeterit. sustuli. & rem, hoc est, immanitatem, & saeuitiam plusquam belluinam in caedendis foetib. quod olim fiebat; & nunc inueniuntur eiusmodi Medeae tragicae: qualis tamen Sostrata pia non fuit, quae filiae & uitam seruauit, & eam bonorum suorum participem fecit.

Quid si nunc coelum.

Cùm iam Syrus defessus esset in soluendo tot Cliniae obiectiones, paulò commotior unam prouerbialem hyperbolicorũ parium reposuit auditu iucundam.

Dionysia.

Dionysius, Bacchus, Liber: unde Dionysia, Bacchanalia, Liberalia, Orgia, festa Bacchi; quae apud antiquos Paganos tertio quoque anno celebrabantur. nunc uerò quotannis. Haec annotare uolui pro recente Carnipriuij memoria, quo tempore haec scribo.

Vah gloriare euenisse.

Probandum est, quòd Theodoricus loco, gloriare, legat, hariola

re, & magis præter cætera, quæ in hanc rẽ probandam affert, congruit cum sequente serui responso. Cæterúm ob serua quàm senes, etiam cùm uerum dicitur, tamen ob suspicionem, qua omnia reuocant in dubium, decipiantur.

Nulla est tam facilis.

Ab animo, & uoluntate actiones corporis pendent; si igitur ea languescit, aut inuita sinit; & facultates languescunt, ac debilitantur. contrà fit cúm uult, ubi illæ præsto sunt.

Adeo exornatum, ad. depex.

Parœmia ironica iratis, & minitantib. familiaris. ab ornatu corporis sumpta. continuatur autem in relatione caussæ, et effecti metaphora, & fit allegoria.

Aram, Precatorem.

Olim siquando serui grauius Dominos offendissent, uel ad aram Misericordiæ, uel ad eos recurrebãt supplices, quorũ gratia nihil non facturos heros putarent. Illam autem Misericordiã Statius 12. Theb. describit. & Plautus in Mostell. meminit ita:

Sed tu isthuc quid confugisti in arã hanc inscitißimus.

Hæc libertas olim in nostræ Galliæ templis fuit: sed regnante Francisco I. huius nominis cessauit.

Subditum.

Hoc intelligi potest ex præcedente dialogo. quasi dicat, suppositum, habitum pro filio, & penè adoptatum; non filium legitimum, nec à Chremete, & Sostrata natum.

Vt aiunt Mineruam.

Dißimile hoc ita intelligendum; etsi meus es; tamen non patiar me à te infamem fieri. prior pars illustratur comparatione paris; ubi allusio ad fabulam natæ Mineruæ

cuius

cuius rei ἐπιμύθιον est hoc.

Vsus me genuit, mater peperit Memoria.

EPILOGVS.

Valete, & plaudite.

Epilogus itidem connexus, ex adiuncto actoris, & spectatoris. cur non poetæ, & eius interpretis?

VINCENTII CORDATI VESVL. EPITOMAE, ET ANNOTATIONES REI, AC STYLI IN P. TERENTII AFRI ADELPHOS.

INSCRIPTIO, ET SVMMA Fabulæ.

A` NOMINE *facti personarum hæc Comœdia* Α᾽δελφοὶ, *Fratres, nomen habuit ex Græca Menandri desumpta, quam Plautus iam, sed ex Diphili ea, quæ Synapothnescontes inscribebatur, traduxerat, & Commorientes appellarat.*

Protasis.

Aeschinus adolescens á Mitione patruo adoptatus, & omnib. delicijs, ac indulgentia molli educatus Ctephoni frati cũ Demea patre relicto adamanti puellam quandam gratificari cupiens, eam lenoni ui rapuit, & illi tradidit. Quod ne durus pater Demea resciret, culpam omnem in se trans-

ferebat, cúm tamen ille rumore facti sparso ad Mitionem fratrem expostulatum uenit, & grauiter conquestum de filio, quem ei adoptandum dederat, nimia indulgentia corrupto, Periculum hic Aeschino, & seruulis, & sollicitudo de satisfaciendo Lenoni. Amabat autem & ipse Aeschinus puellam quandam nomine Pamphilam, & Atticam patria; cui stupratæ fidem dederat se in uxorem ducturum. Cuius mater cúm audit raptam ab Aeschino Cythariſtriam uerita ne puellam desereret, grauiter'q; perturbata tragœdias pené excitat.

Epitasis.

Intereá ueró cúm resciscit id factum Aeschini itidẽ magnopere commouetur; sed multó magis cúm, qui putaret, & tam sæpe Mitioni obijceret, se saltem unum filium modesté, & casté uiuentem habere, intelligit Ctesiphonem rem habere cum Cythariſtria. Hic igitur & adolescentes graui timore perturbantur, ut & mater puellæ, ac leno; sed præcipué Demea excandescit; omnes'q; in discrimen ueniunt.

Catastrophe.

Sed turbæ omnes prudentia, & mansuetudine Mitionis; cúm ipse ducit uxorem Sophronam; Aeschino Pamphilam dat in uxorem; Lenoni pecunia numeratur; &, patre Demea ultró citró'q; permittente, Ctesipho ex animi sententia amorib. Cythariſtriæ potitur.

Iudicium, & doctrina.

Hæc fabula continet diſsimilitudinẽ uitæ rusticæ, et urbanæ; cœlibatus, & matrimonij; aſperitatis, & lenitatis morũ; ostendit'q; nullam uirlutem in reb. domesticis, uel publicis, in'q; hominum cõmercijs utiliorem, aut gratiorem esse co-

mitate. Postremo hic exemplum est nimiæ indulgentiæ parentum in liberos, ut in proxima Comœdia nimiæ asperitatis. Qua de re emblema extat, similitudine sumpta à salice, ad hunc modum:

Frugisperda salix, cui dat circunfluus humor
  Nutrimen, calamos inter arundineos:
Filius est, cui patris opes alimenta ministrant,
  Vt fluat in molles undiq; delicias.
Inter adulantum pulchras specie, sed inanes
  Turbas, blanditiæ flexilis, & coracas.
Aetatis cum floræ suæ qui semina perdens
  Virtutum; multa postea fruge ualet.

PROLOGVS.

Postquam poeta sensit.

Huius prologi quæstio bipartita est; sunt enim maleuolorum duæ accusationes in Terentium, Quod sit suffuratus hanc comœdiam, & adiutus á nobilib. prima defensio ex dissentaneis diuersis, uel dissimilib. concluditur in hunc modum, syllogismus est integer:

Si hic locus est resumptus, qui ab illo prætermissus erat, non est accusandus Terentius: At illud est: Ergo hoc quoque existimari debet.

Secunda ueró defensio (quæ in alijs Comœdijs feré semper habetur) per inuersionem consequentiæ (ut uocant) ex dissimili, & paris comparatione concluditur. Tum occupatiuncula attexitur de prætermisso hic argumento, ex euentis soluta. postremoq; peroratiuncula ex adiuncto officij appenditur, ut præfatiūcula cū attētione suprá fuerat cst questio (ne proposita.

ACTVS I.

Primus actus ad protasim igitur pertinet duob. tātū dialogis ex

pressus: primus describit sollicitudinem paternam de Aeschino filio adoptitio, ex effectis, & adiunctis: tum lenem educationem liberorum probat; ac discrimen adolescentulorum bonæ, & malé indolis ex effectis ostendit. Hos locos in libro de puerorum correctione explicuimus. Est & hic locus communis de uitæ urbana, & rustica; cœlibatu, & matrimonio.

Secundo ueró Demea pater natura Aeschinum filiū grauiter ex effectis improbitatis accusat: Mitio ueró adoptione pater excusat, ac defendit uarijs argumentis adiunctis indecori difficultatis, & huiusmodi: ibiq; sunt occupationes frequentes de adoptione, sanguine, uoluntate, facultate. quib. totus Demea conuincitur.

ACTVS II.

Actus secundus quatuor colloquia habet, partim ad protasim, partim ad epitasim relatus. Primum describit Aeschini facinus, & cum Lenone contentionem, & altercationem ob raptam uirginem; ubi ordo inuersus est; nam illud Demea iam recitauerat: sed parúm interest; quin illud de minis, hoc de ipso facto intelligendum.

Secundum habet Samnij Lenonis conquestionem de iniuria sibi illata, ob raptam uirginem, & quód cæsus ille sit: tandemq; Syri consilio placatur, & eluditur.

Tertium est gratulatio, & commendatio Ctesiphonis apud Aeschinum fratrem officiosum.

Quartum ueró consultatio fratrum de reddenda Lenoni pecunia, & paranda cœna.

ACTVS III.

Tertius actus simul permixtus est epitasi propter geminum argum. & quinq. colloquia habet: primum est consultatio

ſollicitæ Soſtratæ ob imminentem filiæ ab Aeſchino grauidæ partum.

Secundo ſpargitur rumor facti Aeſchini, & eum teneri amore alius puellæ narratur: unde perturbantur grauiter mulieres: initurq́; conſilium ne omnino fraudentur.

Tertio multò magis Demea perturbatur cúm reſcit Cteſiphonem facinori interfuiſſe; miréq́; eluditur, dum putat rem agi Aeſchini.

Quarto accuſantur á Demea Aeſchinus, & Mitio; laudantur ueró ficté á Syro Cteſipho, & Demea; tum permiſcentur numera ſeruilia; & ſub finem ad paraſceuem commendatur Hogio.

Quinto exponitur factum Aeſchini Demeæ: conſultatur de iuuanda Pamphila: & Soſtratam Demea bono eſſe animo iubet, ſéq́; non de futurum Pamphilæ pollicetur.

ACTVS IIII.

Actus quartus epitaſis, & cataſtrophes eſt ſemptem colloquijs diſtinctus eſt: primum deſcribit optationem, & addubitationem Cteſiphonis de reddenda patri ratione: confirmat illum Syrus. Vbi miror quám hic Barlandus, & Malleolus delyrent (ſicut in pleriſq. alijs,) dum aſſerunt hic deſcribi mores probi, & uerecundi adoleſcentis; cum nihil magis nequam, & impium dici poßit.

Secundum initio Demeæ conqueſtionem, & ſollicitam curam deſcribit: tum commentum Syri, quo eluditur ille; ac poſtremò ingeminata, & perplexa loci deſcriptione: Ibi morem ſeruorum aulicorum in fallendis ſimplicib. & ruſticis notato.

Tertio purgat ſe, & Aeſchinum filium de ſuſpicione

alieni amoris; ex dißimili effecto. inde consultatur de adeundo Sostratam, cui hæc narrentur.

Quarto describitur Aeschini grauiß. dolor ob suspicionem conceptus: & est addubitatio, & consultatio.

Quintum est partim catastrophes, sed quæ differtur metu concutiendo primùm Aeschinum, propter Mitionis commentum, quod ut rem seriam non probat Aeschinus: inde proditus Aeschinus amator, & stuprator modestè, & lenitur á patre, arguitur; ac postremó deliberatio, & pollicitatio fit Aeschino de in uxorem ducenda Pamphila puerpera: unde mira uoluptate afficitur Aeschinus.

Sextum habet imprecationem Demeæ in Syrum, quód non satis aperté locum monstaret.

ACTVS V.

Quintus & postremus Actus etsi catastrophes est, habet tamen aliquid protaseos admixtum; & nouem dialogis, uel colloquijs absoluitur. Primo reprehenditur á Demea Syrus potus, & exultans: sed ille ab hoc perpetuo ridetur.

Secundo proditur Demeæ Ctesipho interuentu parasiti: & Syrus it dormitum crapulam.

Tertio accusatur Mitio simul ac Aeschinus á Demea: Mitio ueró defendit se, & illum: occupationes confutatoriæ adduntur: tandemq; Demea ipse rationib. uictus assentitur, & confirmatur in sententia Mitionis. atque ita sententia est Catastrophes.

Quarto metamorphosis Demeæ ostenditur: & comparatio illius cum Mitione fit ex dißimilib. ut stimulus sit ad deteriorem partem emendandum melioris ratione. syllogismus consultationis hic integer est, Si melius suc

cedet ex mutatione agrestium morum, eam præstare debeo: at fiet; hic comparationis dißimilis locus; Ergo & mores immutare debeo, & induere nouos faciliores, & candidiores.

Quintum pellepidos Demeæ mores, & præter naturã in congressu repenté ciuilitatem pingit.

Sextum non differt á proximo: sed ne frustrà laboret sibi suum exponit consilium Demea.

Septimo primúm ob moram nuptiarum offenditur Pãphilus: tum Demeæ consilium de intermittendis choreis, ac huiusmodi probatur; et postremó de consulendo ualetudini puerperæ. Hic Demea totus aulicus, totus ciuilis, totus pius.

Octauo, etsi magna difficultate ex repugnantib. ætatis, & decori proposita; tamen persuadetûr Mitioni, ut in uxorem Sostratam ducat: unde gratulatio postea fit.

Nouo & postremo seruus fit liber ex caußis officij, meriti, gratiæ: filijs adolescentulis uxores dantur: detegitur cõsiliũ Demeæ, cur tam subitó, ut uidebatur, mores mutarit.

Pudore, & liberalitate.

Hic Mitio, & póst immutatus Demea ex uulgi opinione seueritate in liberos non probant; & recté quidem, cùm nimia est. Nam aliás Terentius indicat mitiorib. se fauere patrib. seculi sui morib. hoc magis concedens, quàm quód ita faciundo re uera esse existimet. Cúm enim diuersa sint puerorũ ingenia, nõ uno, eodemq. modo tractãdi sunt; ut enim alijs calcarib. ita alijs freno est opus. Sed ea de re aliás.

Homine imperito nunquam.

Quàm uera sit hæc exclamatio, quotidiana experientia, uel cùm nolis docet. Sed nodus est erroris, quód quidem se doctos, & prudentes existimant; cúm nihil nec imperitum,

nec fatuum magis, nonnunquam etiam improbum ijs ipsis inuenias: tamen ita sibi placent, & blandiuntur, ut dicas alteros Narcissos: & uere quidem; nam ut Narcissus alios contempsit præ nimia φιλαυτίᾳ, & tandem contabuit, ac perijt; ita & Scolus nostris fiet; qui se sibi natos, solos sapere, aliorum uitæ regulam esse putant; cúm seipsos (quod extremæ dementiæ est) nesciant, & ignorent. Atque quidem nec satis est huiusmodi μωροσοφοῖς hanc falsam de se opinione induere, & præsumere; nisi & alios non modo suopte pede omnes metirentur; uerumetiam, quantúm in ipsis situm est, cogunt alios ad suam uerbis, gestib. & morib. expressam imaginem effingi. Quod quid aliud est, quám more Gigantum φυσιομαχεῖν, καὶ θεομαχεῖν?

Tale Gygantæum legitur genus: ut nihil altum
Cogitet. at spernat, uel neget esse Deum.
Et tantum, quantum sensu exteriore mouetur:
Commodat ad præseusse, uel ad id, quod adest.
Hoc genus anguipedum Mythici finxere poetæ,
Quorum affectus humi (segnis ad alta) repat.

Nam tollerabile nimis est eos ob iudicia peruersa, & crassam resupinamq; ignorantiamsui Midis quibusdam asininis comparare; aut asinis inuersis Apuleij. nisi quód ita sunt hypocritæ, ut sese aliquo iuris prætextu tegant; etsi interim non desinunt bonis, doctis allatrare: adeo ut si quid pauló negligentius feceris, iam tragœdia penè agitur: si uerò benè, tamen si non mordere, at conuitiari non desinant. Et ut omnia promptius est cauillari, quàm æmulari: ita Zoili nostri perpetuó sunt in huius rei excubijs. Ea est Stoicorum huius ætatis natura ob amorem sui,

ſui ignorationem, & æqui boni, & ſocietatis contemptum: Tales ſunt omnes uulgares omni Sapientiæ candidato deteſtandi: tales ſunt noſtro tempore infiniti Demeæ dementes; quib. nil rectum uerum, æquum bonũ, ſartumtectum, pium iuſtum, quàm quod faciunt. nam quod & uel ipſi, uel alij facere præſtare non poſſunt, quantumuis honeſtam, & laudabile, accuſare tamen ſolent. Infinitorum exempla uidi, ſed indigni ſunt ij iſta philoſophica indignatione. Quòd ſi tamen plura deſideras, id in noſtro y, id eſt, de y, declamatione reperies, quæ tibi non parúm, ut puto, ſatisfacient.

Iuſiurandum dabitur te eſſe.

Locus antiquitatis in ſolenni ſatisfactionis more, quem Gallicè, reparation d'honueur appellamus: Iurabant enim accuſati ſe agnoſcere, indignè, & immeritò iniuriam intuliſſe. ut læſus ab infamia uindicaretur. ſic Plautus in Amphitrione; ubi de accuſata Alcmena:

Aut ſatisfaciat mihi; atque adiuret inſuper
Nolle eſſe dicta, quæ in me inſontem protulit.

Neſcis ineſcare homines.

Metaphora à piſcib. qui præfixo æri cibo illiciuntur; pro illecebris, quæ trahunt in fraudem. Similitudo paraſito, & lenone digna; quippe qui, ut perdant, blandiuntur. Illud autem quùm ſemel Tholoſæ à quodam mihi, ut uidebatur, non inimico obijceretur, reſpondi; cùm uolo, non poſſum; cũ uerò poſſum, nolo. Homines enim citiùs, & faciliùs ad malum, quàm ad bonum illiciuntur.

O` frater, frater.

Amica, & beneuola quidem iſthæc gratulatio uidetur, ſed propter impietatem, & turpitudinem facta. Amicitiæ

enim lex prima (ait Lælius apud Cic.) est, ut res turpes non rogemus, nec faciamus rogati. Est & hic epizeuxis repetitio continua.

Ego ad forum ibo.

Theodoricus ex Nannio, ut ait, hunc locum interpretatur, sed non tropum, qui metonymia est subiecti fori, pro adiuncta officina Argẽtariorũ, & Trapezitarũ, Absoluã, satisfaciã.

Ruerem, agerem, raperem.

R, litera diducto labro iratis conueniens est, quòd irritatum canem sono referat; inde apud Persiũ satyra 1. naris canina dicitur, similitudine sumpta: & ut s, est serpentis; ita & r, canis. Hæc non annotassem, nisi à D. Augustino, & Platone didicissem, qualis res est, tales & uerba esse.

Oh oh lachrumo gaudio.

Simplicitas rustici exprimitur, cui profuso gaudio lachrymæ erumpunt. signum beneuolentiæ ex intimo affectu. Quo modo autem fit illud? nam pugnare inter se uidentur gaudium, & lachrymæ. scito igitur humorem melancholicũ exorto magno gaudio, & penetrante expelli sedib. & locis proprijs, quib. expurgari etiam solet, uidelicet, oculis, ut aurib. coleram, ore pituitam, & naso sanguinem.

Vobis decet.

Græcanismus, & datiuus, pro accusatiuo, quasi ὑμοῖν πρέπει. Quod si tu uis ita;

Hæc primùm ut fiant, quæso Deos, ut uos decet.

Lupus in fabula.

Sentiant quid uelint alij de hoc prouerbio: nam ego didici uel ex illo Gallico, Qui parle du loup, fiert en la proie; quis esset Latini sensus, & origo, puta ex narratione fabulæ ali-

cuius pastoris, qui cùm de lupo rapiente oues ageret, uenit lupus, & rapuit. Vel ab Apologo Aesopico manauit, ubi adolescens quidam solebat fictè saepe acclamare se à lupo rapi: tandem cùm id contingeret seriò desertus est ab omnib. Inde fabulae pro tricis, & nugis sumuntur, ut iam in duob. locis Terentianis uidimus.

Nostin' porticum apud.

Species hyperbati, confusionis, perturbationis, & perplexitatis, quod est in oratione uitium; sed hic affectatum, dataq; opera; & ideo tollerabile; quo delusio senis contexta est, ex adiunctis loci fictitijs, & inuolutis nimium.

Omnes quib. res sunt.

Hoc epiphonema ex adiunctis suspicionis contextum uerißimum est: omnes enim infortunati maximè suspiciosi sunt. caussae hic explicantur; quò alludit illud Satyrographi:

Nil habet infoelix paupertas durius in se,
Quàm quod ridiculos homines facit. ---

Aeschine expergiscere.

Haec species prosopopeiae (quae adhuc ab alio nemine obseruata est, quod sciam) habet gratiam praecipuè in consultationib. & priuatis deliberationib.

Amicus quidam me à.

Dici non potest quàm istae similitudines, & actionum commenta, & uelut ipsius ueritatis anomaliae (ut ita dicam) placeant; quamq; ad arguendos paulò morosiores, uel digniores faciant; ut in Sacris Nathani prophetae ad Dauidem, & in Humanioribus Literis infinita sunt exempla. Quare non ab re praeceptae sunt inter caetera à Gregor. Nazianzeno scribente ad Basilium Magnum de solitudine. Atque hac Mitionis commouetur Aeschi-

nus, & erubescit; quod est uerecundiæ, & pudoris optimum signum. nam aliquid bonæ spei, & honestatis restat, exeuntib. spiritib. cum sanguine in partes exteriores apparentes magis, magisq; locis facultatum animi uicinas: In timore uero pallido contra fit.

Tu inter eas restim.

Fuit species quædam olim saltationis, qua omnes funem altera manu tenerent, ut apud Gallos nonnunquam arreptis mantilib. Vide Liuium Dec. 3. lib. 7. Et quia illa saltatio iuuenum est, & histrionum, ac idcirco uiris grauib. indecora: idcirco ad illam allusit Demea: sed bellè, & argutè dictum retorsit Mitio ex paris collatione. idq; tandem uerum contigit.

Disciplinæ.

Etsi Demea ridetur à seruulo, quod modò exemplum Disciplinæ, modò ipsa dicatur hyperbolικῶς, & ironικῶς Sapientia: tamen ea de re libet breuiter seriò agere. Quam Plato, de Legib. appellat uirtutem; quæ primò pueris aduenit, si uoluptas & amor, dolorq; & odium in animos influant, antequam ratione moueantur; & si rationi deinde præsenti consentiant, propter superiorum bonorum consuetudinem. Præstans autem, & iuniorum & seniorum disciplina est (ait ibidem dial. 5.) non uerborum increpatio, sed ut quæ increpando quis diceret, & mouendo, eadem ipse in omni uita facere uideatur. In parænesi Isocratis ad Dæmonicum similis comparatio est; Domesticum, inquit, harum rerum exemplar habes, de patre loquens.

Solum unum hoc uit.

Cato Ciceronianus alterum uitium in loquacitate notat. Illud autem fit ob longam rerum experientiam, qua didicerunt

hominem etiam optimè consulentem sæpissimè falli. Reli- *qua uitia sic* Horatius *in arte poetica describit:*

Multa senem circumueniunt incommoda, uel quòd
Quærit, & inuentis miser abstinet: ac timet uti;
Vel quòd res omnes timidè, gelidéq; ministret.
Dilator, spe longus, iners, auidus'q; futuri,
Difficilis, quærulus, laudator temporis acti
Se puero, censor, castigator'q; minorum.

Sed & postea eandem sententiam repetet ipse Demea.

Numquam ita quisquam.

Ego per Dei Opt. Max. *obtestor, ut omnes hic me differentem patienter audiant & si sunt quidam* Demeæ *natura, saltem hic fictè* Mitiones *agant.* Loquor *apud profanum authorem de reb. tantúm* Philosophicis, *& ita, ut, quia in omnib.* Galliæ *nostræ celeberrimis* Academijs *educatus sum, libertatem* Academicam *retineam.* Vt *hominum mores (si* Orpheo, *si* Ciceroni *credimus) initiò fuere agrestes, & ad belluarum naturam accedentes; sed paulatim usu, & prudentia humaniores: ita & artes illorum.* Et *ut adhuc palma uiris bonis est proposita; ita & doctis: quòd neutri hactenus perfectionem attigerint, sed in utrarum'q; rerum studio sic exercentur continuò, ut absolutionis uirtutis, &* Sapientiæ *imaginem primò delineatam; dein utcunq. pictam; postremò multo magis poliant.* Sic Antiquis Præsentes, *etsi ab ijs acceperunt multa, tamen multa quoq. reponunt; et* Præsentib. *itidē* Posteri *plura repēdent.* Et *uita humana perpetuum est, summa* Dei *prouidentia, exercitium.* Nec *est quòd quisquam obijciat nihil dictum, quod non dictum sit priùs: nihil nouum sub sole; aut huius generalis alia, quæ alia ratione intelliguntur: cum expe-*

rientia ipsa uelut digito ostendat, quàm multa hodie excogitata sint, & quotidie excogitentur, quæ ueteres ignorasse certum est: facilè huius rei fidem faciunt typographiæ, & bombardarum admiranda inuentio: Quin & uidemus Artem militarem aliam penè esse, quàm olim fuit: sic de Medicina, Iurisprudentia, Architectura, & alijs iudicandum. Ecquid igitur philosophiæ fiet, & liberalib. artibus? Attamen uidemus qui isti ueteres Demeæ moueantur, si tantillùm à primis imaginis Sapientiæ docendæ lineamentis recesserint, qui ingenij, iudicij'q; acumine pollent. tantùm abest ut de moribus quicquam decedere uelint. Sunt igitur nunc Demeæ; sed pòst, si resipuerint, imò uerò, si sapuerint, fient noui Demeæ; si non reipsa, tamen fingatur propter humanitatem, & societatem metamorphosis: dicant apud Mitionem;

Bonæ tuæ istæ nos rationes, Mitio,
Et tuus iste animus æquus subuortit.

indé'q; politiorem literaturam amplexentur; desinant Vesci glande, tritico reperto; sint morib. candidiores, & literis politiores.

Salue, quid fit, quid ag.

Hic, & in sequentib. duob. dialogis, uel colloquijs, considerandum est senis Demeæ ingenium; cuius etsi facta uidetur metamorphosis; tamen se non potest dißimulare; iuxta uulgare prouerbium, De uiens chiens manuaise chasse, & Horatius;

Naturam expellas, furca tamen ipsa recurret.

Nouus maritus anno.

Extat lex ciuilis, & imperatoria de dirimendis matrimonijs,

quæ contra decorum personarum sunt contracta. & prouerbium hic id admonet, Ne bis pueri simus.

Et quidem porrò hæc.

Non tam uidetur id ironikῶς dicere Demea, quàm uerè, tametsi fingit. quod colligi facilè potest ex subiecto responso exclamatorio serui. Hic'q; fit, quod est in uulgato prouerbio, donuer entre deus uerdes une meure.

EPILOGVS.

Plaudite.

Epilogus unico uerbo officij adiuncti expressus, ut suprà: & uersui ultimo tetrametro acatalestico cohæret. Id & à studiosis audiam interpres.

VINCENTII CORDATI VESVL. EPITOMAE, ET ANNOTATIONES IN P. TERENTII AFRI PHORMIONEM.

INSCRIPTIO, ET SVMMA Fabulæ.

HAEC fabula quinta (quæ atijs sexta est, sed non habita ratione actionis imperfectæ Hecyre) à nomine parasiti appellatur: φορμὸς enim Latinè est sporta, cophinus, storea, corbula: quòd parasitus nihil non agat uentris gratia: uel (ut alij uolunt) à tegiculo, quo pauimentum insternitur, dictus Phormio; quasi seruile nomen.

Protasis.

Antipho inscius, absente patre Demiphone, & Lemnum ex consilio Chremetis fratris ad uxorem, quam ibi clam etiam duxerat, Athenas adducenda, unà cum filia danda illi in uxorem; eam, cúm fortè etiam ignorante patre uenisset, matremq; ipsius mortua præ dolore, quód non Stilphonẽ maritum (sic enim se dici Lemni Demipho uolebat) non inuenisset; eam, inquam, puellam tantopere adamabat, ut oportuerit eam in uxorem ducere, opera nescio cuius Sycophantæ Phormionis, cum quo eadẽ re consilium inierat, etiam utroq. propterea adducto in iudicium; lex enim erat, ut quæ propior cognata esset, orba propiori nuberet. Interea Phædria Cytharistriam quandam sub lenone adamabat,

bat, qua ſine pecunia numerata potiri tamen non poterat.

Epitaſis.

Reuerſus autem pater nuptias non probat, quòd non eſſet opulenta, & bené dotata puella. Hinc graues querelæ, & conquestiones cum Phormione, & in filium: tandem'q; pacto inito, ſe recepturum ad ſeſe puellam Phormio pollicetur, datis minis triginta: ſed hinc in maximum diſcrimen uenit Antipho, ne hoc modo chariſſimam amicam, & coniugem optatiſſimam amittat. Intereá'q; Phædria languet.

Cataſtrophe.

Sed tandem patre puellæ reuerſo componuntur omnia, dum ille fidem facit fratri Demiphoni eam uirginem eſſe, quã deſponſerat: multa lætitia omnes afficiuntur, quòd ita nuptiæ ratæ ſint. niſi quòd de pecunia numerata Phormioni, quæ tamen Phædriæ ad redimendam Cythariſtriam utilis fuit.

Iudicium, & doctrina.

Hic quæ ſit nonnunquam rara coniugij fides, quam'q; in abſentia mariti ſæpe uxores ſuas defraudare ſoleant, edocetur. Sed inter cætera illud maximé obſeruandum eſt, nullam peſtem humanæ ſocietati capitaliorem eſſe adulatore; in quem incidere peius eſt, (ut uulgari prouerbio dicitur) quàm in coruos. Eiuſmodi enim ſycophantæ nihil non perturbant, & prætextu iuris ſummam iniuriam inferunt, ut interim uentri ſatisfaciant. Quare omnino fugiendos eſſe paraſitos hoc emblema Mercurij, & Argi ſimilitudine admonet:

Fiſtula dulce canit, uolucrem dum decipit Auceps;
At loquitur blando dulciùs ore Colax.
Sic hecatophtalmon ſopiuit cantibus Argum

Blandula suauiloqui tibia Mercurij.
Memo adeo uigil est, cui non imponere poßit
Dulcis adulator nomine amicitiæ.

PROLOGVS.

Postquam poeta Vetus.

Initio Quæstio primæ partis huius prologi de maledictis, & obtrectationib. inuidorum quasi per transitionem ex dissimilib. effectis ponitur: tum sequitur defensio, cuius argumẽtum sumitur ex repugnantib. effectis, & adiunctis, & ad hunc modum fit argumentatio:

Si Comœdiæ Terentij steterunt, ut gratæ, & ille non læsit prior, & palma adhuc poetis proposita est, non est audiẽdus aduersarius:

At illud uerum: Ergo hoc quoq. fiet ut Lauinius nõ audiatur.

Altera uero pars est de argumento fabulæ ex adiunctis subiectæ materiæ, tituli, & actoris, cui primæ dantur. Quam postremo sequitur peroratio ex adiunctis, & fine periculi: unde facile colligere est Hecyram ante Phormionem cœpisse agi, sed interruptam esse, ut in eius prologo disputatur. Et quia integra acta tandem postea fuit, ultimo loco ideo collocetur. Est autem hæc Græce dicta Ἐπιδικαζόμενος, quasi lis uindiciarum, & agens de rei possessione; quæ ἐπιδικασία dicitur.

ACTVS I.

Primus actus totus ad protasim pertinet in dialogos quatuor distinctus, quos colloquia appellamus: primum tamen est extra argumentum ad exhilarandum facetijs spectatorem: Inducitur enim Dauus deferens Getæ quam debet pecu-

niam; & in heros δωροφάγους digressus, de iis conqueritur, & ait se ita expilari.

Secundũ est uelut argum. fabulæ, ut Epitomes interpretũ frustraneus labor hic uideatur penè. Vbi offeruntur primùm ἐπαύλια δῶρα, nuptialia dona: inde occasio narrationis amoris Antipho fit ex Senum patrum absentia, conspectu puellæ, & suasu parasiti, quo etiam authore, prius ad iudicium ex pacto, re delata factæ sunt nuptiæ. tandemq; de Demiphonis reditu breui agitur.

Tertio contenditur inter adolescentes, uter sit fortunatior, uel in amore miserior ex dissimil.

Quarto, adolescentes ob parentum aduentum metu omnino concutiuntur, nec sciunt quò se uortere debeant, ut malè conscij: Geta conatur tamen eos corroborare.

ACTVS II.

Actus secundus ad epitasim pertinet etiam quatuor colloquijs distinctus: primum est accusatio Demiphonis in filium, & eius excusatio à Phædria, & Geta.

Secundum instruit iam purgationem facti sui Phormio cum sene litigaturus modò.

Tertium grauis concertatio est Demiphonis cum parasito de uxore domo eijcienda, quam opera Phormionis Antipho duxerat.

Quarto consuluntur aduocati, ut sententiam de Antiphonis coniugio dicant: unde suasio, & dissuasio fit, ut & occasio maioris disquisitionis ob tertium aduocatum.

ACTVS III.

Tertius actus ad epitasim etiam pertinet tribus tantùm colloquijs absolutus: eorum primum continet Antiphonis conquestionem de se ipso, quòd tam in-

consultè se patri subduxerit, & alijs caussam tutandam reliquerit: tum ex Geta rem, ut gesta est, audit.

Secundum est uelut altera epitasis pars de sollicitudine Phædriæ in numeranda pecunia Lenoni pro Pamphila iã cito abducenda. fit itaq. pollicitatio, & datur fides.

Tertio consultatur, qui Geta pecuniam Lenoni adnumerandam inueniat; unde ab adolescentib. summopere, & quàm fieri potest maximè oratur.

ACTVS IIII.

Actus quartus habet quinq. colloquia etiam ad epitasim relata. primum habet disquisitionem Demiphonis de filia Chremetis non adducta; & cur id factum non sit obiter, sed obliquè ob timorem narratur.

Secundo describitur lepida occasio, qua Geta senes ad emungendam pecuniam fallat.

Tertio describit Geta pactum cum Phormione, & promissam à senib. pecuniam.

Quartum habet obiurgationem, indignationemq; Antiphonis in Getam de periculo amittendæ uxoris; & ipsius Getæ excusationem.

Quintum à senib. oblatam pecuniam Phormioni dandam mox à Geta seruo habet.

ACTVS V.

Actus quintus, & ultimus est càtastrophes, quæ tamen ad expectationem conciliandam uel retinendam magis ac magis in longius paulatim differtur. Habet autem colloquia, uel dialogos nouem: primo eorum Chremes à nutrice Sophrona filiam suam Phanium eam esse, quæ Antiphoni nupsit. unde magnum gaudium, & incredibilis lætitia adfertur.

Secundum oſtendit dolorem Getæ de tam imprudenter data Phormioni pecunia.

Tertio conqueritur apud maritum Nauſiſtrata eius negligentia minui patrimonium: tum Chremes ei agnitam puellam filiam credit.

Quarto exponitur lætitia Antiphonis de redempta Phædriæ amica, qua potiri ex animo poßit: ut & dolor de ſuo infortunio.

Quinto factum idem narratur á Phædria Antiphoni, & conſultatur de impetrando á ſenib. otio, quo ille commodiús amore potiatur, & agat cum æqualib.

Sexto á Geta narratur Antiphoni Phanium inuentam eſſe Chremetis filiam.

Septimo Phormio paraſitus conſilium init ſecum de reddenda, nec'ne pecunia.

Octauo deſcribitur contentio ſenum cum Phormione de reddenda pecunia. fingit autem is ſe uelle in uxorem Phanium accipere; ſecus non redditurum. longa eſt altercatio, & minitatio Phormionis de reuelando coniugio clandeſtino. unde Chremes pertimeſcit.

Nono & ultimo Nauſiſtratæ factum mariti narratur: unde grauis illius indignatio; placatur à Demiphone ita ut omnia filij ſui Phædriæ iudicio permittat. Atque ſic eſt Cataſtrophe, qua omnib. ſatisfit pro animi ſententia.

Defraudans Genium comparcit

Omnia ferè exemplaria habent, comparſit, per, s: & quanuis nullus (quod ſciam) interpretum hunc locum auſus eſt emendare fortè; tamen legendum puto, comparcit, per, c. ubi uerbi ſignificatio propria eſt. Sic in Adephis, parcè, ac duriter uitam agere. nam cum dicimus parcere ali

cui, id fit metaphora, hinc desumpta, uidelicet à demenso, id est, uictu diurno, qui olim seruis dari solebat; uel singulis mensib. ut alij uolunt. Genium autem defraudare, est naturæ detrahere, & auferre, & negare, quod maximè appetit, quasi debitum. Est enim Genius naturæ Deus, qui domui, & familiæ, & singulis præest. Contraria phrasis est, Genio indulgere.

Prouinciam cepisti duram.

Hic ijs non est commentarijs opus, qui rem experti sunt, ut ego sum iam per annos quindecim, (loquor de puerorum in Scholis institutione;) ubi nihil aliud mihi præter inuidiam, & paupertatem, & ingratitudinem quæsiui; sed præmium est & mihi, & alijs, qui bona fide, & cura susceperint hanc prouinciam constitutum: qui & optimè de Præsentibus, & Posteris merentur. Extant & tam Rodolphi Agricolæ, quam nostræ ea de re Declamationes. Obserua illhic tropos metonymiam, & metaphoram; pro administratione maximè difficili, & laboriosa.

Dicam, & tibi scribam dicam.

Paronomasia ex integra uocum & scriptione, & dictione; sed quantitate, & significatione differentium. Dica autem nomen, est ciuilis actio (ad quam hic alluditur) quam contra aliquem in foro experimur, à uerbo Græco δικάζω, quæstionem ago, causam iudico; ἐστὶ γὰρ κρίσις, καὶ ἡ τιμωρία, καὶ τὸ δίκαιον, iudicium, pœna, siue supplicium, iustitia; item lis, publica actio, ius. item Dea olim. Hesiodus,

Ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ δίκη διὸς ἐκγεγαυῖα.

Virgo Iustitia est prognata Ioue.

Illa in hac ſignificatione forenſi uſus eſt Cicero 4. act. in Verr. Scribitur Heraclio dica. Budæus etiam 1. libro de aſſe. Sic δίκην γράφεσθε, εἰσάγειν, ἐπάγειν, litem intendere, diem dicere, in ius uocare. & poſtea utetur Terentius.

Iam depaciſci mortem.

Vide in altero adoleſcente perpetuum metum ob malè ſibi conſcium animum de ſcelere patrato;

Semper enim metuit nimium præſaga mali mens.

In altero uerò amentiam, qua ultrò, & ſpontè in exitium ob amoris flammam uult ruere. quin id non tam hyperbolico effecto deſtinato, quàm uero exprimit, cùm ſe libenter propterea cum morte depacturum, hoc eſt, pactū initurum dicit.

Cum hoc non poſſum.

Iſtæ illationes (quas uulgò conſequentias appellant, ego uerò conſecutiones) præter quàm quod habent gratiam ſuo loco, in oratione poſitæ, ualent ad rei obſcurioris ſententiæ explicationem; & ex ijs, quæ maximæ dicuntur, uel theſes, uel axiomata plerunq; fiunt. Id autem ſic tradit Ariſtoteles 1. Topic. 4. Εἰ ῷ ἧττον εἰκὸς ὑπάρχειν, ὑπάρχει; καὶ ᾧ μᾶλλον: Si cui minus par eſt ineſſe, ineſt; & cui magis.

Phædria incredibile eſt.

Hic non modò ſe facetum, ſed etiam calumniatorem, & irriſorem impium oſtendit; dum uerba heri in illationem ad ſeſe reuocat. Sic impij, & irriſores faciunt, cùm ſanas admonitiones, & ſapientia dicta con-

temnunt. Quā autē sententia illa Demiphonis grauis sit, uel hoc apparet, quòd nos á boluina distinguat natura, & signum immortalitatis nostræ uideatur. non enim frustra data illa prouidentia; quæ quasi diuinam referat. Similis fuit in Adelphis feré:

Isthuc est sapere, non quòd ante pedes modó est
Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt.

Cœna dubia apponitur.

Metonymia hæc effecti, pro caussa, significat conuiuium opiparum, uarijsq; instructum ferculis: sic Horatius. lib. 2. Serm.

--- Vides ut pallidus omnis
Cœna desurgat dubia? ---

Sed hic sum mei oblitus: nam melius disces quid sit cœna dubia ab optimo Cœnarum magistro parasito, qui hic tibi, & Getæ interpretatur.

Hanc Demipho, negat.

Elegans figura, quæ Epanodos appellatur, regreßio in repetitione dißimilis aurib. grata. Cur autem id fieret, quod Phormio dicit, ipse pauló post exponit, dum culpam auaritiæ Chremetis ascribit. Sunt enim senes auari, ut Aristoteles ait, qui idcirco eos ἀνελευθέρους appellat; quod norint facultates esse neceßarias ad uitam degendam, & experti sunt, quàm difficile sit acquirere.

Bonorum extortor, legum contortor.

Hic deliciæ sunt geminæ sermonis: nam præter paronomasiam sunt similiter incipientia, non desinentia modò, ut hinc poßis obseruare nouam illorum sonorum formam. ergo ipse in Rhetorica meminero. Cæterum hi sunt sycophantarum, & Leguleiorum proprij tituli.

Amplius deliber. censeo.

Vtinam hoc Leguleiorum speculum sibi litisconteſtantes (ut itam dicam) proponerent antequam quicquam consultarent. Ibi enim paucis ſtratagema permagnum uiderent, quo deſcripto nihil dici poteſt utilius. Via eſt igitur anceps, imò triuialis ad horreum implendum Critonum iſtorum. uel, eſt dilemma rabularum forenſium. duo ex diametro pugnant, tertius non dirimit litem, ſed unicuiq. parti animum addit: inde miſer Demipho, & Demi fol exclamat, Incertior ſum multò, quàm dudum.

Fabulæ, λόγοι, ſomnium.

Irriſio, & negatio periucunda iſtis reſponſis appenſa, tanquam Echo aliqua, & uocis reflexio, triplex, digna lenone. nomen autem, fabulæ, fuit iam ſuprá in omnib. Comœdijs eadem ſignificatione. λόγοι, ſermones, uel uerba ridicula, quaſi gallicé dicamus, neples, ueſies, lauternes, parolles, & ſimilia: quæ tandem prouerbio, ut immoderatiora, maximè apto concluſit, ac retorſit.

Locus relinquatur preci.

Sæpe enim fit, ut quemadmodum importunitate facere quicquam: ita & non facere impellamur. Vulgare eſt prouerbium, Inuitum qui cogit, abire facit. Quod ſatietas ſit rerum omnium, & nihil importunitate importunius. Locus igitur hic erit prudentiæ.

Senectus ipſa eſt morb.

Cato Ciceronianus hanc uulgarem ſententiam, cum alijs ſimilib. grauiſſimis, & ualidiſſ. rationib. confutat. Cúm itaq. obliqué loquens Chremes nihil aliud haberet, quod commodé proferret, id repoſuit hic.

Pone esse.

Pone, hic, quasi aduerbium explicandi aptum, ut aliquando, esto, in oratione sumitur pro eo, quod Gallicé dicimus, pose, ou, mé le easque: quasi, fac, uel, finge; Græci, τίθει, dicunt eodem etiam sensu.

Nihil est, Antipho.

Ex hac opinionis Antiphonis Getina confutatione ex distributione imperfecta euentuum rei (illationem suprà diximus) facilé colligere est, quám ualida sit, & consilijs capiendis apta prudenti methodo disposita oratio. Hic igitur Dialecticus, & Analyticus noster Geta heri sui elenchum deprehendit, deprensum arguit, & melius quippiam (ut sibi uidetur) reponit. Alio sensu accipitur sententia Ciceronis in præfatione paradox. Atque hic locus methodici artificij orationis.

Post illa; monstra.

Confirmatio proximæ confutationis prosopopeica ex caussis, & obseruationib. euentuum superstitiosæ gentilitatis: quas tacite, & obiter poeta deridet. Priscas enim ater canis ingressus portendebat adulterium: angius delapsus ueneficium: gallinæ cantus, mulieris imperium ijs significabat, qui nuptias essent facturi. sic nihil ante brumam, cum dies decrescunt, inchoandum; & huiusmodi.

St.

Interiectiones aduerbia sunt: hæc autem signum timoris exprimit etiam absque uocali ulla: suntq. ambæ literæ dentium. significant autem tace: & cúm uox nulla est integra, huc recurritur; quæ si uel desit rursum, uel nolis uti, ad signa, & gestus recurris. hinc discis uoces rerum esse

ſigna. Vide Dialogum D. Auguſtini, qui inſcribitur Magiſter, Lector, quæſo, & tu tibi apud illum ea in re ſatisfacies.

Vorſuram ſoluis.

Metaphora continuata, uel allegoria prouerbialis ab ijs, qui mutato creditore æs alienum ære alieno ſoluunt: ideóq; Græcis dicitur(μεταγραφὴ τοῦ δανείου: nominis tranſcriptio. & τόκον, τόκῳ ἐκτίνειν. quaſi dicat, ubi te uix ex præſenti malo extricaueris, grauioribus impedieris. Tu ne perdras, quæ l'attente. debitas tandem pœnas dabis cum fœnore. ſic Budæus. Cicero 5. ad Att. Vt, uerear, ne illud, quod tecum permutaui, uorſura mihi ſoluendum ſit. Gallicè, deſtonpper un pertuis pour mettre une cheuille. Vorſura, pro uerſura, á uerto. Legendum autem hic, uerſuram, non, uorſura, ſi ſequentia conſideras.

Parce ſodes.

Amphibolia huius uocis, aduerbij, aut uerbi, gratiam quandam præ ſe fert. pro re nata: & argutè dictum uidetur.

Poteretur.

Si tetrametrum acatalecticum metiaris, erit quod uerbum, potiretur; ſit primæ coniugationis in am, & ar, uulgó, tertiæ, (nam meo more loquor;) Sic apud Ouid. 13. Metamorph.

Tuq; tuis armis, nos te poteremur Achille.

Actututum. Mirificiſsimum.

Voces ut á poeta fictæ, ſic bellè adulatoribus congruentes: illa aduerbium, hæc nomen. ſic adulatio in illis,

hominum homo honoratißime; item in, delibuto, metaphorikῶς.

Sed transi ad forum.

Locus antiquitatis: olim enim solebant in foro, & de mensæ scriptura magis, quàm ex arca, domóq;, uel cista, pecunia à Trapezitis, & Numularijs numerabatur: sic in Adelphis intelligendus locus ille;

At. Ego ad forum ibo, ut hunc absoluam.

Gladiatorio animo.

Metaphora à gladiatorib. & corpore ad animum, pro truculento, & crudeli.

Si non totus friget.

Locus Physicus. Quum aliquis uehementiore timore afficitur, tum sanguis ad interiores partes citiùs recurrit; spiritus uerò unà se recipientes præsuffocantur, & totũ inde penè corpus ueluti congelatur: sic Virg. 4. Aen.

--- gelidusq; per ima cucurrit
Ossa tremor. ---

& alias, --- gelidusq; coit formidine sanguis.

Exequias Chremeti.

Hoc, Sophistæ, & Parasiti differunt in eliciendis illationib. ex aliorum dictis, aut factis: quia illi id faciunt, ut risum durantes; isti, ut fletum furentes moueant: utriq. uerò, ut perdant. Vide quinam sint horum tollerabiliores.

EPILOGVS.

Vos ualete, & plaudite.

Similis peroratio, quæ suprà fuit in Heautontimorumeno fabula.

VINCENTII CORDATI VESVL. EPITOMAE, ET ANNOTATIONES IN P. TERENTII AFRI HECYRAM.

INSCRIPTIO, ET SVMMA Fabulæ.

Hecyra hæc, fabula sexta (quæ alijs quinta est, non rectè habita ratione temporis ob duplicem actionem) à nomine socri nomen habet: ἑκυρὸς, *enim, &* ἑκυρὰ *Græcè, Latinè socer, & socrus sonant; quòd per eos multa hic agantur.*

Protasis.

Cúm Pamphilus perditè Bacchidem meretricem amaret, ut hoc malo liberaretur iussu Phidippi, & Sostratæ parentum Philumenam Lachetis, & Myrrhinæ filiam (cui incognitæ incognitus in uia, & tenebris uim intulerat paulò antè) in uxorem ita inuitus duxit, ut duob. mensib. illam non attigerit. Dum autem is proficiscitur in Imbrum uxor puerum septimo mense peperit apud matrem, ut socrum celaretur: indéq; reuersus Pamphilus etsi tam honestate, quám precib. socri motus rem non detegit; tamen grauiter commouetur, quód aliunde concepisse uxorem unà cũ socro crederet; & periclitatur, qua uidelicet ratione uxorem dimittat, & eius peccatum non prodat.

Epitasis.

Pater autem, & socer nescij quidnam contigisset, (cúm tamen

& mater, & socrus rescirent) instabant, & ut domum reduceret urgebant: hic Pamphilus magno timore concutitur. Nam & senes opinabantur eum adhuc meretricio amore detineri. quin & Bacchis, á qua iam paulatim Pamphilus animum abduxerat, se omnino spretam idcirco existimabat; hic turbæ ob suspiciones permagnæ.

Catastrophe.

Quæ tamen accersita ipsa Bacchide, dum se & apud senes, & apud matronas purgat, ibi forté conspecto annulo, quem in stuprando uirgini Pamphilus detraxerat, & Bacchidi dederat, facilimé componuntur. Sicq; ille uxorem, & puerum domum quám libentißimé recipit.

Iudicium, & doctrina.

Fabula huiusmodi erudite conscripta, etsi nunquam peracta omnino fuit, ostendit primúm tacité, quám sit simplicibus puellis impudicitiæ fugienda occasio. deinde monet, quàm sæpe errore, falsisq; suspicionib. fiat, ut castißimi coniuges inter se dissentiant. Quare cúm huius, tum aliarum rerum suspicioni addenda securis, ut symbolon monet. Id quod in hoc emblematis epigrammate aperté significatur:

Zelotypo uxorem Cephalo pulcherrima Procrin
Suspectam facies fecit adulterij:
Zelotypæ uxori Cephalus suspectus adulter:
Aura sæpe uocans lene refrigerium.
Hicq; fidem uxoris pertentans munere, sensit
Venalem donis esse pudicitiam.
Et dum quæreret id, quod non reperire uolebat,
Perdidit uxorem per nemora alta uagam.

Illa uirum obseruans, dum post carecta lateret,
Quod dederat telo concidit icta suo.
Hic ratus esse feram torsit telum, illa recepit:
Hos habuit fines suspiciosus amor.
Ergo quod á Caio perhibetur Cæsare dictum:
Esto legitimi lex rata connubij.
Coniugium fœlix, inquit, non crimine solúm;
Criminis ast etiam suspicione uacet.

PROLOGVS.

Hecyra est huic nomen.

Huius prologi duæ sunt partes, altera de nouitate fabulæ, quæ ita concluditur, (præcedente longa satis præfatione ex adiunctis materiæ, personæ, & fine;)

Si uoluissem deterrere. Poetam, non haberetis nouas fabulas
Sed nolui, tametsi potui: Ergo nouas habendo est quòd gratulemini,

Assumptio obliqua insinuatione ex effectis, & adiunctis officij constat. Altera uero pars de audacter agenda Phormione concluditur adiunctis silentij, & expectationis ad hunc modum:

Si nulla turba est, sed magnum silentium, debeo hanc fabulam constanter, & intrepidé agere:
Sed illud est: Ergo & hoc quoque erit, quo agamus audacter.

Complexio uero illustratur uarijs adiunctis, effectisq; officij: unde peroratiuncula etiam texitur.

ACTVS I.

Primus huius fabulæ actus duob. tantúm dialogis, uel colloquijs constans ad protasim spectat: eorumq; primum est indignatio de Pamphili coniugio, tum suasus Syræ anus

Philoti meretrici de nemini parcendo. Est autem extra argumentum hoc colloquium ad occasionem sequentium.

Secundum continet argumentum fabulæ, & protaseos ipsius. Narrat enim Parmeno Philoti, Pamphili amores primúm erga Bacchidem; tum inuitas nuptias, quib. etiam Pamphili non attigit uxorem; ad hæc profectionem illius in Imbrum insulam, & postremó nescio quod odium inter Philumenam, & socrum.

ACTVS II.

Actus secũdus est Epitasis, trib. tãtùm dialogis absolutus. Primus est accusatio Lachetis in Sostratam uxorem, quód Philumenam pauló duriús tractatam, & asperius tandem domo eiecerit; quam illius defensio sequitur.

Secundo Laches repetit á Phidippo nurum suam; qui renuit, quod non poßit agere apud Socrum pacificé absente marito.

Tertio Sostrata conqueritur genus mulierum nimis esse uiris lynceis suspectum; id quod exemplo suo, & mariti Lachetis facto indigno aperté demonstrat.

ACTVS III.

Actus tertius itidem Epitasis, quinq. dialogis, uel colloquijs constat: primum describit indignationem Pamphili, quòd, eo absente, uxor ad suas abierit, relicta socru: illum solatur quantúm potest Parmeno: tum adit Philumenam Pamphilus.

Secundo continetur multó grauior occasio indignationis Pamphili, deprehenso uxoris partu: quem tamen omnib. modis ex Sostratæ suasu celat, ac tegit.

Tertio apud se consultat & deliberat Pamphilus quid uxori sit faciendum; eam'ue recipere, uel repudiare debeat.

Quarto

Quarto narrat Sosia quæ maris adierit pericula: tum Parmeno in arcem mittitur, ne parere Philumenam interim audiat: ac postremò conqueritur Pamphilus.

Quinto & ultimo consulitur á senib. de reducenda omnino Philumena; quoad Pamphilus non admittit: unde Phidippus maximé indignatur.

ACTVS IIII.

Quartus actus est epitasis, in quatuor colloquia distinctus, primum continet acerbam Phidippi in uxorem obiurgationem; quód ea partum filiæ celauerit: hinc & comminatio ne quisq; extra ædes puerum efferat. Hic occasio maioris tumultus, ut Pamphilus cogatur uxorẽ ad se recipere.

Secundum, purgatio est Sostratæ de Philumenæ abscessu apud filium: & deliberatio de rus concedendo, ne illa impedimento sit redeunti Philumenæ; ac item eius rei dissuasio á Pamphilo.

Tertio Pamphilus rogatus á patre ut reducat uxorem, pro matre, ne rus abeat, intercedit ex caussis consilij, ætatis, & ludibrij.

Quarto resciscit Laches filiam peperisse; dein is cum Phidippo hortantur maximé Pamphilum ut recipiat uxorem; quo recusante, meretricis Bacchidis amorem incusat pater: ac postremó omnes in magnas angustias rediguntur, ut nesciant quid facere debeant hac in parte.

ACTVS V.

Quintus, & postremus actus est Catastrophes totus in quatuor colloquia itidem distributus: quorum primum continet accusationem Bacchidis á Lachete, tum illius defensionem, ac negationem; quòd uidelicet non ad se Pamphilum alliciat.

Secundum habet pollicitationem Bacchidis de adeundis matronis Sostratæ, & Myrrhina, apud quas itidem se purget.

Tertio initio Parmeno queritur, quód frustrá laborem in exequendo heri iussu insumpserit: tum ei aduenienti Bacchis narrat, qui agnita sit Philumena, uidelicet ex annulo á Pamphilo Bacchidi dato postquam illam in tenebris compreßisset.

Quarto res omnino Pamphilo detegitur, qui perfusus incredibili propterea uoluptate in gratiam cum uxore puerum excipiens redit. Atque ita unicuique pro uoto satis est.

Vtin'eximium neminem.

Licentia Grammatica eclipsis; deest enim, censes, uis, mones ut, aut quid simile. estq; metaphora, & allusio ad ueterem sacrificandi consuetudinem, qua porcus é grege ad sacrificium eximebatur. Vnde & in Solonis Legib. de uictimarum statu præcipiebatur ut sacrificia essent ἄρκια, ἄτομα, μὴ ἔμπηρα, integra, insecta, immaculata, id est, ἀφελῆ, syncera. Videt igitur hic Philotis amatorum delectum esse habendum, cúm omnes non sint eodem ingenio. non autem Syra.

Habere, habere; habet, habet.

Repetitio similis continua Epizeuxis, & πολύπτωτον, & subiectionis species. ubi obseruabis respondendi modum per uerbum eiusdem temporis, numeriq; (nam persona nonnunquam discrepat;) pro, ita est, aut, non est. Et est conuenientia uerbi cum uerbo à nemine Grammaticorum obseruata.

Pium, ac pudicum ingen.

Ἔκθεσις, sinistra interpretatio, & consecutionis illatio meretrice digna: uera enim laus, & gloria, est bene audire de uirtute: At hic pretium rei corrumpitur, dum caussæ tanquam caussæ ista pietas, & pudicitia attribuitur. Nam Pamphilus non ob eas uirtutes, sed ob uitia iisdem contraria uxore abstinebat: nec propter Bacchidem meretricem contemnenda erat uxor. Sic laudamus quæ sunt è re nostra; uituperamus contraria, &, quæ metuimus, oderimus: Sic laudant eorum temperantiam, qui ægrotant, & impotentes sunt ad rem. Est igitur ἔλεγχος τοῦ ἀναιτίου, elenchus non caussæ; ubi Ἀναίτιον ὡς αἴτιον, non caussa, ut caussa ponitur; ut Aristoteles ait I. Elench. cap. 4. Simile est pauló póst illud Parmenonis, cùm dicit, Philumenam fugere è conspectu socrus: odio enim ascribit, quod pudoris erat. Quare his exemplis monemur, et uera, propria, & gemina rei alicuius disquiratur caussa, antequam de ea quicquam iudicemus, & statuamus.

Prudens, modesta; incommod.

Hæc sunt pudicarum mulierum ornamenta, & fuci, quib. & uim amoris sui erga maritos ostendere; & eos à meretriciis amorib. (sicubi detineantur) reuocare debent. sed uxores nostri temporis cretizant cum Cretensib. & artem arte deludunt.

Vt omnes mulieres eadem.

Epiphonemate aggreditur mulierum malarum, & morosarum descriptionem ex effectis, & adiunctis: sed inter cætera illud in illis notatur, quód eodem in malis rebus sint ingenio. Ergo hoc perpulchré;

γυνὴ γυναικὸς πώποτ᾽ οὐδὲ διαφέρει;
Fœmina nil á fœmina unquã discrepat.

Simonides ingenia diuersa mulierum decem belluarum, et rerum imaginib. comparauit; suis, uulpis, canis, terræ, maris, dossuarij asini, mustelæ, equi, simiæ, apiculæ. Hic Sostrata Lacheti est ex cane.

Enim lassam oppidò.

Hic licentia est syntaxeos ordinis præpositiui, pro post positiuo. Plautus usus est. uulgó illa dicitur ἀρχαϊσμος.

Refellendo, aut purgando.

Vt omnis accusatio (quod in methodo dialectica demonstrauimus) affirmatione, uel suspicione constat; hoc est, uera est, aut uerisimilis: ita & in confutando affirmationem refellimus, & suspicionem purgamus, aut diluimus. Refellit enim qui negat, purgat qui fatetur quidem, sed tum defendit aut reijciendo alió culpam, aut quouis modo.

Quapropter? quia enim, qui.

Videtur hic nobis problema seruus proponere, quod philosopho dignum est, in hac paris collatione mulierib. accommodata. Quam sententiam ita pulchré Propertius alicubi expreßit ex minorum comparatione:

Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hyberno tam treme facta notho:
Quàm citò fœminea non constat fœdus in ira,
Siue ea causa grauis, siue ea caussa leuis.

Aesculapi, & te, Salus.

Obtestatio, & Inuocatio Numinum Sanitatis, & bonæ ualetudinis. Aesculapio autem Medicorum princeps in Epidauri urbe templum habuit; ubi (ut Iamblichus lib. de Myst. Aegipt. cum ne somnijs agit, est author) accipieban-

tur somnia, quib. morbi curarentur. Vide etiam Solinum. Dictusq; Aesculapius est, παρὰ τὸ τὰ ἀσκελῆ τῶν νοσημάτων ἤπια ποιεῖν, ab eo, quòd quæ morborum aspera sunt, initia faciat. Salus uero Dea ὑγίεια culta fuit Romæ. Vide Liuium 9.

Dicam abortum esse.

Plinius enim scribit lib. 7. cap. 5. ante septimum mensem (qui nuptiarum huiusmodi Pamphili, & Philumenæ fuit) partum haud unquam uitalem esse. & septimo non nisi pridie, posteróue plenilunij die, aut interlunio conceptos nasci. Quod fit (ut physici autumant, & Astrologi) propter Saturnum, cui hic mensis dicatur, & attribuitur. Vide Gellium lib. 3. cap. 16. Quin & Iurisconsulti septimestrem partum ex sententia Hippocratis probant. Exẽplum est etiam apud Homerum Iliados I. de Eurysthæus, qui ἠλιτόμηνος dictus propterea; quasi natus ante tempus, & mense fallente.

Vt pietatem colam.

Scitè, & sapienter á Seneca dictum est; quædam esse bona, quæ mala uidentur, & contrá, mala, quæ bona. Quo fit, ut interdum pietatis, & uirtutis conseruandæ ergo liceat, & expediat tam uerbis, quàm factis mentiri; ut hic facit Pamphilus honestatis & officio motus. Ergo finis rei, & caussa efficiens certa semper spectanda est, & hinc facta, dictaq; metienda.

Vixit, dum uixit, benè.

Amphibolia est in uerbo, uiuere, data opera, ut sic texeretur tacita reprehensio: nam primúm illud simpliciter, tam pro, Genio indulgere, accipitur, huiusmodi homines Græci appellant, ἀσώπους. Allusio ad illud distichon;

Σώματα πολλὰ τρέφειν, καὶ δώματα πολλ' ἀνεγείρειν,
Ἄτραπος εἰς πενίην ἐστὶν ἑτοιμοτάτη.
quod sic penè ad uerbum conuertimus;
Si nutrias ædes, & cures corpora multa,
Ad paupertatem semita prompta tibi est.

Compressa est gnata.

Semel, obiter, & ui, & in uia compressa Philumena, tamen à Pamphilo grauida redditur. Magna uis est seminis, & spirituum in furtiua Venere. Obserua hic ueterem uocẽ, quita, à uerbo, queo.

Neu.

Neu, disiunctiua, segregatiua, enuntiatiua coniunctio contracta, pro, néue, resoluta uau, in, u.

Quod faciund. fort. sit pòst, idem.

Hic legendum, póst, idem; non, postidea; quæ uox nulla est. crediderim, & postridie, legi posse commodé. nam deliberat secim Laches de redeundo in gratiam cum uxore. liberum esto iudicium.

Odiosa hæc est ætas.

Vrbana, & honesta, & ciuilis rei pudendæ præcipué apud filium periphrasis. Pater autem expertus loquitur, & rei toties fecerat periculum. Id autem dicit quasi obiter, quod tamen Pamphilum maximè augebat.

Non tibi illud factum minùs.

Dicant quicquid uelint interpretes Erasmus, Barlandus, Theodoricus; tamen hic comparatio est pariũ, negationis minorum addita uoce; quemadmodum & fit addita uoce maiorum; ut apud Cic. 9. Phil. Non magis iuris, quàm Iustitiæ consultus; neque constituere litium actiones mallebat, quã

controuersias tollere. Obserua & uoculam suprá, pregnatem, pro, pregnantem more antiquo recté dici posse.

Non hoc de nihilo.

Terentius uoculis negationi aptißimis ad cõfirmationẽ maiorẽ exprimendam ludit & hic, & paulò póst in illo; (tis sit.

Aut ne quid faciam plus, quod me póst minús fecisse sa

ita enim censeo legendum esse uersiculum, tametsi à quodam immutatum.

I, atque exple anim.

Iurisconsultus ait turpe esse fœminam mari præponi, ne in in dictis, & nominibus quidem. Itaque hic habetur ratio τοῦ πρέπου ἀκμασικοῦ, καὶ ἀνδρειοῦ, uirilis. Cæterúm obserua omnes uocales uoces etiam per se facere, non syllabas modò: & uocum amphiboliam sensu uitari; ut hic uides in, i.

Luctat.

Innouatum fuit hoc uerbum, auctum uidelicet, & ita deponens factum luctor: nam duplex est innouandi ratio, si recté aduortis, uel cúm aliquid additur, uel cúm detrahitur. nam fictitia deriuata analogiam sequuntur.

Deus sum, si hoc.

Metaphora hyperbolica, & profana: quanquam & in Sacris præcipitur, ut nos Dei naturam referamus. sed id per comparationem, non autem per imitationem intelligi debet. Sic igitur ueteres cúm de se loquerentur, & rem singularem exprimere uolebant, illa metaphora à Deo sumpta utebantur; quemadmodum cúm & aliquem laudabant adulando; ut apud Virgil. I. Eclog. Augustus Deus audit;

O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.

nos uero peculiarem illam appellationem suo uni Authori asseruamus; quippe qui est OPT. MAX. non autem Iuppiter ille paganus; ut in prima Ludicrorum nostrorum Centuria testati sumus, his uersib.

Non Ioue Pagano sunt, MAXIMVS, OPTIMVS; æquum
Poscit id; at IOVA nomina digna DEO.
Alter enim falsus re, & uerbo fictus: at alter
Seruare humanum, & perdere quemq. potest.

EPILOGVS.

Plaudite.

Vnico uerbo, ut suprà in omnib. hæc Comœdia peroratur; sed quod ea omnia in se contineat, quæ hic mihi interpreti scholiasti à studiosis politioris literaturæ & dici, & fieri uelim.

APPENDIX BREVISCVLA AD ANNOTATIONES.

IN ANDRIA.

In actu 4. colloquio, uel dialogo, uel ſcena 5. antiquum; ingenium, uel morem intelligas. ſic Seneca in Thebaid. pectus antiquuum aduoca. id eſt, priſtinum animum, & conſtantiam. Gallicé dicimus, Nature ne peut mentir.

IN EVNVCHO.

Actu 3. ſc. 2. prouerbialis ſententia hæc legitur;

E` flamma te petere cibum poſſe arbitror.

quæ de ſumma paupertate, & egeſtate dicitur. ſententia enim hic eſt, quiduis facere, & pati potiundi amoris, & explendæ libidinis gratia; ut illi ſolent cibi cauſſa: Sumptum ex ueteri more, quo panes una cum corpore uita functi proijciebantur in rogum; quos rapiebant uel è medijs flammis egeni, & pauperos, qui ibi adeſſe propterea ſolebant. quaſi apud nos tales ſunt, qui uel diſcos liguriunt, uel ex quiſquilijs fruſtra pannorum, & fragmenta uiliũ rerum ſtudiosé paupertate nimia preſsi colligunt. Sic apud Catullum loquentem de quadam rufa, quæ ſæpe in ſepulchretis rapiebat è rogo cœnam.

IN HEAVTONTIM.

In actu 2. colloq. 2. legi debet, Stamen nebat. id eſt, filo deducebat lanam, qua fit pannus; ſed præſertim pro filis rectis, & ſtantibus in opere textorio ponitur: alia enim ſubtegmina, uel meliús, ſubſtamina dicuntur. Plinius lib. 8. cap. 48. Inde factum, ut nubentes uirgi-

nes comitaretur colus compta, & fusus cum stamine. Ouidius item I. de art. am.

Reijce succinctos operoso stamine fusos.

quidam autem legebant, subtegmen, sed ob carmen. ergo, substamen, suspicor etiam legendum: nisi illhic uoculam syllabæ unius addideris, ut, hæc; uel, ea.

IN ADELPHIS.

In actu 3. sc. 2. Dos pudicitia; quod symbolum pellepidum haberi potest; dignum, quod mulieres, & puellæ loco torquis, & numismatis appendant collo. Et quidem primam dotem uerè appellare soleo. De qua accipe nostrū ex tempore distichon:

Non aurum, uel opes nuptæ, uel prædia multa; at
Vera puellæ dos summa pudicitia est.

Ibidem etiam explora originem uerbi, inficior, quod quidam scribunt per, t; ut, infitior, sit à, fateor; & inficior, à, facio.

In actu 3. sce. 3. legitur, phi, uel, fi, indifferenter; quæ uox est aduerbialis interiectio, indignantis, & reijcientis. diciturq; de sordib. hic enim seruus (ut ex antecedentibus facilè colligas) fingitur apparare cibos, pisces, & rem culinariam agere: quanquam hac occasione potest Demeam loquentem irridere, ut aliàs, & hic quidem crebró facit.

In actu 4. sc. I. ---- Lachrumæ cadunt. Quasi puero gaudio. --- & supra sc. 3. -- oh, oh, lachrumo gaudio. Vbi notabis non præ impotentia (ut quidam perperam uolunt) senib. gaudio lachrymas oriri: nam & id fit pueris, imó omnib. Rationem problematis uidebis in Commentar. nostris in Somn. Scipionis.

In actu 4. sc. 4. --- ut neque quid de me faciam, nec quid agam certum siet. facere de me, cum præpositione. nam aliàs elegantius cum defectu præpositionis, & frequentius; ut, quid me fiet.

IN PHORMIONE.

In actu 2. sc. 3. - subijce; hem. Locus pauló obscurior. sed qui ex nostro uulgari gallico more facilé intelligi poßit: Nam cúm quis rei non meminit, dicimus, frica occipitium, quód locus sit memoriæ. hic ueró, subijcæ, hem. id est, tußi. ut spiritus penetrent memoriam magis, ne fumi obstipantes obsint. Nemo adhuc hunc locum intellexerat, quod sciam.

IN HECYRA.

In actu 5. sc. 4. Pamphilus ita Bacchidi loquitur;

---- placet non fieri hoc itidem, ut in Comœdijs,
Omnia ubi omnes resciscunt. ---

pellepida loquendi ratio, & fictio allusoria in agendo, tã quam ad aliud. quasi hæc Comœdia non sit. exemplum certé figuræ rarioris á nemine adhuc obseruatum. sed quod non immeritó ita intelligi ueró poßit, tametsi paradoxon uidebitur. Res enim ipsa in uita est, & in fabula tantúm simulatio. Ergo nos serió ludimus; Comici ueró ficté, & simulaté.

PERORATIO,

AD EVNDEM D. HIERONYMVM TVRRISANVM.

HABES, doctiss. Hieronyme nostram Methodum Commentationis in Terentij Comoedias; etsi non in uniuersum ad iustam mensuram; quam tamen impleri posse non dubito, si quae scripsimus & tibi, & alijs bonis doctis grata esse cognouero. Restat modo ut hunc authorem magis ac magis studiosis Latinae linguae Tyronib. commendemus. Nam etsi per se satis commendabilis est: tamen ut uirtus, & eruditio non carēt inuidis: ita & Terentius hoc nomine male audit apud plerosq́; si male audire est hoc misero tempore de uirtutis, & eruditionis amantib. bene mereri. Sed quia cum hoc hominum genere nunc est mihi propterea concertandum, ideo ipsos oro, ut per horae quadrantem suscipiant hominum sobriorum cogitationem; meq́; patienter audiant. Vetatur igitur Terentius ne pueris praelegatur. Quamobrem? quia rem amatoriam, meretricum libidinem, adolescentum uoluptatem docet. Nihil'ne aliud? nihil prorsus. Hui? sed in quem finem illa docet? (si tamen docet,) an ut uitemus, aut ut sequamur? Si ob illud, quid improbas? si non ob istud, quid uetas? Audio: sed non est quòd rudib. & adolescentulis ista proponantur: sunt enim ueluti testae recentes, & tabulae rasae, in quib. depingenda sunt bona, non mala. Eò semper redis, unde digressus es, bone uir: itaque hoc tibi primúm statuito: Nihil est in rerum natura, quod cum proponitur amplexandum, eius non sta-

tim occurrat fugiendum contrarium: iſta eſt perpetua rerum omnium comparatio, unde amor, uel pretium; & odium, uel contemptus gignuntur: ſic uitæ bonorum, malorumq́; pinguntur: ſic Magiſtratus uitiorum, & uirtutum exempla, pœna ſcilicet, & præmio edunt: quibus idcirco neceſſe eſt uitia prodere, ut uirtutes. Quid quòd Paſtores in Eccleſia item uitia, & quidem ſæpe nefaria exponunt? ne interim eſſe permulta uel in ſacris Literis, quæ fortè auditu, narratuq́; uidentur longé obſcœniora? Eſt igitur ſpectandus finis Comicorum poetarum, & ſeruulus ille apud eos introductus in hunc modum loquens ea de re audiendus:

Id uerò eſt, quod ego mihi puto palmarium
Me repperiſſe, quomodo adoleſcentulus
Meretricum ingenia, & mores poſſet noſcere:
Maturè ut cúm cognorit, perpetuó oderit.

Præterea num legiſti apud Platonem in Legib. quomodo liberi ſunt inſtituendi in dolore, & uoluptate? in amore, & odio? Hoc autem erit turpium: ille ueró honeſtarum rerum. Sed & earum omnium non'ne habendus delectus uenit? At qui habebit puer, niſi norit candorem eſſe candorem, & contrá? Audi & Platonem in Iuſto ſic diſſerentem: Omni ſtudio, inquit, danda opera eſt, ut quiſq; noſtrum omiſsis cæteris diſciplinis hanc quærat, aſſequaturq́; pro uirib. per quam & poſsit, & ſciat uitam bonam á mala diſcernere, & quoad fieri poteſt ex omnib. eligere meliorem. Id autem cúm in Scholis, tum ni Theatris, ſi quis uelit, maximè addiſcit, at quid eſt alıud utrunque horum, quám uita? unde etiam puto Scholæ nomen fuiſſe Ludo. Quo fit ut mirer quoſdam ueterum tantopere alteris

indignatos fuisse. Concedendum tamen fuit, & aliquid primæuis temporib. Reip. Christianæ condonandum. Eó tamen res redit, ut cognoscamus ad uirtutem duplicem esse stimulum propter naturæ nostræ imbecillitatem, spontaneum, & institutione coactum; qui leuiri solet aliqua permixta uoluptate: unde fabula orta est; quam Plato 2. de Rep. uult ad uirtutem comparatam esse præcipue cúm adolescentib. addiscitur. Sapienter igitur, & prudenter fecere antiqui poetæ, cúm explorata humanæ uoluntatis, & uirium tarditate ad sequendam uirtutem, contrá uero promptitudinem ad uitium, adhibitis ueluti calcarib. homines, ad illam capessendam, & hoc detestandum excitarunt. Quo in genere imprimis Tragœdia, & Comœdia sunt præter aliam facultatem commendabiles; quòd non solum, ut pleraq;, priuatim utraq; delectet; sed etiam publicè; ut taceam de Ciuitatum magnificentia in ijs reb. populo exhibendis. Quin & nonnunquã necessitas urget, ut eiusmodi Ludi populo fiant; quòd tacita insinuatione, & quasi digito monstretur quid Pastores, quid Magistratus, quid tempus denique requirat; unde & prudentiores omnes fiunt, & cautiores. At si id facere publicè licet, cur & priuatim non licebit? Et uos, boni uiri, agitis ludos ipsi. Sed in ijs non sunt uerba lasciua, obscœna. Sed in ijs sunt scurrilia, leuia. Quàm exiguus sit numerus talium apud Terentium uidere est: quòd ne quinq; summùm sentẽtiæ sunt in ipso intollerabiles, at uos lasciua, nõ pudica uerba põderatis. Quare ueremini ne uos Demeas ad Mitiões remittã; ut hinc uestra rusticitas morosa omnib. patefiat. Quin uultis ne ut summatim dicã? Terentiũ (ait ille) quosdã audio cõtẽnere; sed ij sunt, qui nũquã sunt assc

cuti Terentium. Ergo ex Terentio omnia isti excerpant, et inde pro nouis Comoedijs exhibeant. at non facient, si uiuo, & si fecerint non impune. Alij uero sibi quam libet pulchros Dialogos fingant; quorum ut operam non repello; ita & longe Terentianæ infimam censeo, & ex qua nullam tibi authoritatem conquiras. Sed iam redeo uia rectiore ad Comoediæ utilitatem; in qua speculum est humanæ omnino uitæ; quæq; ob id legitur, spectaturq;, ut uitam inde nostram emendemus, mores corrigamus; Hinc quid sit in uita utile, ac sequendum, quidq; inhonestum, & fugiendum; quid recte, secus ue fiat discimus. In illa enim, ὥσπερ ἐν κατόπτρῳ, mores, hominum, uitaq; contemplanda proponuntur, adolescentum, seruorumq; uitia depinguntur, meretricum astutiæ aperiuntur; noxiæ uoluptates, turpes illecebræ, amantium amentiæ ob oculos subijciuntur: idq; ut bonæ indolis adolescentes ab meretricum amorib. abhorreant, ad uirtutes exemplis pulcherrimis extimulentur, & saluberrimis monitis inflammentur. Est enim Comoedia ficta historia, uulgo, imo omnibus proposita, ad oeconomiam regendam, & priuatas actiones rectam ad normam exigendas: At historia est praxis, & exercitatio cum Philosophiæ moralis, tum Iurisprudentiæ, & Legum ciuilium: & hæ rursum institutio, modusq; honestæ uitæ, qua ad uirtutem, & foelicitatem itur. Vides quam paucis multa? ne (ut quidam Morosophi obijciunt) putes hæc poemata non esse philosophica. Quamobrem hic licebit accommodare Terentio, quod Horatius 2. epist. lia. I. Hom. attribuit, dũ de poematis huius utilitate, lectioneq; differit in hunc modum:

Troiani

Troiani belli ſcriptorem, Maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneſte relegi;
Qui quid ſit pulchrum, & contrà; quid & utile, quid non
Pleniùs, ac meliùs Cratippo, & Crantore dicit.

ut taceam de Mythologijs non modò ad Ethicen, ſed & Phyſicen, Hiſtoriam, Aſtrologiam, Medicinam, Agricul turam, id eſt, ad communem uitæ uſum pertinentib. nam & Logica omnino polita eſt in poetis. Et quanuis illa ob ſcurius traduntur, nec feré ex profeſſo; tamen nec uerè ſtudioſo fructus & uoluptas legendo abeſt: nec illa quidem arcana uulgo inſano, & maleferrato deteguntur. Quid quòd uel apud unum Terentium nonnunquã cauſſæ priuatim dicuntur, & conſultationes fiunt, & leges tanquam in foro, & iudicio citantur? Vides igitur quis ſit genuinus Comicorum poetarum uſus? Longé enim ab ijs diſſentio, qui in poemate præter uerba, & ſententias nihil ſpectare ſolent aurib. quám animi iudicio indulgentiores: cúm rem ipſam occultam uulgo ἀμούσω ingenioſi perſcrutari debeant: quæ ſacra tota eſt, & idcirco libuit eam á ſapientib. quondam uiris, fabulis quibuſdam inuoluere, ut Maximus Tyrius, Philoſophus Platonicús, eſt author: nimirum cum ob pleraſq; cauſſas, tum quód (ut ſcribit Plutarchus) τό γλυκὺ τῶν ποιημάτων οὐκ ἀφιλόσοφον εἶναι. nam (ut in Arte ait Horatius,

Omne tulil punctum, qui miſcuit utile dulci.

Quod artificium ſiue Homero authore cœpit, ſiue alijs, qui annis eum ſuperant, (ſunt enim pleriq;) profecto quantum intelligo omnia feré Homero debemus. Sed hæc

fusiús in nostris Mythologijs. adde etiam quód dies me deficiat, si in recensenda utilitate, ac uoluptate cum omniū, tum lectionis Terentij poetæ Comici diutiús immorarer. Quæ tamen omnia ita in laudem poetæ dicta sint á nobis, ut omnia simul cúm omnium, tum Procerum SS. Ecclesiæ Catholicæ Rom. meliori, saniori'q; iudicio summittantur; ac non solùm hæc, quæ sentio alioqui exigua; uerumetiam quæ & scripsimus, & imposterum, Deo Opt. Max. fauente, scribbemus. Quare iam tempus exigit, ut finem dicendi faciamus, sed nullum de Terentio cogitandi: quem omnes studiosi politioris literaturæ adolescentes, rogo, Nocturna uersent'q; manu, uersent'q; diurna: & me tecum ament. Vale.

FINIS.

REGISTRVM.


ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ,
AA BB CC DD EE FF GG HH II.


Omnes sunt Quaterniones,
excepto II.


ANCHORAE ALDINAE VENETAE.

Delphino Veneto circundatur Anchora ſimplex,
Vt charior ſit firmior.
Suppoſitus Nauim pulſatam fulcit uterque,
Inſaniente alto Mari;
Qua nobis Charites pulchræ, doctæq; Sorores
Vehuntur addiſcentibus.
Hanc Magno quondam Sapientia credidit Aldo,
Nota Viri ſumma fide.
Ergo id ius proprium, fas, inuiolabilæ ſeruet,
Hæreditarium genus.

SPIRAT, QVI ſperat.


AL DVS




9